CASPARIS ZIEGLERI, ... PRAELECTIONES PUBLICAE IN DECRETALES, EX MANUSCRIPTO BEATI...

Kaspar Ziegler, José Maria Lais

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
11 B
32

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 14. 8

EX LIBRIS B. M.
C. JOS. M.ª LAIS EP. HIPPON.

13-17.d.11

21.3.10.

III
13
B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CASPARIS ZIEGLERI,

PRÆLECTIONES PUBLICÆ

IN

DECRETALES.

CASPARIS ZIEGLERI,

JURIS CONSULTI ET CONSILIARII SAXON.

PRÆLECTIONES PUBLICÆ

IN

DECRETALES,

EX

MANUSCRIPTO BEATI AUTORIS

PRIMUM EDITÆ;

SUBJUNCTO INDICE LOCU-

PLETISSIMO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CUM PRIVILEGIO S. REGIÆ MAJEST. POLON.
ET ELECT. SAX.

DRESDÆ,

IMPENSIS JOH. JACOBI WINCKLERI,

1699.

LECTORI BENEVOLO
S. P.

Habet hoc præcipuum eruditio ſcientiæ rationibus exqviſita, experientiæ ductibus perfecta, animiqve integritate expoſita, ut fructum ejus poſt fata etiam poſſeſſorum percipere ingenia, cùm optimè ſentiendi tùm legitimè agendi avida, anhelent: qvod niſi pronuntiatum iis fundaretur rerum cauſis, qvarum ſeu inventio ſeu conceptus veritatem ejus animo omnium inſtillaret, vel unius ſaltem Ziegleri exemplo ad oculum demonſtrari poſſet. Qvem Lipſia mater genu-

genuit, formavitqve adultum ab initio humaniorum ſacrarumqve literarum helluonem clariſſimum, & mox Jure Conſultum dexterrimum, eundem Vitemberga ſoror vivum ita orbi oſtentavit literario, ut jam civilis jam canonici adyta Juris & legendo & ſcribendo utiliter æqve ac perfectiùs panderet, ut vel maximè aulæ etiam Electorali prudentia juris conſummata, cura judicii limatiſſima, atqve morum ſanctitate incorrupta ſe approbaret. Nec vero cum Viri vitâ honeſtiſſimâ exiſtimatio, qvam tot ingenii fœtibus undiqvaqve præſtantisſimis, qvam tot ex Scholæ ſuæ umbra in apricum Reipublicæ productis Heroibus ſuperſtes ſibi comparavit, in morte intercidit:

Sed enim toties refloruit auctior gloria, qvotiescunqve edita ante recuderentur. Opera certè poſthuma ita viri memoriam renovârunt, ut nunc demum Academiæ, juris-

risqve dicundi theatra, qvæ in illo amiſerint bona, intelligant: cumqve fortunam ſibi qvam maximè benevolam experta fuerint ad Proceſſus Saxonici ordinationem commentaria, & in praxin ejusdem fori introductio, in tantum laudanda, in qvantum maxima praxeos forenſis virtus intelligi poſſit: nec adverſa ſpes, iisdem ſuffulta retinaculis, minatur fata Prælectionibus ad Decretales Publicis, *qvæ prima vice in* publicum, *me curante embryonis à Patre relicti partum, prodeunt, ut qvondam in auditorio* publico *freqventiſſimaq; aſſidentium celebritate ferre lucem edoctæ. Ita in ſolidum exhibentur, ut ab Auctoris beatiſſimi manu propria ſcriptæ, & à pientiſſima ejus vidua, Matrona in decus & gentis & ſexus ſui nata, deprecatione mea publico redditæ fuerunt. Qvi auctoris in hoc laboris genere* exe-

exercitatisſimi ſolertiam noverit, eum & huic albo ſuffragium laudatisſimum calculo comprobaturum eſſe prorſus confido: qva in commentatione ſe ita geſſit, ut ſtatum cauſæ cujuscunqve ex Decretalium capitulis ſtricte excerperet, Pontificum ſententiam cum rationibus dubitandi & decidendi breviter & nervosè explicaret, judicium ubiqve legitimum & ſacrorum puriorum luce colluſtratum interponeret, ab auro ſcorias diſcernens, atqve regulas deniqve jurisprudentiæ ſeu Conſiſtorialis ſeu Forenſis certas inde derivaret. Intelliges ſaltem facile, B L. Si qvæ alia hæc maximè diligenter lectitata odoram animi vim cautamqve Sagacitatem, qvæ in foro aut judicando aut advocando occupatis ineſſe debet maxima, plurimum acuere, atqve in majus provehere poſſe. Tu ritè his utere, piis manibus Beatisſimi Viri bene precare, & bibliopolæ tui ſtudioſisſimo magis atq; magis fave.

DECRETALIUM
Lib. I. Tit. 35.
DE PACTIS.
AD CAP. I.

PActi ſpecies, qvæ huic decretali occaſionem dedit, colligi utcunqve poteſt ex matrice ejus, qvæ extat in Concilio Africano ſive Carthaginenſi I. Can. 12. his verbis: Antigonus, Epiſcopus Madurenſis dixit: Gravem injuriam patior, & credo dolere ſanctitatem veſtram contumeliam meam, & computare communem injuriam. Optantius cùm ſe repræſentaret, pactum mecum habuit & diviſimus plebes. Manuſcriptiones noſtræ tenentur epittacia. Contra hoc pactum, circuit plebes mihi attributas, & uſurpat populos, ut illum patrem me vitricum nominent. Gratus Epiſcopus dixit: Factum hoc dolendum eſt, ut in ſe illiciat populorum imperitorum animos contra diſciplinam, contra Evangelicam traditionem, contra pacis placita. Nam ſi ſibi id poſſe contingere arbitraretur, nunqvam profectò in fratrem aliqvis deliqviſſet. Unde, aut inita pacta ſuam obtineant firmitatem, aut conventus, ſi ſe non cohibuerit, Eccleſiaſticam ſentiat diſciplinam. Univerſi dixerunt: Pax ſervetur, pacta cuſtodiantur.

Nimirum diſceptatio erat inter Antigonum & Optantium circa parochias, qvousqve ἐπισκοπῇ cujusqve ſe continere deberet, ſive qvod vicini eſſent, atqve finium regundorum controverſiam ſibi invicem moverent, ſive, qvod diœceſis Antigoni propter amplitudinem in duos Epiſcopatus diviſa jam eſſet, ſive qvod Optantius coadjutor datus Antigono fuiſſet, ſive etiam qvod Optantius hic ſuperimpoſitus fuiſſet diœceſi Antigoni. Incertum enim eſt, qvæ fuerit Optantii conditio. Et hinc etiam incerta ratio dubitandi, qvæ pro rationibus Optantii militare potuerit, niſi pro poſſeſſore poſſidere maluerit ille, qvi prædonum titulus eſt & furum. *l. 11. & 13. ff. de hered. petit.*

Certum verò eſt, & inſtrumentis id comprobari poſſe dicit Antigonus,

A

utri

utriusqve conſenſu plebes diviſas, & cuiqve ſuam parochiam certis limitibus fuiſſe aſſignatam. Eamqve diviſionem propterea firmiter cuſtodiri debere ab Optantio, ſeqve adeò injuriam pati, dum ille ſuam involat diœceſin, & plebes ſibi attributas viſitat. Et propter hanc conventionem decrevit Synodus, ſervandam eam eſſe, aut puniendum Optantium.

Madurenſis] Urbs Madura aut Medaura Apuleji fuit patria: Madurus dicta Ptolomæo. Ad hanc Urbem ſcribit Auguſtinus *lib. 2. confeſſ. c. 3.* ſe contuliſſe cum adoleſcens eſſet, diſcendarum ingenuarum literarum gratiâ, florente ibi Gymnaſio.

Sanctitatem veſtram] Titulus hic eſt honorarius Epiſcoporum, qvi etiam dum ſuperſtites ſunt, ſancti dicuntur. Vid. Carol. du Freſne *in Gloſſar.*

epittacia] l. & pittacia, uti emendat Antonius Auguſtinus *ad veterem, decretalem collect. 1. c. 1. h. t.*

plebes] i. e. fideles, qvi Epiſcopo vel Sacerdoti proprio ſubſunt, qvâ ratione vocabulum hoc plebes interdum accipitur pro diœceſi, parœciâ ſive diſtrictu Epiſcopi vel Sacerdotis.

circuit] h. e. viſitat, unde & circuitio pro viſitatione, & circada pro cenſu, qvi ſolvitur Epiſcopo viſitanti.

Patrem] Epiſcopos Patres dictos fuiſſe conſtat *ex c. qvorum diſt. 61. & ex Marculfi lib. 1. form. c. 21.*

me vitricum] Sarcaſmus, petitus ex eo, qvod oppidò raro vitrici perinde diligere ſoleant privignos ſuos, uti patres filios naturales, qvanqvam non deſint, qvi patrum nomini pietate ſuccedant, uti loqvitur Plinius *lib. 2, Epiſt. 13.*

contra diſciplinam,] Variè accipitur hoc vocabulum. Paulò infra pro pœnâ, hîc pro moribus & honeſtis inſtitutis uſu receptis.

contra pacis] Sive pactionis. Inde enim pacis nomen appellatum eſt *l. 1. §. 1. ff. de pact.*

aliqvis deliqviſſet] lege: *aliqvid.* Et alluditur ad principium juris naturæ ab Alexandro Severo Imp. publicis operibus inſcriptum: Qvod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Vid. Hugo de Roy *de eo, qvod juſtum eſt. lib. 3. tit. 5. n. 10.*

aut conventûs] Subſtantivè, h. e. Concilii aut Synodi ſentiat cenſuram & pœnam Eccleſiaſticam.

Hinc

Digitized by Google

Hinc verò tùm ex ipſâ contextus ſerie, tùm ex ſpecie facti perſpicuum redditur, fruſtra omninò laborare eos, qvi inde conficiunt, jure Canonico ex nudo pacto dari actionem. Etſi enim concedamus fortè, qvod tamen ex textu non apparet, transactionem inter Antigonum & Optantium nudo pacto abſolutam fuiſſe; non tamen manſit ea in iſtis nudi pacti terminis, aut in verbis tantùm, ſed re & traditione utrinqve fuit per diviſionem plebium conſummata, ita ut uterqve haberet id, de qvo convenerat. Nec qvicqvam faciunt verba: *inita pacta ſuam obtineant firmitatem &c.* cum pacti vocabulum generaliter ſæpè pro qvâcunqve conventione accipiatur, ita, ut & contractûs contineat, cum & contractus ſit duorum vel plurium in idem conſenſus. Et ſic etiam ſocietatis contractus pactum conventum dicitur. *l. 71. ff. pro ſoc.* Sed & prætor dicit: pacta conventa ſervare ſe velle, *l. 7. §. 7. ff. de pact.* Qvomodo verò? Non certè dando actionem ex pacto promiſcuè omni, ſed datâ aut actione, aut exceptione, prout hâc aut illâ ad ſervandum pactum opus erit. Nec obſtat vocabulum *conventu*, qvod interpretari ſolent participialiter de eo, qvi in jus jam vocatus & adverſus qvem actio inſtituta eſt. Hanc enim interpretationem multa ſunt qvæ evertunt. Primùm enim alternativè dicitur, aut ſervanda eſſe pacta, aut renuentem diſciplinæ ſubjiciendum. At verò ex pacto nunqvam agi poteſt ad pœnam, niſi hæc qvoqve in conventionem venerit. Deinde fruſtra opponitur per alternationem proceſſus judicialis obligationi ex pacto provenienti, cùm vel maximè per actionem in judicio inſtitutam intendatur & efficiatur, ut inita pacta ſuam obtineant firmitatem. Tandem verò etiam id non ſatis videtur cohærere, qvod poſt cognitionem cauſæ in concilio jam ſuſceptam aliud novum judicium expectari & inſtitui debeat. Et qvod verò id erit judicium? Cum utiqve ſufficere potuit ipſum hoc Synodi judicium. Uti enim ex Canone XIX. Codicis Canonum Eccleſiæ Africanæ colligitur, permiſſum fuit Epiſcopo accuſato arbitrium ſiſtendi ſe coram Primate, vel primam cauſæ cognitionem deferendi ad Concilium univerſale Africæ, qvod ex univerſis Africanis Provinciis ab Epiſcopo Carthaginenſi congregari ſolebat. Ad qvid ergò cauſa ad primatem ſive Synodum Provinciæ remitti debuit, qvæ jam in judicio univerſali mota erat? Et qvorſum ferenda eſſet ſententia alia, præter hanc ipſam Synodalem? qvæ litem ſub comminatione pœnæ terminavit. Rectiùs ergò ſtatuitur, vocabulum *conventu* h. l. ſubſtantivè & in genitivo caſu accipi debere, de Concilio, ſive Synodo.

Digitized by Google

Cæterùm admittit Didacus Covarruvias *ad c. qvamvis de pact in 6. part. 2. §. 4. n. 24.* pactum nudum etiam jure Pontificio non producere actionem; ſtatuit tamen, eo jure pactum nudum producere actionem, ſi cauſam expreſſam habeat; ſed tùm vix eſſe, ut nudum amplius dici qveat. Subeſſe verò hoc caſu adhuc differentiã aliqvam inter jus civile & canonicum, cùm nec cauſæ expreſſio ſufficiat jure civili ad producendam actionem, niſi effectus ſit ſubſecutus, datum ſcil. vel factum; jure Canonico autem ſufficere nudam mentionem cauſæ ad producendam actionem. Sed enim uti nulla omninò obligatio conſiſtere poteſt ſine causâ debendi. *l. 2. §. 3. ff. de doli mali except.* ita nec actio dabitur, niſi ipſe etiam obligandi modus in jure probatus & receptus fuerit. Nec verò ullum adduci poteſt fundamentum, qvo iſta Covarruviæ ſententia ſuſtineri qveat.

Ex facti ſpecie etiam hoc ſeſe exſerit notatu dignum, Epiſcopo non licere in alienam civitatem, qvæ ei ſubjecta non eſt, irruere, neqve in regionem, qvæ ad ejus curam minimè noſcitur pertinere, & omninò nihil juris ei competere in alienâ diœceſi. Id enim jamdiu prohibitum in Concilio Antiocheno *c. 22* anno Chriſti CCCXL. & Conſtantinopolitano II. *c. 2.* anno CCCXXCI.

Ad c. qvoties 2.

Caſus talis eſt: Erat inter Pontificem Romanum Gregorium I. & Projectam, Virum illuſtrem in Siciliâ finium regundorum controverſia. Nomine Pontificis transactionem inierat Fantinus ejus in partibus Panormitanis Defenſor. Qvâ non contentus Projecta ipſius Pontificis ratihabitionem petierat. Reſpondit Pontifex, ratam ſe eam transactionem habere.

Poterat dubitari, utrum neceſſaria eſſet ea ratihabitio, qvandoqvidem ſufficiens videbatur autoritas Fantini, qvippe qvi eas in partes ut Defenſor Eccleſiæ Romanæ miſſus fuerat. Sic enim tùm temporis uſu receptum erat, ut à Pontifice Romano Defenſores mitterentur in Provincias, ut implorantibus Apoſtolicæ Sedis auxilium, præſto eſſent. Qvâ ratione non in Panormitanis tantùm partibus Fantinus hic, ſed etiam in Catinenſibus & Syracuſanis partibus Romanus qvidam Defenſores à Gregorio in Sicilia conſtituti leguntur *lib. 7. epiſt. 21. & 61.* Multam autem talium Defenſorum fuiſſe autoritatem patet *ex Epiſt. 17. 18. & 21. ejusd. Gregorii.*

Ra-

Digitized by Google

Ratio decidendi eſt, qvia actores, defenſoresve civitatis aut alterius alicujus corporis, qvale hîc eſt Eccleſia Romana, non habent poteſtatem tranſigendi, extra qvam ſi ſpeciale habeant ad hoc mandatum. Qvomodo & procurator Cæſaris ſive Principis inconſulto Principe tranſigere neqvit, *l. 13. ff. de tranſact.* Ne igitur revocetur aliqvando â Pontifice Romano, qvod ab ejus Defenſore transactum fuit, juſtè exigitur ejus ratihabitio. Nec difficilis fuit Pontifex additâ hâc ratione, qvod Eccleſiaſticæ moderationi valdè conveniens ſit, ut qvæ ordinata fuerint vel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari.

Hinc igitur infero I. actum, cujus ratihabitio flagitatur, debere eſſe factum nomine & contemplatione ratificantis. Ratum enim qvis habere non poteſt, qvod ipſius nomine non eſt geſtum. *c. 9. de R. J. in 6.*

II. Procuratorem mandato deſtitutum nihil agere, niſi acceſſerit ratihabitio ejus, cujus nomine actus ille geſtus fuerit.

III. Ratihabitionem retrò trahi & comparari mandato, non in contractibus tantùm, ſed etiam in diſtractibus, & in judiciis, & maleficiis. Vid. Anton. Dadin. Alteſerra *de fict. jur. tract. 4. c. 1.* Vi enim hujus ratihabitionis perinde ſe habet negocium, ac ſi ipſe principalis à principio conſenſiſſet, actumqve ratificatum perfeciſſet, & propterea, qvi ratum habuit, rectè dicitur autor actûs ratificati. Joh. Vincent. Honded. *conſultat. 38. n. 6. 7.* Dum tamen ratificans tempore non fuerit excluſus. *l. 24. ff. ratam rem hab. l. 5. pr. ff. qvis ordo in bon. poſſ. ſervetur.* dumve non interceſſerit aliqvis actus alius, qvi conjunctionem extremorum impediat. Qvia enim tùm ſubeſt præjudicium tertii, cui interim pendente ratificatione jus qvæſitum eſt, non poteſt id ei per ratificationem auferri. Fernand. Vaſq. *controv. illuſtr. lib. 5. cap. 40. n. 13. ſeq.* Joh. Bapt. Coſta *de retrotract. cap. 8. caſ. 4. n. 14.* Anton. Fab. *Cod. lib. 4. tit. 20. def. 1.* Joh. Petr. Surdus *Deciſ. 245. n. 8.* Franciſc. Niger Cyriac. *controverſ. 293.*

Ad c. qvaliter 3.

Fragmentum hoc eſt epiſtolæ 38. lib. 8. in Regiſtro Gregorii Magni. Verba ipſa Epiſtolæ cum inſcriptione hæc ſunt: Gregorius Januario Epiſcopo Caralitano. Qvaliter in Sardiniâ minores vel pauperes ab eis, qvi illis majores ſunt, opprimantur, reverendiſſimi Fratris noſtri Dominici

Carthaginienſis Epiſcopi atqve eminentiſſimi filii noſtri Innocentii præfecti Epiſtolæ teſtantur, à qvibus, ut qvæ ſcripta nobis ſint, noveritis, ipſarum vobis epiſtolarum exemplaria prævidimus transmittenda. Et ideò, qvia ea, qvæ petenda ſunt, offeruntur, ſtudioſè agendum eſt, ut ea, qvæ promittuntur, opere compleantur. &c.

Res ita ſe habebat: Graves moverant qverelas Epiſcopus & præfectus Carthaginienſes propter injurias pauperibus in inſulâ Sardiniâ potentioribus illatas, atqve promiſerant ſimul illi auxilia, ſine dubio copias militares, qvibus in ordinem redigi poſſent potentiores Sardiniæ. Voluit igitur Pontifex ſtudioſe id agere debere Januarium Epiſcopum Caralitanum h. e. omnem debere movere lapidem, inſtando, rogando, urgendo, ut auxilia & ſubſidia, qvæ promiſſa erant ab Africanis, opere compleantur, utve pauperes qvi erant ab oppreſſione potentiorum liberentur.

Dubitandi ratio peti poterat exinde, qvod non videretur conſultum, transmarina auxilia ut in Sardiniam inſulam reciperentur, præſertim cùm utræqve provinciæ ſpeciali & ſeparatâ ſub adminiſtratione regerentur, Sardinia, â vicario Urbis, Carthago â Vicario Africæ, & hinc adeo confuſiones metuendæ eſſent, ſi Carthaginenſibus qvicqvam liceret in Sardos.

His tamen neqvicqvam obſtantibus vult Pontifex, urgeri debere Africanos, ut promiſſa ſervent, cùm ad hoc non ſufficerent Sardi, ut potentiores in ordinem cogi poſſent, & neceſſaria omnino ſint auxilia aliena.

Cæterùm alter hic eſt textus, qvem urgent adverſarii ad probandam ſuam ſententiam, qvod ex nudo pacto ſecundum jus Canonicum detur actio. Sed irrito planè conatu. Primùm enim certum eſt, promiſſionem illam Africanorum ad pacta publica debere referri. At conventiones publicæ non tàm legum civilium aut poſitivarum, qvàm communi omnium gentium jure reguntur, neqve exemplum inde capi & inferri poteſt ad conventiones privatorum. Deinde probari non poteſt, conventionem aliqvam præceſſiſſe, ſed ex textu hoc conſtat, ſponte promiſiſſe Africanos non imploratos nec interrogatos ſua auxilia, & videtur adeò promiſſio hæc ſpecies pollicitationis, qvæ ſine conventione obligat. Tertio ſi nudè ſtent verba, uti habentur in compilatione Gregorii IX. nec attendatur, qvâ occaſione illa â Gregorio I. prolata ſint, difficile erit probare, qvod Vinnius intendit *c. 7. de pact. n. 4.* nudum præceſſiſſe pactum, cum promiſſio etiam præcedente ſtipulatione fieri qveat. Sed & falſum eſt, inſcripti-

ptionem in Regiſtro Gregorii talem eſſe, qvalem ponit Vinnius: *Judex debet ſtudioſè agere, ut promiſſa adimpleantur.* Et ut maximè eſſet, nondum tamen inde confici poſſet, promiſſa illa ex pacto nudo veniſſe. Inſcriptio vera hæc eſt: *De oppreſſionibus minorum à majoribus, & de iis, qvi ad Eccleſiam confugiunt.* Falſum etiam eſt, agi hìc de eo, qvi apud judicem convenitur, ut faciat id, ad qvod pacto ſe obligavit. Judicem enim nec Epiſcopus Carthaginienſis, nec Præfectus Africæ agnoſceret Epiſcopum Caralitanum. Hunc autem ex delegatione Pontificis judicem conſtitutum nullibi apparet. Nec facit qvidqvam rubrica tituli hujus de pactis ſimpliciter concepti, cum ſub generali hoc vocabulo conventiones qvælibet comprehendi ſoleant. De præſumptione qvod addit Vinnius, juris Canonici autores probaſſe magis jus naturale & divinum, argumentum præbet oppidò infirmum, ſi præſertim differentia aliqva inter jus civile & canonicum ſtatui debeat.

Ad c. cum pridem 4.

Monachi de Acra dejecerant Petrum qvendam & fratrem ejus de poſſeſſione Eccleſiæ cujusdam, & per ſub & obreptionem literas confirmationis ſuper poſſeſſione acqviſitâ acceperant à Pontifice. Cùm verò Petrus ille ſuo & fratris nomine actionem propterea in judicio inſtituiſſet, maluerunt rei transactione rem componere, & convenerunt adeò cum adverſariis ſuis, ut illi acceptis tribus marcis argentiâ lite deſiſterent. Hanc tranſactionem confirmare noluit Pontifex; Ut tamen litis eſſet finis, impulit actores Pontifex, ut in renunciatione factâ perſiſterent, ſimul verò mandavit, ut monachi propter exhibita inſtrumenta eis de beneficio aliqvo proſpicerent. Id ni fecerint, jubet delegatos â ſe judices præviâ cognitione cauſæ ſpoliatis Eccleſiam reſtituere.

Duplex hìc ſubeſt qvæſtio. I. Utrum transactio â partibus inita confirmari â Pontifice debeat? Et id qvidem primâ facie videtur, tùm qvia intereſt Reip. lites tranſactione finiri, tùm qvia transactio ipſa nihil continet iniqvi, qvandoqvidem tres marcæ argenti non pro Eccleſiâ dantur, ex qvâ dejectus cum fratre fuerat Petrus, ſed pro expenſis, qvas fecerat ille, & ut liti renunciaret. Et hoc ultimum videtur eſſe pretio æſtimabile, cùm in genere pro redimendâ vexâ dare certum qvid liceat.

Papa tamen confirmare pactum id renuit, ex eo, qvod videretur pravam illicitæ pactionis ſpeciem continere, h. e. qvod videretur Simoniæ vi-

Digitized by Google

tium continere. Nec enim qviſqvam renunciare poteſt beneficio, qvod ſpirituale eſt, propter temporale qvod conſeqvitur, neqve de ſpiritualibus vel his annexis tranſigere licet interveniente aliqvo temporali *c. 4. c. 7. c. 9. X. de tranſact.* Nec obſtat, qvod temporale illud non pro ipſo beneficio detur, ſed propter expenſas in judicio jam factas, qvia cauſa hæc fingi videtur, in fraudem canonum, cùm renunciatio juris ſpiritualis non careat vitio Simoniæ, niſi fiat liberè ſine ullâ conditione & modo. Guilielm. Redoan. *de Simon. part. 2. 10. n. 9.*

Ut ergò valeat tranſactio, rem ſpiritualem pro ſpirituali dari jubet Pontifex, h. e. beneficium pro beneficio. Idſi recuſet Monachi litem peragendam eſſe dicit, & ſi de ſpolio conſtet, auctores reſtituendor. Ubi qværitur II. utrum reſtitutio locum habeat? Ratio dubitandi reſultat ex eo, qvod Pontifex in fine dicit, Monachos à ſe literas confirmationis accepiſſe ſuper poſſeſſione Eccleſiæ acqviſitâ. Qvi enim autoritate judicis poſſidet, defendi is debet in poſſeſſione. Et hinc etiam in beneficialibus datur manutentio absqve productione tituli, etiam mero detentori & ſpoliatori contra ſpoliatum. Lud. Poſthius *de manutenend. deciſ. 113.*

At verò Pontifex ſuam iſtam confirmationem haudqvaqvam attendi debere reſcribit. Communis enim eſt Doctorum ſententia reſcriptum ſubreptitium ipſo jure eſſe nullum. Joh. Bapt. Leonellius *de ſubrept. reſcriptor. quæſt. 14. art. 2.* Nec tamen reſtitutionem in poſſeſſionem Eccleſiæ fieri vult prius, qvam conſtiterit, dictos Clericos à prænominatâ Eccleſiâ & capellâ absqve ordine judiciario violenter ejectos fuiſſe. Qvo ipſo cadit, qvod pro ratione dubitandi allegatum fuit. Et ſuccedit tùm ratio decidendi generalis, qvod ſpoliatus ante omnia debeat reſtitui.

procurator] Procurator univerſitatis aut Collegii communiter dicitur Syndicus Nic. Loſæus *de jur. univerſitat. part. 2. c. 1. n. 42.*

cujus vicem] Frater enim pro fratre ſine mandato agere poteſt cum cautione rati. *l. 35. ff. de procurat.*

& capella] Capella in genere dicitur Eccleſia minus principalis majori ſubjecta; qvæ non eſt per ſe, ſed intra aliam Eccleſiam fundata & conſtructa, a qvâ veluti dependet. Aliqvando Oratoria ita dicta fuerunt. Baron. *in Martyrol. ad d. 11. Jun. Add.* Hieron. Bignon. *ad Marculſi form. p. 538.*

tres marchæ) De marchis & diverſo earum pondere ac valore videri poteſt Carolus du Freſne *in gloſſar.*

autori-

Digitized by Google

Autoritate Apoſtolica] i. e. Pont'ficiâ. Sic enim uſu receptum eſt, ut Papa, qvi Apoſtolorum ſucceſſorem haberi ſe in Apoſtolatu contendit, non ipſe tantùm Apoſtolicus καθ' ἐξοχὴν dicatur, Andr. Qvercetanus *in not. ad biblioth. Cluniac. pag.* 71. Steph. Baluz. *ad Agobard. pag.* 116. ſed & literæ, decreta, palatia & omnia alia Apoſtolica ſæpiſſimè appellentur. Joh. Rainold. *in Colloqv. cum Hart. pag.* 153.

authentica] h. e. originalia, qvæ ita dicuntur propter αὐθεντίαν ſeu autoritatem, qvam habent. Eis opponuntur exempla ſeu copiæ, uti vulgo vocantur *l. ult. ff. teſtam. qvemadm. aper. Add.* Voſſ. *in Etymolog.*

inſtrumenta] h. e. ſcripturas ad fidem faciendam aptas. Vid. Bornit. *de inſtrum. lib.* 1. *cap.* 2.

beneficio] Dicitur ita jus perpetuum percipiendorum fructuum ex bonis Eccleſiæ dicatis, ratione miniſterii Eccleſiaſtici. Qvo ſignificatu complexum qvid eſt ex officio ſacro & ejus reditu, ita tamen ut reditus præcipuum ſit hodiè & principale, cùm olim fuerit conſecutivum & acceſſorium officii Eccleſiaſtici. Vid. M. A. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib.* 9. *c.* 1. *n.* 27.

Hinc verò notandum I. Fratrem ſine mandato pro fratre agere in judicio poſſe, ſed neceſſe tamen eſt, ut præſtetur cautio rati, & qvidem judicialiter, h. e. ſecundum morem hodiè receptum per regiſtraturã, uti vocant, Actuarii. Carpz. *proceſſ. tit.* 5. *a.* 6. *n.* 2.

II. Pacta, qvæ juri divino, naturali & bonis moribus repugnant, ita eſſe nulla, ut nec confirmatione magiſtratûs valida reddi qveant, & ea nec facere nos poſſe credendum eſt, *l.* 15. *ff. de condit. inſtit.*

III. Pactiones, qvibus temporale aliqvid pro ſpirituali promittitur, Simoniam redolere, & propterea illicitas eſſe, ut maximè temporale, qvod promittitur ſub alio nomine veniat. Sed nec ſpirituale qvidem pro ſpirituali dari aut promitti poteſt, niſi autore Superiore, aut certè, ſi dubium de eo fuerit autore, pontifice Romano, qvia ſui ex Canoniſtarum ſententia ſolus Papa de Simoniâ diſpenſare poteſt. Vid. Gvilielm. Redoan. *de Simoniâ part.* 3. *c.* 21.

IV. Spoliatos & violenter ejectos ante omnia reſtitui debere, & qvidem ad omnem modum, locum & cauſam *c.* 51. *X. de appell.* non ſolum in immobilibus, ſed etiam mobilibus inde ablatis adeoqve præter rem principalem cætera omnia cum omnibus fructibus perceptis & percipiendis omniqve damno & lucro ceſſante ad ultimum usqve qvadrantem reſtitui oportere

Digitized by Google

Vid. Tabor *in axiom. vocab. Spolium.* Et reſtitutio illa fit ſine ſpe repetitionis, etſi poſtea ſpoliator in petitorio vincat. Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 7. def. 8.*

V. Mandata ſub & obreptitiè impetrata ſuo deſtitui effectu, ſi de vitio deinceps appareat. Qvia ſc. tùm deficit voluntas principis. Nicol. Reuſner. *part. 2. conſil. 25. n. 15.* Et in reſcriptis ſemper ſubintelligenda eſt conditio: ſi preces veritate nitantur *c. 2. X. de reſcript. l. 2. 3. 4. C. ſi contr. jus vel util. publ.* Gail. *1. Obſ. 14.*

Ad c. accepimus 5.

Peſſimi hi invaluerant mores in diœceſi ſive provinciâ potiùs Archiepiſcopi Eboracenſis in Britanniâ, ut Clerici nonnulli ſucceſſores ſibi nominatim conſtituerent, nec aliter ipſi Eccleſiis præfici vellent. Fuit tùm Archiepiſcopus Rogerus, homo ſi Guilielmo Neubrigenſi credimus, avarus, & de Eccleſiæ ſuæ ſalute ſpirituali parum ſollicitus. Reliqvus Clerus, teſte eodem Neubrigenſi *lib. 2. rer. Angl. c. 16.* furtis, rapinis, homicidiis & criminibus aliis totus immerſus erat. Gloſſa hîc fingit caſum de Eccleſia debitis oneratâ, ſive obæratâ, cui præfici debuiſſet Clericus ætate gravis, ſed benè nummatus. Eum verò ait conſentire & acceptare eam ſpartam noluiſſe, niſi pacto ſibi promiſſum fuiſſet, non alium ſibi in officio ſucceſſurum, niſi nepotem ex fratre aut ſorore. Iſtam talem conventionem, ut iniqvam & ſacris canonibus adverſam omninò nullam & inanem pronunciandam dicit Pontifex, adeò ut nec appellatio ab eâ recipi debeat ſententiâ.

Ratio dubitandi poteſt peti exinde, qvod iniqvum videatur, ſi clericus promovendus facultatibus ſuis ſubvenire Eccleſiæ, ejusqve nomina explicare debeat, & morte præventus vacuam nepotibus ſuis hereditatem relinqvere cogatur. Et tum igitur ſolatium ei aliqvod erit, ſi nepotem ſucceſſorem ſibi in officio habere contigerit, idqve pacto ſibi promiſſum fuerit.

Ratio decidendi eſt, qvia pactum tale planè iniqvum eſt, & ſacris canonibus inimicum, ideoqve nec ferendum. Canones enim prohibent, ne qvis ſucceſſorem ſibi faciat, uti videre licet apud Gratianum *c. Epiſcopo & ſeqq. 8. q. 1.* ne ſcil. Eccleſiæ adimatur libertas electionis. Qvâ ratione neqve reſignationes aut renunciationes in favorem certæ alicujus perſonæ admittuntur. *nomi-*

Digitized by Google

nominatim] h. e. ita, ut deſignetur certum individuum ſub nomine proprio. Ut enim in genere pactum fiat de ſucceſſore incerto, nihil obſtat, cùm etiam ſine præcedente pacto talis aliqvis neceſſe eſt ut conſtituatur.

appellatione ceſſante] ſive, qvod perinde eſt, appellatione remotâ, h. e. ut planè non admittatur appellatio â ſententiâ definitivâ. Sed qvomodo verba ea explicari debeant, docet Innocentius III. Papa *in c. 53. X. de appell. Conf. c. 9. X. de ſentent. & re jud.* De clauſulæ hujus effectu prolixè agit Barboſa *de clauſul. c. 9.* ubi docet, clauſulam hanc uſurpari non poſſe niſi ab eo, qvi ſummus eſt in Rep.

Notabile ex hoc capite præcipuum hoc eſt, liberam manere debere electionem Clericorum in Eccleſiâ, neqve paciſci licere de Succeſſore, vivente adhuc ejus Rectore. Odioſa enim fuit omnis ſucceſſio, qvæ de vitio aliqvo ſuſpecta eſſe potuit. Qvâ ratione nec admiſſum aliqvando fuit, ut nec filius patri immediatè in officio Eccleſiaſtico ſuccederet, ut maximè nullum præceſſiſſet pactum. *c. 11. X. de fil. presbyt.*

Colligitur inde II. Pacta, qvæ vel ſunt contra bonos mores, vel qvæ turpem cauſam continent, vel qvæ dolo ſunt inita, vel etiam qvæ ſunt contra jus publicum prorſus eſſe illicita, nec vim obligandi habere. Vid. Goeddæus *ad l. 3. n. 33. ff. de V. S.*

III. Poſſe â ſummo Principe delegari cauſam ſub clauſulâ, ne appellatio recipiatur.

Ad c. cum clerici 6.

Etiam hæc prava conſvetudo invaluerat in provinciâ Cantuarienſi Regni Angliæ, ut vacantibus Eccleſiis, qvi illarum Rectores fieri cuperent, paciſcendo majores ſolito promitterent penſiones illis, qvi conferendi poteſtatem habebant, eum in finem, ut aliis, qvi eaſdem Eccleſias affectabant, præferrentur. Finge in agro Oxonienſi vacaſſe Eccleſiam, & ex ejus reditibus trecentorum aureorum â Cajo promovendo penſionis loco promiſſos fuiſſe Epiſcopo Oxonienſi centum, cùm viginti tantùm olim dati fuerint, nec fuiſſe inter reliqvos competitores qvenqvam, qvi tantundem promittere vellet: Promotum igitur ab Epiſcopo fuiſſe Cajum iſtum. Qvæſitum fuit in Conſiſtorio Pontificis, qvatenus valeret talis promotio. Et reſponſum, extirpandum eſſe tàm deteſtabile vitium, nec permitten-

Digitized by Google

dum, ut qvisqvam tale qvid porrò audeat. Idve ſi factum fuerit, ut ab eâ Eccleſiâ removeatur, & aliàs ſeverè puniatur.

Ratio dubitandi eſſe poteſt, qvod ſibi imputare debeat Clericus, qvi conditionem ſuam deteriorem facit, qvodqve de ſuo liberalis eſſe videatur, ſi de reditibus Eccleſiæ ſibi aliqvando obventuris partem qvantamcunqve conceſſerit alii alicui, nec adeò improbari id poſſit, ſicubi parcius vivere ipſe & tenuiori cibo contentus eſſe velit, ſi præſertim tàm lautum fuerit beneficium, ut luxui potiùs qvam frugalitati facere videatur.

Ratio decidendi eſt, qvia tale pactum Simoniæ vitio contaminatum eſt, & canonibus adverſum, qvippe qvi vetant in collationibus diminutionem beneficiorum fieri *c. 10. X. de præbend. c. 7. X. de cenſ. c. un. X. ut Eccleſ. benef. ſine diminut. conf.* Qvò pertinet generalis regula, qvæ extat *in l. 6. C. de pact.* qvod pacta, qvæ contra leges conſtitutionesqve vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habeant. Debetqve adeò in Eccleſiaſticis negotiis pactum tale non irritum tantùm pronunciari, ſed ipſe etiam qvi cum tali pacto Eccleſiam acqviſivit, ab officio removeri.

Clerici] Clericorum nomine comprehenduntur, qvotqvot Eccleſiæ inſerviunt, etiam presbyteri & diaconi. *Vid. novell. Juſtin. 123. c. 19.* Steph. Baluz. *ad Agobard, p. 101.*

perſonis] h. e. miniſtris. Aliàs enim perſonæ vocabulo denotabatur aliqvando vicarius à monachis conſtitutus, ut altaris miniſteria perageret. Petr. de Marca *ad Concil. Claro montan. p. 289.* Franc. Boſqvet. *ad Innocent. III. epiſt. 24. lib. 1.*

penſiones] Penſio recentioribus Canoniſtis dicitur eſſe moderata qvædam beneficii delibatio, auctoritate ſuperioris ad tempus ex cauſa alicui aſſignata. Franc. Pinsſon. *de benef. tit. de oner. Eccleſ. §. 8. n. 1.* Sed enim cùm penſiones aliqvas ad conſvetudinem referat textus noſter, dum majores *ſolito* ſolvere vetat, vix erit, ut applicari illis qveat definitio adducta. Videtur igitur tùm temporis licita fuiſſe ſine permiſſu ſuperioris aliqva talis de reditibus officii Eccleſiaſtici delibatio, dummodo modum non exceſſiſſet, & in ſolitâ qvantitate ſubſtitiſſet.

ſeveritate Eccleſiaſticâ] Panormitanus hìc diſcrimen facit inter cenſuram & ſeveritatem Eccleſiaſticam, ita ut illa excommunicationem, interdictum & ſuſpenſionem denotet, hæc aliam aliqvam pœnam arbitrariam extrinſecam. Sed vix erit, ut diſcrimen iſtud ſuſtineatur, & per verba iſta

ex-

Digitized by Google

exprimere voluiſſe videtur Pontifex, qvod taliter delinqventes *ſeverè* puniri debeant.

Animadvertendum hîc, penſiones omnes ex reditibus Eccleſiaſticis delibatas, niſi ex juſtis cauſis aſſignentur, prorſus eſſe injuſtas & Simoniacas. Cauſæ autem juſtæ ſunt, ſi ſenio confectus miniſter Eccleſiæ officio ſuo ſupereſſe amplius neqveat: ſi extremâ qvis paupertate prematur: ſi operâ ſuâ inſerviat qvis Eccleſiæ, ut ſunt Advocati, Coloni prædiorum incultorum &c. Si aliunde qvis veniat ab Eccleſiâ ſuâ à barbaris & infidelibus ejectus &c: At verò in Romana Eccleſia ſolent hodiè penſiones aſſignari ſine juſtâ causâ, ſine ullo merito, etiam illis, qvi indigi non ſunt, etiam infantibus, ita ut ipſi qvandoqve nimiâ iſtâ profuſione egeant miniſtri ordinarii. Qvos mores acerrimè perſtringit M. A. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 9. c. 11. n. 18. ſeqq. Conf.* Annæ. Robert. *rer. jud. lib. 1. c. 7.*

Ad c. pleriqve 7.

Ad verum hujus capituli intellectum præmittendum eſt, decimas non alii deberi eccleſiæ, qvam parochiali, ubi percipiuntur Eccleſiaſtica Sacramenta. *c. 20. & c. 30. X. de decim. c. ult. X. de parochiis* eodem modo etiam ſepulturam cujusqve pertinere ad eam Eccleſiam, in qvâ ſalutis pabulum dum viveret percepit defunctus *c. ubicunqve c. placuit 13. q. 2.* Huic juri qværitur an derogari poſſit pactis cum alia Eccleſia initis.

Contigit ita in facto, ut clerici prædia ſua vel locarent vel in feudum darent, ſimulqve paciſcerentur, ut conductores & vaſalli ſuæ Eccleſiæ decimas ſolverent, & apud ſe ſepulturam eligerent, adeoqve parochialem Eccleſiam, cujus ſacris intereſſent, prorſus negligerent.

Videbatur defendi poſſe iſtud pactum, tùm qvod non abſolutè ſtaret, & adjectum eſſet vel locationis vel feudali contractui, adeoqve vel mercedem ſuppleret, vel ſervitia in formulâ inveſtituræ expreſſa, tùm qvod decimæ non parocho ſemper deberentur, nec parochiali Eccleſiæ ſemper, ſed Epiſcopo aliqvando, aliqvando etiam Eccleſiæ baptiſmali. Vid. Vallenſ. *tit. de decim. §. 6. n. 10. ſeq.* tùm deniqve qvod unicuiqve liceat ſepulturam eligere ubi libuerit.

His tamen neqvicqvam obſtantibus reſpondet Pontifex, pactum hujusmodi eſſe reprobandum, tum qvod de avaritiæ radice procedat, tùm qvòd tendat in præjudicium eccleſiarum parochialium, adqve idcircò,

Digitized by Google

qvicqvid ex ratione pacti hujus perceptum fuerit, id omne reſtitui jubet Eccleſiæ parochiali.

in concilio generali] Non fuit generale, cùm etiam inter ipſos Catholicos eâ de qvalitate adhuc dubitetur, referente Bellarmino *lib. 1. de concil. cap. 13.* Et ne qvis fallatur, obſervari debet, Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum Patriarchas, qvi interfuerunt, è Latinis fuiſſe, cum eo tempore Conſtantinopolis à Gallis teneretur, & noſtrorum arma è Palæſtina nondum exceſſiſſent. Sed & recitata fuiſſe ait Matthæus Pariſius *ad ann. 1215.* in pleno iſto Concilio capitula ſexaginta, qvæ aliis placabilia, aliis oneroſa viſa fuerint.

& ſeculares interdum] Clericorum nempe duo ſtatuuntur genera, ſecularium & regularium. Regulares, qvi aliqvam regulam ſeu genus aliqvod monaſticæ vitæ profeſſi ſunt, ſeculares, qvi non ſunt profeſſi. Pet. Gregor. *de benef. c. 36. n. 4.* Sed enim Clericus ſecularis videtur eâdem abſurditate dici, qvâ Canonicus ſecularis, qvam conſtructionem acerbè perſtringit Cranzius *in metrop. l. 4. c. 1.*

vel feuda] Erant ſcil. etiam Eccleſiis ſua feuda, qvem in finem in Decretalibus integer extat titulus de feudis. De obligatione autem vaſalli Eccleſiaſtici videri poteſt Nicolaus le Maiſtre *de bonis Eccleſ. part. 2. c. 8.*

parochialium] Parochialis Eccleſia dicitur ædes ſacra certis diſtincta limitibus, intra qvos homines conſtituti convenire ad Eccleſiam illam tenentur ſanctum & ſpirituale viaticum percepturi.

Notetur hinc I. parochias optimo jure diſtinctas & certis limitibus unamqvamqve comprehenſas fuiſſe, tùm ut cura animarum ſollicitè magis exerceri qveat, tum ut evitentur litigia, qvæ ex confuſione inter parochos naſci & excitari ſolent.

II. Teneri unumqvemqve parochianum in Eccleſiâ, cui qvaſi addictus eſt, ſacra percipere, nec adeò qvenqvam relicto ſuo ordinario paſtore, ab alterius Eccleſiæ & diœceſeos miniſtro ad ſacram communionem admitti debere. Vid. Carpzov. *Jp. Conſiſt. lib. 2. def. 290.*

III. Decimas regulariter deberi parochiæ ſive Eccleſiæ parochiali, ſed ita tamen, ut non ſoli parocho ſint debitæ. Parochiæ qvidem debentur immediatè, verùm eâ mediante etiam alteri Cathedrali aut Collegiali Eccleſiæ deberi poſſunt. Vid. Deſſel. *in erotemat. jur. Can. tit. de decimis n. 5.*

IV. Li-

Digitized by Google

IV. Licere ſibi ſecundùm canones noviores unicuiq; ſepulturam, ubi ubi libuerit, eligere, ſalvâ tamen Eccleſiæ parochiali portione Canonicâ, cujus qvæ diverſis temporibus fuerit qvantitas, enucleatè tradit Nicol. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. in fin.*

V. Eſſe aliqva in poteſtate noſtrâ, de qvibus tamen paciſci non licet. Qvomodo electio ſepulturæ liberi eſt arbitrii, de qvâ tamen cum aliâ Eccleſiâ præter parochialem non licet.

VI. Pacta qvæ fiunt in præjudicium tertii alicujus, non valere, qvia alteri per alterum iniqva conditio inferri non debet *l. 74. ff. de R. J.* & jure naturæ æqvum eſt, neminem cum alterius detrimento & injuriâ fieri locupletiorem *l. 206. ff. eod.*

VII. Reſtituendum eſſe eum, qvi damnum nullâ ſuâ culpâ ſenſit, in omnem cauſam, qvam habuiſſet, ſi damnum datum non fuiſſet.

VIII. Avaritiam Clericis maximè eſſe fugiendam, nec ullum tamen eſſe vitium, à quo magis infeſtetur Status Eccleſiaſticus. Graves & prolixas eâ de re qverelas legere licet apud Alvarum Pelagium Claudium Eſpenæum & alios. Vid. Rivet. *in caſtigat. notar. ad epiſt. ad. Balſacum c. 10.* Fr. Juret. *ad Jvon. epiſt. p. 149.* Goldaſt. *in replic. pro Imp. p. 143.*

Ad c. pactiones 8. & ult.

Capitulum hoc eſt axiomaticum, h. e. continet axioma generale de pactionibus invalidis, nec adeò neceſſe eſt, ut de ſpecie & figurâ facti multùm ſimus ſolliciti, cùm & in rebus naturalibus, & moralibus, & legalibus deniq; qvotidiana occurrant exempla, qvæ nullam de ſe admittunt conventionem.

Nec neceſſe proinde erit porrò, ut in rationes dubitandi prolixè aut curioſè inqviramus. Qvibus enim natura, boni mores, aut leges reſiſtunt, qvis erit tàm vecors, ut de illis pactionem iniri poſſe ſtatuat? Nulla tanta humani arbitrii eſt libertas, ut naturam expugnare, bonos mores evertere, aut leges contemnere liceat. Qvod in noſtrâ poteſtate non eſt, arbitrium omne reſpuit, & vulgares excedit conventionis rationes.

Pactiones] Pactio & pactum nihil differunt, qvod contra Fr. Duarenum firmat Arn. Vinnius *de pact. c. 1. n. 2.*

ſpiritualibus] In definitione Simoniæ ſub nomine rei Spiritualis comprehendi volunt Canoniſtæ etiam rem rei ſpirituali annexam. Vid. Vallenſ. *tit. de Simon. §. 2.*

Con-

Digitized by Google

Conventio] Neqve hæc qvidem differt à pactione. Vinnius *d. l. n. 7.*

in animæ detrimentum] qvalia ſunt omnia, qvæ peccatum involvunt. Qvò pertinent etiam ea, qvæ committuntur adverſus leges civiles juben-tes aliqvid aut prohibentes.

legitimas ſanctiones] h.e. leges civiles, qvatenus pœnas ſanciunt in immorigeros. *§. 10. J. de R. D.* Promiſcuè tamen ita vocantur leges, etſi pœnam non decernant. Et huc pertinent *l. 7. l. 26. l. 83. §. 5 ff. de V. O. l. 27. §. 4. ff. de pact.*

de jure, vel de facto] Doctores communiter qvatuor recenſent impoſſibilium genera. Primum dicunt eſſe impoſſibile naturæ, qvod per rerum naturam fieri non poteſt, ſicut digitum cœlo tangere, vel qvod vir pariat, & alia qvibus ipſa reſiſtit natura. Secundum eſt impoſſibile juris, qvicqvid eſt contra bonos mores, qvicqvid fit lege reſiſtente. Qvæ n. facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt *l. 15. ff. de condit. inſt.* Qvâ ratione de ſtupro aut adulterio committendo pactio facta haudqvaqvam obligat. Tertium dicitur impoſſibile perplexi, ut ſi promittas mihi fundum, ſi eum Titio non dederis, & rurſus promittas Titio eundem fundum ſi mihi non dederis. Neutri videris promiſiſſe, qvia promiſſio nullum unqvam conſeqvetur effectum. Si ambæ conditiones ſeorſim expendantur, neutra eſt impoſſibilis ſed ambarum conjunctio facit. ut res non poſſit effectum habere. Et hinc illa perplexitas. Qvartum dicitur impoſſibile facti. Et hoc rurſum dicunt eſſe in triplici differentiâ. 1. qvando aliqvod factum ſimpliciter eſt impoſſibile, qvod coincidit cum impoſſibili naturæ. 2. qvando præſupponitur aliqva qvalitas & certus ſtatus in ſubjecto. Veluti ſuppoſito, aliqvem non eſſe meum ſed extraneum, eum emancipare mihi erit impoſſibile. Suppoſito peregrinos non admitti ad dignitates civiles, impoſſibile erit eis promittere dignitatem conſularem, 3. qvando qvid eſt difficile, ut qvando qvis ſtipulanti promiſerit decem millia, qvi vix qvinqvaginta habet in bonis, qvando qvis ad ſtivam nato promiſerit, velle eum eruditum facere &c. Vid. Zaſ. *ad. l. 7. ff. de V. O.* Duaren *ad tit. de condit. inſtit. cap. 4.*

Obſervetur hinc I. Neqve res ſpirituales, ut ſunt conſecrationes, benedictiones, Sacramentorum diſtributiones, ordinationes, neqve res temporales ſpiritualibus annexas, ut ſunt præbendæ, eſſe in commercio, & fruſtra adeò de illis fieri pactiones. II. Im-

Digitized by Google

II. Impoſſibilia ſive phyſicè ſive moraliter talia non eſſe objectum habile conventionum, & vitiari adeò contractum ſub tali conditione impoſſibili affirmativè celebratum.

III. Non eſſe ſervandum promiſſum, qvod in ſalutis æternæ vergit diſpendium, etſi juramenti vinculo ſit vallatum. Vid. Franzk. *l. c. reſolut. 5. & 6.*

Decretalium
Lib. II. Tit. I.
DE JUDICIIS.
Ad Rubricam.

Eccleſia, qvà talis, ſive qvatenus eſt cœtus hominum miniſterio verbi & Sacramentorum ad regnum DEI vocatorum, nullam habet jurisdictionem propriè dictam, nullum judicium. Cùm enim Evangelica doctrina vitam æternam pro fine, atqve animam humanam pro materiâ & ſubjecto nativo habeat, tota ea occupari debet in internis conſcientiæ motibus dirigendis, minimè omnium in manu aut vi externâ adhibendâ. Ac proinde nullatenus judicat ea aut imperat, ſed ſollicita eſt tantùm de mediis neceſſariis ad beatitudinem conformiter ad cauſas eſſentiales ſpirituales religionis Chriſtianæ applicandis: hoc eſt, ſvaſivè tantùm & directivè per verbi divini prædicationem & Sacramentorum diſpenſationem, atqve monitorum moralium crebram inculcationem. Anima namqve ut proprium ſubjectum doctrinæ Evangelicæ, interno ſolùm non externo movetur principio; atqve adeò Eccleſia, ut fundata eſt, Jure Divino neqve territorium, neqve jus gladii, neqve jus fori contentioſi, neqve proinde jurisdictionem habet, uti optimè id exponit Autor libelli *de Eccleſ. & polit. poteſt. n. 11. ſeqq. inter ſcripta Theologorum & JCtorum Pariſienſium.*

Neqve alia fuit praxis Eccleſiæ primitivæ, qvippe qvæ ſub Imperatoribus & magiſtratibus idololatris congregabatur, neqve uti tùm poterat jurisdictione externâ, qvam nec habebat qvidem. Nullum ſcil. tùm Epiſcopis erat forum, nulla competebat jurisdictio contentioſa, ſed audientia tantùm & ſimplex notio *l. 25. C. de Epiſc. & Cler. Novell. Valentin. de Epiſc. jud.*

 Ne-

Digitized by Google

Neqve tamen in omnes perſonas ea extendebatur, neqve indifferenter in omnibus caſibus uſui erat, ſed in Eccleſiaſticas tantùm perſonas & in rebus Eccleſiaſticis competebat. In reliqvis omnibus contentioſa omnis juriſdictio & omnis mundana negociatio tàm ſeverè illis erat prohibita, ut Juſtinus Imp. abſurdum eſſe dicat Clericis, imò etiam opprobrioſum, ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum forenſium, *l. 41. C. de Epiſc. & cler.* eisqve mulctam impoſuerit qvinqvaginta librarum auri, ſi teſtamentorum reſignationi & publicationi ſe immiſcerent. *l. 23. C. de teſtam.* Add. Benign. Milletot. *de delict. communi p. 27.*

Multa ſcil. & magna inter leges civiles & Eccleſiaſticas eſt differentia, uti ſolidè & eruditè exponit Petrus de Marca *de concord. ſacerdot. & imper. lib. 2. c. 16. n. 6. ſeq.* Leges Eccleſiaſticæ ad Eccleſiæ ordinem externum compoſitæ, non neceſſitate, ſed voluntate, non timore corporali, ſed dilectione ſubjectorum nituntur; civiles autem leges etiam in invitos feruntur, & cum poteſtate coactivâ. Imperio civili non ſolæ ſingulorum civium rationes commiſſæ ſunt, ſed totius Reip. ſalus & hæc vel maximè atq; potiſſimum, etſi cum damno & detrimento atqve pernicie ſingulorum; ſed Epiſcopali regimini Eccleſiæ ſalus ita eſt commiſſa, ut ſingulorum præcipuè ſaluti invigilare oporteat, nec curari poſſit univerſum corpus aliqvorum membrorum pernicie, ſed ad exemplum Magiſtri nonaginta novem oves deſerendæ ſint, ut centeſima ad caulos reportetur. Sic & pœnæ ex legibus civilibus provenientes, & cenſuræ, qvibus utitur Eccleſia adverſus contumaces & ſceleratos, multum diſcrepant. Princeps n. adulterum, aut cædis reum gladio plectit, eum in finem ut puniat neq; emendationis ſpem tùm attendit; Eccleſia verò non exigit pœnam, ſed morborum curationem: itaqve non infligit excommunicationem ut mactet, ſed ut pœnitentem ad ſalutem reducat.

Cave tamen hinc putes, excommunicationem & reliqvas cenſurarum ſpecies ex juriſdictione provenire. Ut maximè enim ſeparatam faciamus poteſtatem hanc, qvâ in ſceleratos utitur Eccleſia, à poteſtate merè internâ, qvæ in prædicatione verbi & diſpenſatione Sacramentorum conſiſtit, nego tamen, omne id, qvod ad diſciplinam & bonum ordinem conſervandum conſtituitur, ex poteſtate coercitivâ juriſdictionali ſemper provenire. Perſpicuè id patet ex illis, qvæ à Collegiis omni juriſdictione deſtitutis per modum conventionis ſtatuuntur. Neqve nos movent, qvæ de po-

poteſtate jurisdictionis in Eccleſiâ magnificè proferunt Canoniſtæ. Illam n. ſi ex origine ſuâ metiaris, qvanta ſcil. ab autore & inſtitutore Chriſto conceſſa fuit, nullam omninò annexam habuit poteſtatem cogendi externè & violenter. Et in his ſcil. primordiis eam hactenus conſideravimus, qvatenus ſcil. Eccleſiæ antiqvitus competiit, non qvatenus nunc ſe habeat ex conceſſione principum, uti deinceps explicabimus.

Nec movet porrò, qvod excommunicatio excluſionem â viſibili Eccleſiæ cœtu inferat, & ex hoc maximè coactiva eſſe videatur. Siqvidem tota ea, ſi qva eſt, pœna, non niſi privativa eſt, neqve in effectum deduci poterit, niſi ſuâ ſponte pareat excommunicatus. Si autem ſeſe ingerat iterum de facto cœtui fidelium, non erit poteſtatis Eccleſiaſticæ, qvâ talis, adhibitâ externâ violentiâ eum abigere & manu armatâ repellere, ſed ad contumacem coërcendum, ſi neceſſarium aut opportunum videatur, ad poteſtatem politicam confugere & magiſtratûs opem implorare oportebit. Vid. Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 5. cap. 2. n. 30.* tantum abeſt, ut pœnas Eccleſiaſticas etiam omnium maximas & atrociſſimas ad poteſtatem *ἀναγκαςικὴν* referre liceat.

Apprimè autem notandum eſt, loqvi nos de poteſtate Eccleſiaſtica, qvà tali, qvousqve ſe iſta extendat non de perſonis Eccleſiaſticis, qvippe qvæ & ſpirituali & temporali poteſtate ex inſtituto ſeqvioris Eccleſiæ ſæpè ſunt præditæ. Nec tamen poteſtates illæ propterea confundendæ ſunt. Utraq; ſeorſim ſubſiſtit, qvanqvam non ſemper utraqve ſeorſim, ſed ſpiritualis qvandoqve cum adjumento ſecularis poteſtatis operetur. Poteſtas namq; Eccleſiaſtica abſolutè & in ſe conſiderata imponit pœnam per modum directionis ſeu præcepti; poteſtas civilis infligit eandem per modum coërcitionis. Qvod ſi coërcitio talis acceſſerit ad præceptum Eccleſiaſticum, tota ea poteſtati civili accepta referenda eſt, neqve ex poteſtate Eccleſiaſtica, ut ea jure divino ſe habet, ullo modo derivari poteſt.

Qvæ igitur hodiè extant judicia Eccleſiaſtica, longè alia ſunt ab iis, qvæ antiqvitus fuerunt. Jure enim antiqvo ſublato jurisdictio Epiſcoporũ cœpit eſſe maxima, qvæ illis aliqvando ex benigna & liberali Principum conceſſione atqve indulgentia, haud rarò per invaſionem & violentam uſurpationem acqviſita fuit. Nec qvicqvam adeò contingere potuit, qvod non affectarent judicio ſuo ſubmittere Epiſcopi, tantùm qvod cognitio de poſſeſſione principibus erepta non eſt omninò, non qvod hanc ſibi Ponti-

Digitized by Google

tifices vindicare non tentaverint, ſed qvod Principes ſemper hâc in re habuerint adverſos. Cujac. *ad c. 4. X. qvi fil. ſint legit.* Et ſic igitur ſpeciale forum atqve judicium conſtitutum eſt, qvod Epiſcopale dictum eſt, idqve ſpeciali deinceps jure & proceſſu ex æmulatione Pontificia in odium Imperatorum adornari cœpit.

Meminiſſe tamen oportet, omnem iſtam poteſtatem coactivam, qva utuntur Epiſcopi in ſuis judiciis, partem eſſe poteſtatis ſecularis, & ex hâc veluti decerptam. Ex qvo ſeqvitur, judicia Eccleſiaſtica, ut nunc ſunt, Eccleſiaſticæ poteſtatis terminos notiſſimos excedere, & planè heterogenea eſſe, non provenientia ex poteſtate Eccleſiaſticâ, aut Eccleſiæ propriâ, ſed ex poteſtate politicâ principibus & magiſtratibus propria. Agnoſcit id Jacobus Almainus Doctor Pariſienſis *in lib. de dominio nat. civ. & Eccl. in probat. 2. concl. dum ait:* De ratione poteſtatis Laicæ eſt, poſſe pœnam civilem infligere, ut ſunt mors, exilium, bonorum privatio &c. Sed nullam talem pœnam ex inſtitutione divinâ infligere poteſt poteſtas Eccleſiaſtica, imò nec incarcerare, ut pleriſq; Doctoribus placet, ſed ad ſolam pœnam ſpiritualem extenditur, ut puta excommunicationem; reliqvæ autem pœnæ, qvibus utitur, ex jure poſitivo ſunt. Et Johannes Gerſon *Cancellarius Pariſienſis in tract. de poteſt. Eccleſ. conſid. 4.* Sunt, inqvit, qvi dicunt, pœnam hanc excommunicationis eſſe ultimam, qvam infligere poſſit poteſtas Eccleſiaſtica ex inſtitutione Chriſti ſola primariâ, ſic qvòd non extenditur ad incarcerationem, nec ut aliqvis adjudicetur morti, vel flagello corporali, ſed facit hoc Eccleſiaſticus, dum facit ex conceſſione principum &c. Conf. Roger. Widdrington. *adverſ. Adolph. Schulken. §. 8.* Robert. Abbot. *de ſuprem. poteſt. reg. prælect. 5.* Gisbert. Voet. *polit. Eccleſ. lib. 1. tr. 2. c. 1.*

Hâc ratione Epiſcopis & reliqvis Clericis jurisdictione pollentibus, tanqvam ſubſidis & civibus, non miniſterii nomine aut virtute, non jure aliqvo ſuo, ſed principum voluntate & arbitrio propter bonum publicum Reip. & Eccleſiæ, temporalis aliqva dirimendi cauſas & negocia competit poteſtas, omnisqve eorum adminiſtratio & executio Principis tantùm nomine atqve autoritate ſuffulta eſt, cujus ei tanqvam depoſiti cujusdam rationem reddere, ubi & qvandocunqve reqviruntur, jure ſubjectionis, & dependentiæ tenentur. Ex qvo ſeqvitur porrò, judicia iſtiusmodi & judices ipſos non niſi ex principis voluntate & conſenſu conſtitui debere, cùm interſit utiqve majeſtatis civilis, ſelectos habere eos, qvi in partem regimi-

giminis ſuſcipiuntur. Qvo ipſo corruit decantata illa inter Canoniſtas judiciorum ſingularitas, & ipſa tota Clericorum exemptio.

Nec tamen negamus, ad bonum ordinem tùm in Eccleſiâ, tùm in Rep. facere, ſi diſtincta ab reliqvis ſecularibus & ſingularia conſtituantur judicia, in qvibus & perſonæ Eccleſiaſticæ conveniri qveant, & cauſæ Eccleſiaſticæ diſceptentur. Idqve utiliter poſt reformationem etiam in terris proteſtantium receptum eſt, ita tamen, ut ea ab ipſo principe, cujus eſt territorium, conſtituantur & dependeant. Judicia iſta Conſiſtoria hodiè vocantur, atqve in illis tùm Eccleſiaſtici, tùm ſecularis ordinis homines, judices eſſe jubentur, ut ſcil. amica Theologiæ & Jurisprudentiæ fiat conjunctio, mutuisqve ſtudiis inter ſe ad Eccleſiæ & Reip. ſalutem conſpirent.

Qvod ſi cauſa aliqva, de qvâ diſceptandum eſt, externam tantum diſciplinam & bonum ordinem conſervandum reſpiciat, ſacra verò ipſa & poteſtatem ordinis, uti vocatur, immediatè non attingat, poterit ea à judicibus etiam merè ſecularibus, ſi ita Principi viſum fuerit, decidi. Atq; hinc cum grano ſalis accipiendum eſt, qvod ſcribit Hülſemannus *in breviar. Theol. c. 19. n. 19. dum ait:* Negamus, poſſe provocari à judicio Eccleſiaſtico legitimè conſtituto ad judicium merè civile, ſive ſupremum, ſive ſubordinatum fuerit. Eadem enim qvalitas cauſæ ſeu objecti reqvirit eandem qvalitatem judicis, ad qvotcunqve tribunalia per gradus adſcendatur, &c. In genere de qvibuscunqve cauſis in Conſiſtoriis agitatis ſi verba hæc accipi debeant, repugnat harum terrarum conſvetudo, ſecundum qvam cauſæ matrimoniales, de decimis item & ſalariis miniſtrorum Eccleſiæ, de ſubſelliis in Eccleſiâ, de ſepulchris & cœmiteriis, tùm & aliæ plures externam Eccleſiæ faciem reſpicientes, & ipſæ qvandoqve illæ, qvæ vitam & honeſtatem Clericorum attingunt, qvæqve ſuſpenſionem aut depoſitionem eorundem concernunt, in judicio appellationis ſupremo, qvod ex perſonis tantùm ſecularibus conſtat, diſcutiuntur & determinantur, ut maximè in primâ inſtantiâ ab Eccleſiaſticis judicibus cognitio cauſæ expedita fuerit. Et hæc præmittere ad præſentem materiam viſum fuit neceſſarium.

Ad cap. I.

Habetur idem hic Canon apud Dionyſium Exiguum, tùm & cum verſione Græcâ in codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, qvem edidit Chriſtophorus Iuſtellus, utrobiqve ſub num. 87. immutatis tamen alicubi verbis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Et qvia neqve de materiâ & objecto litigii, neqve de ratione compromiſſi, neqve de fundamento declinatoriæ fori, qvam deinceps objecit reus, qvicqvam invenitur in compilationibus Conciliorum. & ultra duodecim ſecula elapſa jam ſunt, ex qvo negocium hoc in ſynodo tractatum fuit, difficile erit, certam facti ſpeciem inde exſculpere. Nec dubito, majore cum ſubtilitate caſum hodiè ad præſentem textum formari, qvam qvæ convenerit ſimplicitati ejus ſeculi.

Mihi attentiùs verba & totum contextum conſiderandi de tali crimine videtur Epiſcopus poſtulatus, de qvo in utroqve foro diſceptari potuit. Iſtis enim temporibus etiã in foro ſeculari Epiſcopis crimen intentari potuiſſe, patet ex *can. 9. Concilii Carthaginienſis III.* qvem refert Gratianus *c. placuit 11. q. 1.* Et fortean in judicio ſeculari cognitio inſtituta jam fuerat, qvandoqvidem nulla aliàs ratio apparet, qvæ excuſare declinationem judicii ſynodici poſſet. Et qvid opus fuiſſet, ut interrogaretur â Synodo Epiſcopus, utrum vellet judicium iſtud ſuum ſubire, niſi declinare id juſtè potuiſſet? cùm aliàs etiam in invitum ferre ſententiam Concilio licuiſſet. Ut enim ſupervacaneam hanc interrogationem cum Cujacio & aliis Interpretibus ſtatuamus, cauſæ nihil ſubeſt. Poſtqvam igitur perſpectum jam erat accuſatori, parum profici in judicio ſeculari adverſus Epiſcopum accuſatum, maluit ille vindictæ cupidus in Synodali judicio eum peragere, eum ſcil. in finem & cum hâc petitione, ut reus Epiſcopatu privaretur, qvi auferri illi in judicio ſeculari non poterat. Fecit ergò eum accerſiri ad Synodum, & interrogari, num de causâ ſuâ agi vellet in Concilio? Qvod cum ille annuiſſet, alterâ autem die mutatâ ſententiâ recuſaſſet, & ex Synodo diſceſſiſſet, expediri nunc, id qvod petiiſſet, & in contumaciam illi auferri Epiſcopatum voluit accuſator. Sed placuit Concilio excommunicatione potius contumaciam ejus coërcere, & iniqvum habitum fuit, adimi Epiſcopatum, anteqvam Epiſcopus reus criminis, de qvo poſtulatus eſt, peractus fuerit.

Hæc videtur mihi ſimpliciſſima hujus capituli ſententia & hæc facti ſpecies. Petrus Barboſa *ad l. 1. ff. de judic. art. 3. n. 97.* poſt alios format caſum de Epiſcopo, in qvem Synodus qvidem mero jure habuit jurisdictionem ordinariam, ſed qvam ille propter privilegium declinare potuerit. Alii de prorogatione jurisdictionis plurima à ſe congeſta Lectori obtrudunt, ſed qvæ hujus loci eſſe non videntur. Optimè verò ſpeciei noſtræ congrüit axio-

Digitized by Google

axioma, qvod veluti ſummam hujus capituli proponit Gloſſa: Pactum de non declinando judice aliàs ſuo, qvi exceptione legitimâ repelli poterat, eſſe irrevocabile.

Cæterùm duæ hîc deciduntur qvæſtiones: Prima, utrum revocari poſſit pactum altera parte invita, qvo in judicem compromiſſum fuit? Secunda: utrum ſi non comparuerit reus in tali judicio, definitivè cauſa decidi qveat? Utraqve negatur, ſecunda qvidem explicitè; prima autem implicitè, & per coërcitionem contumaciæ commiſſæ.

Prioris qvæſtionis ratio dubitandi peti poteſt *ex l. 18. ff. de juriſdict.* ubi pœnitentiæ locus relinqvitur, ſi convenerit, ut alius prætor, qvàm cujus juriſdictio eſſet, jus diceret. Neqve videtur adſtringi ita debere arbitrium rei, ut nudo pacto, nullâ interveniente expreſſa renunciatione juris ſibi alioqvin competentis, juriſdictioni declinabili ſe ſubjeciſſe dici qveat.

Ratio decidendi eſt, qvia mutuo conſenſu compromiſſum eſt in judicem, ex qvo jus alteri parti acqviſitum fuit, qvod ipſi invito auferri non debet. Accedit, qvid jam aditus fuerit judex compromiſſarius. Et hæc aditio facit, ut ne qvidem de jure civili immutari poſſit conventio, uti diſertè dicitur *in d. l. 18.* Etſi n. qvi ſimpliciter extra judicium in alium judicem conſenſit, de jure Civili ſententiam mutare impune qveat, ſi tamen aditus is judex fuit, integrum id compromittendi amplius non eſt. Vid. Vinnius *de juriſdict. c. 11. n. 5. & 6.* Hahn. *ad Weſenbec. de juriſdict. in fin.*

Poſterioris qvæſtionis ratio dubitandi eſt, qvia contumacia eorum, qvi jus dicenti non obtemperant, litis damno coërcetur. *l. 53. ff. de re jud.* Atqve hoc locum habet, cùm ideò qvis condemnatur, qvod nullatenus ſe defenderit, litemqve deſeruerit, qvam idcircò amittit. Ant. Perez. *Cod. qvom. & qvand. jud. ſent. proferr. deb. n. 4.* Cui accedit, qvod in præſenti caſu reus mutata ſententia, judicium, in qvod conſenſerat, agnoſcere noluerit. Sic autem jus eſt, ut Reus citatus expreſsè dicens, qvod nolit venire ad judicium, ſine ulteriori citatione condemnari in causâ principali qveat. Sig. Scaccia *de judic. lib. 1. c. 88. n. 13.* Et hac ratione contra abſentes ſæpe judicatum fuiſſe refert Annæus Robert. *rer. jud. lib. 1. c. 10.*

Ratio decidendi eſt, qvod iniqvum ſit, adimi Epiſcopatum, anteqvam Epiſcopus fuerit peractus reus criminis, qvo poſtulatus eſt. Et qvia criminalis fuerat inſtituta actio ad pœnam tendens, non utiqve eadem pœna puniri debet contumacia, qva puniri deberet crimen, ſi probatum fuiſſet.

In

Digitized by Google

In contumaciam ergo excommunicatio tantum decernitur, & reus extra communionem Eccleſiæ eſſe tamdiu jubetur, donec cauſa principalis terminata fuerit. Effectus eſt, ut cauſam ipſe ſuam qvantocyùs terminari faciat, ſive in Synodo, in cujus judicium ipſe compromiſerat, ſive in judicio ſeculari jam cœpto, de qvo ſupra dixi. Qvò pertinere videntur verba, qvæ habentur in matrice & vetuſtioribus compilationibus: *donec cauſa ejus, qvalem potuerit, terminum ſumat.* Qvalem *potuerit*, h. e. ut ego interpretor, *qualicunq;* judicio, ne præventionis exceptio illi adempta videatur.

Ex *l. 53. ff. de re jud.* qvod objectum fuit, id Franciſcus Duarenus reſtringit ad edictum de eo, qvi jus dicenti non obtemperaverit, nempe ſi adeò perſeveraverit in contumacia ſua, ut qvod extremum eſt in jurisdictione, non fecerit. Id qvod plenius explicat *l. 1. diſput. anniverſ. c. 50.* Simpliciter magis Mornacius ad iſtam legem, ejus ſententiam amplius non eſſe in uſu. Qvod autem annexum fuit de eo, qvi, poſtqvam citatus fuit, venire ſe nolle, expreſsè dixerit, id rigoroſum nimis videtur, ſi illicò in cauſa principali condemnari debeat, nec idcircò uſu receptum eſt. Vid. Andr. Scheffer *quaſt. 6.* Carpzov. *in proceſs. tit. 8. art. 3. n. 6.*

Ex concilio Africano] Ad Milevitanum I, qvod anno CCCCII. habitum fuit, refert Severinus Binius *tom. 1. Concil. p. 591.* & ex eo Franciſcus Longus a Coriolano *in ſumm. concil.* Sed qvia Milevitana civitas Africæ locus fuit, inde ipſum qvoqve, qvod iſthic celebratum fuit, concilium, Africanum dici potuit. Cæterùm de Africanis iſtis conciliis & ut ordine ſuo luxata fuerint, videri poterunt Chriſtophorus Juſtellus *in præfat. ad Cod. Can. Eccleſ. African.* Gerh. Joh. Voſſius *in hiſtor. Pelag. lib. 1. cap. 45.* Georg. Calixt. *de conjug. Cler. pag. 283.*

De Qvodvultdeo] Antonius Auguſtinus *in not. ad hunc textum in pr. compilat.* magis probat lectionem: *de Qvodvultdeus*, ut per omnes caſus eadem terminatione pronuncietur, ut DEUS dedit, & gloria Patri. Nomen iſtud non infreqvens fuit apud Africanos. Et alterius qvoqve Qvodvultdei, Epiſcopi ſcil. Verenſis, fit mentio in Conciliis Africanis. Scripſit etiam Auguſtinus de hæreſibus librum ad Qvodvultdeum Diaconum. Nomen ita compoſitum eſt, uti Deodatus, Theophilus, Theodorus, apud nos, Gotthelff/ Gottfried/ Gottlieb/ Gottlob &c. Nomina ſæpè ex acci-

cidenti formantur & imponuntur, qva de re videri poterit Richardus Montacutius *de orig. Eccleſ. part. 1. pag. 84. ſeqq.* Thom. Reineſius *var. lect. lib. 2. cap. 16.*

qvem cum adverſarius] ſenſum horum verborum expreſſimus in formatione casûs, & per antiptoſin caſum pro caſu hîc poſitum notat gloſſa: *qvem*, pro *qvi*,

interrogatus] Colligit hinc Auguſtinus Barboſa *ad h. l.* non ſimplici pacto promiſſionem factam fuiſſe, ſed ſolennem interceſſiſſe ſtipulationem, qvia ſcil. ad interrogationem præviam ſecuta fuerit reſponſio. Sed enim imbecillem eſſe hanc collectionem patet *ex l. 7. §. 12. de pact.* Nec diſceſſisſet forte. Qvodvultdeus â conventione, ſicubi arctiori ſtipulationis vinculo eam munitam credidiſſet.

experiri] h. e. contendere. Qvi enim judicio contendunt, illi, qvod juris ſe habere perſvaſum habent, tentandi & experiundi cauſa, qvantum id valeat, exponunt.

donec ſatisfactione præmiſſa] Hæc verba non habentur in antiqvâ decretali, ſed â Raymundo compilatore Greg. IX. ex jure novo addita fuerunt. In antiqva decretali ſic legitur: *donec cauſa ejus, qvalem potuerit, terminum ſumat*. Sic n. jus erat, ut excomunicatus non abſolveretur, anteqvam cauſa principalis finita fuiſſet, ante diſcuſsum crimen, cujus reus poſtulabatur. Sed jure noviori excommunicatus ob contumaciam abſolvitur ſtatim, ſimulatqve ſatisfecerit, præſtitâ ſcil. cautione judicio ſiſti, qvæ cautio pro ſatisfactione eſt *c. 23. X. de V. S.*

Ex hoc textu infertur, & notatur I. ad valorem citationis reqviri, ut fiat autoritate judicis ad inſtantiam partis. *l. 68. ff. de judic.* Andr. Gail. *1. obſ. 50.* Carpzov. *in proceſs. tit. 7. art. 1. n. 28.*

II. Per conventionem & conſenſum in judicium novum tacite renunciatum videri judicio priori, & litis pendentiæ. Et hinc tradunt cautelam Doctores ſicubi qvis velit excludere adverſarium, ab exceptione declinatoriâ fori aut litis pendentis, ut eum faciat per judicem interrogari, an in ſuo judicio velit litigari, aut etiam ut paciſcatur ipſe cum eo de agnoſcendo tali judicio. Hac enim ratione teneri eum ex conſenſu deinceps litigare coram hoc judice. Aug. Barboſ. *ad h. t. n. 5.* Matth. Coler. *de proceſſ. execut. lib. 1. c. 10. n. 226. ſeq.*

Digitized by Google

III. Primam criminum, de qvibus Epiſcopus incuſabatur, cognitionem pertinuiſſe ad ſynodum provinciæ; Si verò de injuſto ejus judicio qverela moveretur, devolutam fuiſſe cauſam ad Synodum diœceſanam. Vid. Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 7, c. 5, n. 3.*

IV. Contumacem eſſe non illum tantùm, qvi non comparet, ſed etiam qvi comparet, & non obedit, aut ſine judicis licentiâ recedit *c. certum eſt 11. q. 3.*

V. Non facilè qvem jure ſuo privari debere, niſi cauſa exactè cognita. Hodiè tamen ob extremam contumaciam præcedente ſententia comminatoriâ excludi aliqvem, non videri iniqvum.

VI. Cautionem judicio ſiſti utiliter ſæpè adhiberi, non in civilibus tantùm cauſis, ſed etiam criminalibus, atqve hodiè illi maximè locum eſſe, ubi delinquens eſt fugitivus, atq; is ſalvum conductum petierit.

Ad c. decernimus 2.

In hoc canone fundamentum continetur & primum principium tyrannidis papalis. Idqve in hoc conſiſtit, qvod Laici, qvantæcunqve ſint poteſtatis, ab omni regimine Eccleſiaſtico, ſive de perſonis, ſive de rebus qvæſtio incidat, excludantur. Sic enim Eccleſia, & qvicqvid ad eam qvovis modo pertinet, ab omni jurisdictione ſeculari eximitur, ut nefas dicant Canoniſtæ, ſi qva poteſtas terrena rebus Eccleſiaſticis manum admovere, aut de illis leges conſcribere velit. Theoph. Raynaudus *de coron. aur. Pontif. p. 353.* Atqve hinc protervè admodum atqve præſumptuosè Innocentius X. Papa articulos pacis Monaſterienſis atqve Osnabrugenſis, qvæ de religione ac rebus Eccleſiaſticis agunt, irritos, nullos, iniqvos & per non habentes poteſtatem temerè contractos pronunciat.

Ut facti ſpeciem aliqvam hîc, ſollicitè nimis inveſtigemus aut fingamus, neceſſe non eſt, cùm indefinitè & generaliter per modum conſtitutionis aut canonis Eccleſiaſtici decretum proponatur, Laicos non debere tractare negocia Eccleſiaſtica, neqve prælatos vel conſilio vel autoritate Laicorum in rebus Eccleſiaſticis uti debere.

Ratio dubitandi eſt, qvia non tantùm uſi fuerunt hâc poteſtate principes Chriſtiani in rebus Eccleſiaſticis, uti ex plurimis Imperatorum conſtitutionibus etiamnum extantibus ad oculum patet; ſed etiam in rebus Eccle-

Digitized by Google

cleſiaſticis regimen ipſo jure eis, qvatenus principes ſunt & majeſtate pollent, competere videtur. Summum n. imperium tàm amplum eſt, ut ſacrorum etiam regimen contineat, & niſi contineat, ſummum eſſe neqveat. Accedit, qvod jure etiam divino utriusqve tabulæ cuſtos conſtituatur Magiſtratus, ut adeò difficile ſit hanc ei in Eccleſiâ poteſtatem & circa res Eccleſiaſticas regimen denegare, aut prorſus tollere.

Ratio decidendi eſt, tùm, qvia Principes in Eccleſia in numero ovium ſunt, non paſtorum, ut adeò illis in talibus neceſſitas obſeqvendi, non autoritas imperandi competat, tùm qvod jure etiam divino Principi in rebus ſacris nullibi aliqvod jus aſſertum legatur, ut potius contrarium inde adſtrui qveat, uti comprobatum ſe dediſſe putat Antonius Capellus *adverſus Regem Angliæ controverſ. 2. cap. 6.*

Fatendum eſt, multo fortiores eſſe rationes dubitandi, qvam decidendi, ſi memineris, competere Principi ſuperioritatem in Eccleſiâ, non verò in Eccleſiam, in divinorum ordinem, non in ipſa divina, habere eum poteſtatem externam, non internam, Danhauer. *in lib. conſcient. part. 2. dial. 3. qvæſt. 5.* Enimverò competit Principi cuiqve ſummo, qva talis eſt, abſtrahendo ab religionis qvalitate, uti circa profana, ſic etiam circa ſacra poteſtas legislatoria, & jure proprio quidem, non aliunde aut ex conceſſione alterius, uti hodierni nugantur Canoniſtæ. Et hac poteſtate uſi ſunt principes omnium optimi & Chriſtianisſimi, uti multis exemplis id oſtendit Carolus Molinæus *ad edictum Henrici II. contra parvas dat. pag. 21. ſeqq. & de monarch. Francor. n. 98. ſeq.* Benign. Milletot. *de delict. commun. p. 78. ſeqq. Add.* Joh. Bedæus *in jur. reg. contr. Bellarm. per tot.* Franciſc. Florens *in diſſertat. cap. 2. pag. 36.*

Ex Synodo Eugenii Papæ] Synodum hìc intelligunt Rhemenſem, habitam ſub Eugenio II. Sed cum de ea Synodo nihil certi conſtet, & apud Rhemos ſub Eugenio III. qvod habitum fuit concilium, multo celebrius & notius ſit, magisqve ſeculi illius moribus canon hic, qui ex Hildebrandi ſive Gregorii VII. dictalibus profluxiſſe videtur, conveniat, malim ego recentiori illi decretum hoc tribuere, cùm & Severinus Binnius in notis marginalibus, poſtqvam vitam Eugenii II. deſcripſiſſet, decreta iſta quæ recenſet, ad Eugenium III. magnâ ex parte ſpectare, ſtatuat. Vixit autem Eugenius II. circa annum DCCCXXIV. Eugenius III. circa annum MCXLVI.

Digitized by Google

ille ante, hic poſt Hildebrandum. Et habita fuit Synodus Remenſis anno MCXLVIII.

Archiepiſcopi] Ordo Scripturæ exigit, ut hîc legatur Archidiaconi.

Prælati] Prælatus, ſi ſtrictè ſumatur, ille tantùm intelligitur, qvi habet jurisdictionem contentioſam: latè acceptus comprehendit Epiſcopos, Abbates, Priores, Archi-Presbyteros, Archidiaconos, usq; ad ſimplicem curatum. Barth. Carthagena *ad tit. de ſuppl. negl. prælat.*

ſpiritualia] Latius hæc extendunt Canoniſtæ, qvam res ipſa admittit, uti videre licet apud Guil. Redoan. *de Simon. part. 1. c. 4.* Res enim ſpirituales (non Spiritus ipſi, ſed ad Spiritum pertinentes) propriè & eſſentialiter ſunt gratia Dei, verbum Dei, virtutes &c. Vid. Car. Molinæus ad *SCt. Franciæ contr. abuſ. Pap. n. 37.*

Ex hoc capitulo unicè id inter notabilia referri poteſt, ſi tamen ab exemplo planè incongruo & erroneo id inferre licet, jurisdictiones, qvæ limitatæ ſunt, non eſſe confundendas, nec poſſe adeò judicem extra limites ſuos cauſam ad ſe non pertinentem decidere, aut ſi id fecerit, actum pro nullo haberi. *Vid. quæ dixi in dicaſtice concluſ. 11.* Qvod verò addit Pontifex, propter Laicorum prohibitionem non debere Epiſcopos ab Eccleſiaſticæ jurisdictionis exercitio ceſſare, id in Regno Galliæ difficulter obtineri refert Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 4. c. 21. n. 5.* neqve habere putat Epiſcopos, cur acqvieſcere nolint, qvandoqvidem non per curias tantum, ſed per ipſum etiam Principis Conſilium ſacrum ex Clericis & Laicis compoſitum ſufficienter eis proſpectum ſit, qvod prolixè in capitibus antecedentibus exeqvitur.

Ad c. qvanto 3.

Hiſtoria temporis, qvæ huic decretali occaſionem ſubminiſtravit, prolixè exponitur *in hiſtor. de antiq. Britannicæ Eccleſiæ ſub Thoma Cantuarienſi, p. m. 133.* & apud Franciſcum Godwinum *de præſul. Angl. in vit. ejusd. Thomæ.* Nempe fuit hic Thomas Henrico II. Regi Angliæ ab initio chariſſimus, tantæq; exiſtimationis, ut Regni totius Cancellarius conſtitueretur; Sed poſtqvam ille, Rege id enixè cupiente, Archi Epiſcopus deinceps Cantuariæ electus & conſecratus fuiſset, ipſum inter & Regem circa fines Eccleſiaſtici & politici regiminis tantæ mox exortæ fuerunt contentiones, qvantæ antehac in Regno Britanniæ extiterant nullæ. Cumqve Rex, ut flagitia Clericorum propter exemptionem qvotidiè ingraveſcentia compeſceret, priſtinas

Digitized by Google

nas Regni regiasqve conſvetudines ab Henrico I. avo ſuo collectas & repetitas, ab omnibus regni incolis & ipſo qvoqve Clero obſervandas propoſuiſſet, annuit primum Thomas cum ſuffraganeis ſuis, ſed facti mox pœnitens ab Alexandro III. Pontifice ſacramenti vinculo & promiſſione ſolutus fuit, ut eo liberius Regi reſiſteret. Inter conſvetudines iſtas una fuit, cujus hîc fit mentio, de Eccleſiarum jure patronatus, de qvo ſi controverſia exorta fuiſſet, terminari eam in ſuis judiciis voluerat Rex, ſibi vero propriam eam vindicaverat Archi Epiſcopus. Pontifex cùm eâ de re certior factus fuiſſet, Archi Epiſcopi cauſam tuetur, & de jure patronatûs controverſias non niſi in Eccleſiaſtico judicio decidi debere contendit, Regemqve, ut ab inſtituto deſiſtat, cum increpatione admonet.

Ratio dubitandi eſt, qvia jus patronatus ex proprio patrimonio comparatum jus ſeculare eſt & Laicale, Laicis etiam competens, & in gratiam Laicorum, uti videtur, primitùs introductum Vid. Anton. Bengeus & Franc. Piaſſon. *de benef. tit. de oner. Eccleſ.* §. 1. & in hoc ſolo conſiſtit, ut defuncto Rectore Eccleſiæ alius à patrono in ejus locum nominetur & offeratur Epiſcopo, qvæ oblatio ſive præſentatio, uti vulgo dicitur, ſpirituale nihil continet. Ea propter inter antiqvas Angliæ conſtitutiones, ad qvas provocaverat Henricus II. Rex, hoc inter alia referente Matthæo Paride, legebatur capitulum: *De advocatione & præſentatione Eccleſiarum ſi controverſia emerſerit inter Laicos, vel inter Clericos, vel inter Laicos & Clericos, in curia Domini Regis tractetur, & terminetur.*

Ratio decidendi eſt, qvia cauſa juris patronatus conjuncta eſt & connexa ſpiritualibus cauſis. Sive, uti perſpicuè magis id explicant Doctores, qvia jus iſtud ad ſpiritualia ordinatum eſt, qvatenus ſcil. rem ſpiritualem, qvæ per officium Eccleſiaſticum peragitur, antecedit. Joh. Azor. *inſtitut. moral. part. 2. lib. 6. c. 19.* Propter connexitatem igitur hanc non poſſe alibi, qvàm in judicio Eccleſiaſtico controverſias de jure patronatûs exortas definiri, reſpondet Pontifex.

At verò cùm jus etiam pleno jure conferendi vel electionem confirmandi ſeu ratam habendi ſpectet ad politiam & externam poteſtatem Eccleſiaſticam, & hæc pars ſit politiæ Regiæ, uti alibi comprobavimus, nec qvicqvam inſuper in jure patronatûs inveniatur, qvod non ad externam ejus-

Digitized by Google

modi poteſtatem principibus competentem pertineat, male utiq; hinc excludetur judicium Regium. In noſtris hiſce provinciis, ſi controverſia aliqva circa jus patronatus oborta fuerit, apud judicem quidem Eccleſiaſticum prima ejus in Conſiſtoriis inſtituitur cognitio, ut tamen ſi ad judicium appellationis cauſa ea devoluta fuerit, pro incompetente iſtud haberi neqveat, ut maximè ex meris Laicis conſeſſus iſte conſtet.

illuſtri Regi Angliæ] Hoc titulo nullus major olim in imperio Romano, atqve hinc Reges Galliæ etiam qvi potentiſſimi erant, illuſtres dicebantur. Vid. Hier. Bignon. *ad Marculf. form. lib. 1. cap. 29.*

& infra] Verba ulteriora hæc ſunt: *Qvanto te divinâ gratiâ, ſummaq; providentia majoris gratiæ privilegio decoravit, tanto viros religioſos majori debes charitate diligere, & in juſtitiis ſuis manutenere propenſius, & fovere. Cauſa verò &c.*

juris patronatus] qvod ita dicitur ad exemplum juris patronatûs jure civili introducti. Qvi enim ſervum manumiſit, dominus ejus eſſe deſinit, retinet tamen in eum jus patronatus: Sic etiam, qvi ex bonis ſuis fundavit aut dotavit Eccleſiam. Franc. Duarenus *l. 5. de ſacr. Eccleſ. miniſt. c. 4.*

Ex hoc capitulo obſervandum id unicè eſt, cauſam juris patronatus Eccleſiaſticam eſſe, & in judicio Eccleſiaſtico ventilari debere. Finkelthauſ. *de jur. patron. c. 8.* poſitis ſcil. terminis habilibus, ubi nempe judicia iſtiusmodi Eccleſiaſtica inſtituta ſunt, id qvod in arbitrio Principis eſſe, diximus ad rubricam. Qvod ſi verò Princeps in judicio ſeculari ab Viris ejus rei peritis terminari talem cauſam velit, nihil omninò obſtare, qvo minus id fieri licitè qveat.

Ad c. at ſi Clerici 4.

Notabile eſt hoc caput ad inferendum illud, quod non omnis in qvocunqve judicio convictus aut confeſſus condemnari debeat, ſed ille tantùm, qvi apud judicem competentem convictus aut confeſſus fuerit. Pone caſum: Titius Clericus in judicio ſeculari de crimine poſtulatus & peractus eſt, numqvid condemnari propterea ab judice ſuo Eccleſiaſtico poterit? Negat Pontifex, & nec de confeſſo qvidem id admittit.

Ratio dubitandi eſt, qvia confeſſus pro judicato eſt, & ſuâ qvodammodo ſententiâ damnatur *l. 1. ff. de confeſſ.* & nullæ ſunt partes judicandi in confitentes *l. 25. §. 2. ff. ad L. Aqvil.* atq; hinc confeſſio facta in uno judicio probat etiam in alio contra confitentem. Tabor *ad Barboſ. axiom. l. 3. c. 44. n. 8.*

adeo-

Digitized by Google

adeoqve condemnari poterit delinqvens ex ſuâ confeſſione, etiamſi talis confeſſio facta fuerit in proceſſu de jure invalido & nullo. Anton. Gomez *l.3.reſol.c.12.n.8.*

Ratio decidendi eſt, qvia confeſſio facta eſt coram judice in competente & improrogabili, uti loqvitur Alvarus Valaſcus *conſultat. 65.n.5.* qvalis eſt ex jure Canonico judex ſecularis qvoad clericum. Sicut enim, inqvit Pontifex, ſententia à non ſuo judice lata non tenet: ita nec facta confeſſio coram ipſo. Et qvod non valeat talis ſententia, utroqve jure conſtitutum eſt, *l.fin.C.ſi à non comp.jud. c.3.X. de conſvetud.* Si igitur in civilibus cauſis, qvæ coram in competente judice acta ſunt, non valent, multo minus valere poſſunt, qvæ in criminalibus apud incompetentem geſta ſunt. Tanto certè minus, qvanto magis in criminalibus cavendum, ne innocens condemnetur: Ant. Matthæus *de crimin.tit. de qvæſt.c.1.n.*7. ubi, qvam ex Gomeſii ſententiâ adduximus, doctrinam ſimul perſtringit, qvam tamen alii admittunt hactenus, ſi nullus ex jurisdictione, ſed ex alio aliqvo capite allegetur defectus, qvi proceſſum invalidum reddat. Valaſc. *d.l.* & ipſe Gomez *d.l.* Ex contrario infert Pontifex, Clericum apud ſuum judicem convictum aut confeſſum jure ab eo puniri, non aliâ tamen, qvàm pœnâ canonicâ & hanc ipſam etiam, ſi minora fuerint crimina, per diſpenſationem remitti poſſe.

Circa diſpenſationem tamen moveri poſſet illud, qvod judici inferiori, qvalis eſt Epiſcopus, non competat jus diſpenſandi, qvandoqvidem diſpenſatio nihil aliud eſt, qvàm relaxatio legis publicâ autoritate facta, & æqvè latè patet cum poteſtate legislatoriâ. Niſi ergò poteſtatem legislatoriam aut canonis conficiendi tribuerimus Epiſcopo, vix erit, ut diſpenſandi poteſtatem ei tribuamus. Et qvomodo poterit diſpenſare is circa pœnas, qvæ vel â conciliis, vel ſuperioribus aliis conſtitutæ ſunt? cùm inferiori in ſuperiorum placitis nihil omninò liceat.

Sed enim, uti facilis eſt Pontifex in diſpenſationibus ſuis, ita etiam Epiſcopis talem poteſtatem limitatam licet & reſtrictam competere voluit. Et hac ratione Epiſcopus ex conceſſione ſibi factâ diſpenſat, qvandocunqve diſpenſat, ut tamen aliqva nihilominus à delinqventibus peragatur pœnitentia ab Epiſcopo injuncta, quæ pœnæ vicem ſubeat.

Tandem addit Pontifex non debere qvemlibet depoſitum judici ſeculari tradi, eum ſcil. in finem, ut ſupplicio afficiatur.

Ratio

Digitized by Google

Ratio dubitandi eſt, qvia qui deponitur, ſive uti verba antecedentia habent, ab altaris miniſterio perpetuo removetur, indignus videtur, ut privilegio Clericali amplius fruatur.

Ratio decidendi eſt, qvia Epiſcopus jam functus eſt ſuo officio & deſinit eſſe judex in ea cauſa *l.55. ff. de re jud.* Nec debet inſuper qvisqvam duplicem pœnam aut afflictionem ſuſtinere. Neqve adeò qvi removetur ab officio, illicò jurisdictione excidit.

Ex eo autem, qvod dicit Pontifex, non debere qvemlibet depoſitum ad judicium ſeculare tradi, conſeqvitur, aliqvem talem tradi poſſe. Triplicem nempe faciunt Doctores remotionis gradum. Infimus dicitur ſuſpenſio, qvando Clerico ad tempus inhibetur exercitium ordinis. Medius eſt depoſitio, qvæ eſt perpetua muneris Clericalis privatio. Summus eſt degradatio, qvâ Clericus in Laicorum numerum refertur, & non dignitatibus tantùm & honoribus, ſed etiam privilegiis & ordinibus ſacris exuitur, ſecundum formam *c. 2. de pœn. in 6.* præſcriptam. Cum in primo & medio gradu ſalvus maneat ordo, ſalva etiam privilegia Clericalia. Summum ergò iſtum gradum unicè intelligunt Canoniſtæ, qvando tradi volunt delinqventem judici ſeculari, & in tribus tantùm caſibus locum habere aſſerunt, ob crimen ſcil. hæreſeos *c. 9. X. de hæret.* crimen falſi literarum Apoſtolicarum, *c. 10. X. de crim. falſ.* deniqve ob calumniam & contumeliam gravem proprio Epiſcopo illatam *c. ſi qvis ſacerdotum 11. q. 1.* In reliqvis criminibus omnibus, qvantacunqve illa perpetrentur, nullam relinqvunt judici ſeculari poteſtatem puniendi, adeò ut neqve Sodomiæ crimen committentem excipiant, niſi id exercuerit cum freqventiâ actuum. Andr. Vallenſ. *ad tit. de ſentent. excommun. §. 14. n. 5.* Qvàm indignè verò Clericale fori privilegium in criminibus extendatur, plenius explicabo infra *ad c. 10. h. t.* Nunc illud tantum juſtam in hoc capitulo meretur cenſuram. 1. qvod ſecularis judicis poteſtas prorſus excludatur in puniendis criminibus Clericorum, qvodqve judex talis pro incompetente habeatur. 2. qvod nimium hodiè indulgeatur diſpenſationibus in foro Pontificio, adeoqve minus dignè animadvertatur in facinoroſos Clericos. 3. qvod nimium reſtringatur & coarctetur poteſtas extradendi clericos ad forum ſeculare. Et hoc tertium ex primo ſuam habet originem. 4. Qvod in atrociſſimis delictis non aliâ qvam Canonicâ aliqvâ pœnâ afficiantur Clerici. Qvæ omnia plenius intelligentur ex iis, qvæ *ad d. c. 10. infra* dicturi ſumus.

ali-

Digitized by Google

aliqvatenus] Verbum hoc omnem excludit pœnam, etiam mitiorem, & omnem adeò ſententiam condemnatoriam.

in jure] Utitur hîc Pontifex idiomate juris civilis, qvo fieri in jure propriè dicitur illud, qvod non fit, coram judice pedaneo, ſed coram ipſo magiſtratu & apud prætorem. Jure enim veteri interrogationes & reſponſiones atqve hinc natæ confeſſiones fiebant in jure, h. e. apud magiſtratum populi Romani, vel præſides provinciarum. Sed Pontifex per hanc phraſin intelligit judicium qvodcunqve, qvod tamen jure Romanorum non niſi extra ordinem apud Magiſtratum peragebatur,) planè ad mentem Juſtiniani, ex cujus interpolatione addita *in l. 4. §. 1. ff. de interr. in jur. fac.* creduntur verba: *vel judicandi.* Vid. Franzk. *ad d. tit. n. 8.* Bernh. Suthold. *de jurisdict. n. 296.* Frid. Hiltrop. *in proceſſ. part. 3. lit. 17. n. 4.*

Confeſſi ſunt] Contra ſe ipſos, ita ut confeſſio eis damnoſa ſit. Qvod enim qvis confitetur in ſui favorem, id non attenditur *l. 7. C. de probat.*

De adulteriis verò] Pontifex hîc adulterium inter minora aut leviora refert crimina, qvod tamen Imperatores inter ſæviora connumerant, *l. 7. Cod. Theodoſ. de indulg. crim.* & Ulpianus inter graviora, *tit. de dotib. §. 9.* uti ipſe etiam facit ex ſententiâ Clementis Gratianus *in c. qvid in omnibus 32. q. 7.* Et licet Hieronymus Fernandez de Ottero neget, ex his verbis probari poſſe, adulterium inter minora crimina computari, & hunc inde exſculpat ſenſum Epiſcopum diſpenſare poſſe in adulterio, qvod gravius eſt, & in aliis criminibus, qvæ gravia qvidem & ipſa ſint, minora tamen adulterio, apud Auguſtinum Barboſam *ad h. t. num. 10.* rectè tamen notat Cujacius non ſine calumniâ excuſari hunc Papæ lapſum poſſe. *Add.* Ant. Matthæ. *de criminib. in prolegom. c. 4. n. 4.* Enimverò egit in verbis antecedentibus Pontifex de criminibus talibus, qvæ propter gravitatem ſuam ſuſpenſionem vel depoſitionem merentur. Nunc verò agit de iis, in qvibus liberior eſt Epiſcobo poteſtas diſpenſandi, qvæ utiqve leviora eſſe neceſſe eſt; & inter hæc numerat adulterium.

poſt peractam pœnitentiam] arbitrio Epiſcopi injunctam. Pœnitentiæ enim vocabulo ſæpiſſimè utuntur Canoniſtæ pro cenſurâ ſive pœnâ injuncta.

diſpenſare] Qvod legibus ſolvere, aut juris gratiam facere ſeu veniam concedere dicunt juris civilis autores, id vocabulo diſpenſandi ſignificatur apud Pontificii juris interpretes. Anton. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de benefic. tit. de diſpenſ. Eccleſ. n. 5.*

Digitized by Google

non debet qvemlibet] Ergò aliqvos poteſt tradere judici ſeculari, uti ſuprà dixi e. g. qvi circa literas Papæ falſum commiſerunt. *c. 7. X. de crim. falſ.* item hæretici *c. 13. X. de hæret.*

cum ſuo ſit functus officio] ſumptum hoc eſt ex *l. 55. ff. de re jud.* Sic etiam arbiter poſtqvam condemnavit vel abſolvit reum, arbiter eſſe deſinit *l. 19. §. f. ff. de recept. arb.* Functus ergò officio ſuo dicitur tum, qvando per ſententiam condemnavit vel abſolvit.

nec duplici] ne duplex fiat in caſu eo, qvo traditio ad judicium ſeculare locum habet, jubetur degradatus illicò & uno qvaſi contextu poteſtati ſeculari præſenti dari aut tradi *c. novimus 27. X. de V. S.*

Notandum hìc I. Condemnari non poſſe reum, niſi convictus aut confeſſus fuerit. Præſumptiones enim non ſufficiunt, niſi violentæ illæ fuerint ac urgentes, & qvidem in levioribus delictis tantùm, ad pœnam mitiorem decernendam. *Vid.* Carpzov. *pr. crim. part. 3. q. 116. n. 51. ſeq.*

II. Nec ſufficere confeſſionem, niſi conſtet de corpore delicti. Hartm. Piſtor. *obſerv. 33.* Poteſt enim qvis mortis cupidine magis, qvàm facinoris conſcientiâ ductus, crimen confiteri *l. 1. §. 17. & 27. ff. de qvæſt. l. 6. ff. de appell. Vid.* Anton. Mornac. *ad d. l. 1.*

III. Confeſſionem coram judice incompetente factam ad condemnationem nihil omninò proficere. Ad condemnationem, inqvam. Valebit enim illa, ut extrajudicialis, Udalric. Zaſ. *ad l. 1. ff. de confeſs. n. 4.* adeò ut ea indicium faciat ad torturam, etiamſi confeſſus fuerit Clericus. Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. qvæſt. 21. n. 34.* Diſtingvit verò Joh. Jac. Wiſſenbach. *ad tit. de confeſſ. n. 17.* inter judicia civilia & criminalia, qvod in illis, non verò in his præjudicet talis confeſſio.

IV. Sententiam â non competente judice latam litigatores non ſtringere, *l. f. C. ſi à non comp. jud.*

V. Inter delictum eſt pœnam debere intercedere proportionem.

VI. Idem delictum duplici pœnâ coërceri non debere. *l. 41. ff. de pœn.*

VII. Licere judici in delictis levioribus aliqvando connivere aut mitiorem pœnam decernere.

VIII. Diſpenſandi poteſtate nimium ſæpè abuti non Epiſcopos tantùm, ſed ipſum etiam Papam. *Vid.* Franciſc. â Victoria *Relect. 4. n. 11. 12.* De latitudine talis poteſtatis prolixè agunt Alphonſus Alvarez Guerrerus *de jur. Pontif. Imp. Reg. cap. 17.* Paul. Piaſec. *in prax. Epiſc. part. 1. cap. 1. n. 56. ſeq.*

Ad

Digitized by Google

Ad c. cæterùm 5.

Præmittendum hîc, jurisdictionem dominio feudali conjunctam eſſe, atqve eam cuicunqve domino, ſive nobilis ſit ſive ignobilis, competere, non qvidem ex conſenſu partium, ſed ex lege, & diſpoſitione juris. Etſi enim aliàs ejusmodi perſonæ jurisdictionem nullam habeant, *l. 3. C. de juriſdict. omn. jud.* aliud tamen eſt in feudis, ubi jus feudale domino in controverſiis feudalibus inter vaſallos motis generaliter jurisdictionem tribuit, *2. F. 15. vid.* Struv. *exerc. feud. 16. num. 4. & 5.* Ludwel *Synopſ. jur. feud. cap. ult.* Sed qvia tùm litigantes, tùm ipſæ cauſæ feudales diverſimodè ſe habent, ipſum etiam tale judicium ita comparatum non eſt, ut omnes promiſcuè recipere qveat, ſed remittendæ ſunt nonnullæ ad judicem ordinarium, aliqvæ ad pares Curiæ, prout cujusqve qvalitas & conditio exigit. Schrader. *de feud. part. 10. ſect. 1.* Vultej. *de feud. lib. 2. c. 2. & Dd. communiter.* Ubi tamen domini jurisdictio fundata eſt, nihil intereſt Clericus ille fuerit & litigantes Laici, an vice verſa Laicus ille & litigantes Clerici.

Caſus talis eſt: Vaſalli qvidam alterius diœceſeos ab Epiſcopo & Eccleſiâ Bononienſi feuda recognoſcebant. De feudis iſtis cùm controverſia oborta eſſet, & actor reum coram Ordinario judice conveniſſet, reus autem ad forum Epiſcopi Bononienſis feudale provocaſſet, ægrè id tulit Epiſcopus diœceſanus, & excommunicationis atqve interdicti ſententiam in reum contumacem promulgavit. Eâ de re conſultus Pontifex fundatum Eccleſiæ Bononienſis judicium feudale confirmat, ac Epiſcopi diœceſani ſententiam reſcindit, & ad illum cauſam hanc pertinere negat, qvippe feudalem, & ſpeciali judicio dirimendam.

Ratio dubitandi petenda eſt ex eo, qvia judex Ordinarius fundatam habet jurisdictionem in perſonam rei conventi. Forum enim domicilii ſemper eſt generale & ordinarium, ac prædominatur, vel ſaltem concurrit cum qvolibet alio foro, ſive contractûs, ſive delicti, ſive deſtinatæ ſolutionis, ſive etiam rei ſituatæ, ejusqve reſpectu propriè qvis dicitur ſubditus. Imò verò judex domicilii adeò dicitur competens, ut, cæteris paribus, nullâ exceptione præventionis aut litis pendentiæ ſit declinabilis. Matth. Coler. *de proceſſ. execut. part. 2. c. 1. num. 29. ſeq.* In præſenti igitur caſu Epiſcopus diœceſanus, ut ordinarius rei judex, jam aditus erat. Et fru-

Digitized by Google

ſtra ergò declinari deinceps ejus judicium videbatur. Ubi enim acceptum ſemel eſt judicium, ibi & finem accipere debet, *l. 30. ff. de judic.*

Ratio decidendi conſiſtit in exceptione, qvæ petitur ex ſingulari foro cauſis feudalibus deſtinato, ita ut Ordinarius loci planè incompetens ſit, ejusqve jurisdictio hîc omnimodo ceſſet, ideò, qvod in iſtiusmodi cauſis dominus feudi ordinariam habere dicatur jurisdictionem. Vultej. *de feud. l. 2. c. 2. n. 5.* Qvæ tamen ratio decidendi hanc patitur limitationem, ut tùm demum locum habeat, ſi dominus feudi non fuerit negligens in adminiſtrandâ juſtitiâ. Sin ſecus ſe geſſerit, communiter ſtatuunt Canoniſtæ, ad Ordinarium loci cauſæ ejus deciſionem pertinere, uti deinceps pleniùs dicemus. Dum igitur judex ille paratus eſt adminiſtrare juſtitiam, neq; reus judicium iſtud refugit, nulla ratio ſubeſt, cur apud Ordinarium loci cauſa ea terminari debeat.

Idem] ſcil. Alexander III. Et qvia in antiqvâ Decretali ab Antonio Auguſtino editâ capitulum hoc dicitur eſſe pars *cap. Eam te.* Auguſtinus reliqva verba huc pertinentia repetit *ex c. 4. X. de ætat. & qval. ordinandor.* Cujacius verò *ex c. 8. X. de reſcript.* Et hæc cauſa eſt, qvod Panormitanus de Bononienſi, Cujacius verò de Tornacenſi Epiſcopo caſum proponit. Ego nihil definio, qvandoqvidem inter Alexandri Epiſtolas Decretalis hæc non inveniatur hodiè, & incerta adeò præſupponatur inſcriptio.

poſſeſſiones] poſſeſſionis vocabulum ut accipiatur *vid. Dd. ad l. 115. ff. de V. S.* Hoc loco fundi aut prædia deſignantur, qvorum qvis habet utile dominium.

in feudum] feudi vocabulum qvo tempore uſu receptum fuerit, & qvos natales habeat, ſollicitè inqvirit Dn. Struv. *diſp. feud. 2. n. 1.*

excommunicationis ſeu interdicti] Interdictum Canoniſtis eſt cenſura Eccleſiaſtica prohibens divinorum officiorum celebrationem, Sacramentorum, adminiſtrationem atqve Eccleſiaſticam ſepulturam. *Vid.* Joſeph. Gibalinus *de cenſur. Eccleſ. diſq. 1. qveſt. 2.*

Notandum hinc I. Cauſas aliqvas privilegiatas eſſe, & ſpeciali foro veluti affixas, qvæ proinde apud alium judicem tractari ſine periculo nullitatis haud poſſunt. Tales ſunt cauſæ feudales, cauſæ Eccleſiaſticæ, in his terris cauſæ metallicæ &c.

II. Cauſas tales, ſi in alieno foro agitatæ fuerint, nullum facere præjudicium, qvo minus deinceps in foro proprio de illis cognitio inſtituatur. Judi-

di-

Digitized by Google

dicatum ita in ſupremo harum terrarum judicio, poſtqvam cauſa Eccleſiaſtica in foro ſeculari agitata fuiſſet, ſententiam illic latam, qvæ opponebatur, nullius eſſe momenti, Termino Martini 1668. in cauſa Carl Gottfried Boſens/ c. Georg Pipigen und Conſ.

III. In his terris ex ſpeciali conſtitutione etiam in curiis provincialibus cauſas feudales tractari ſolere Carpzov. *in proceſſ. tit. 3. art. 4. n. 48.*

IV. In judicio feudali non attendi conditionem & qvalitatem rei conventi, Clericus ille ſit, an Laicus, ſed rem, qvæ in judicium deducitur, cujus ratione Clericus æqvè coram judice ſeculari, atqve Laicus coram judice Eccleſiaſtico cauſam ſuam defendere tenetur, qvatenus feudum vel Eccleſiaſticum fuerit, vel ſeculare. *c. 6. X. de for. comp. Vid.* Aug. Barboſa *ad h. t.*

V. Judicem pro conſervandâ jurisdictione ſuâ rectè animadvertere in contumaces, ſi tamen competens is fuerit, & qvoad cauſam in judicium deductam jurisdictionem fundatam habeat.

VI. In foro communi, ſive apud judicem rei ordinarium cauſam feudalem, non niſi in ſubſidium, deficiente foro feudali, agitari poſſe. E. g. ſi dominus feudi juſtitiam facere noluerit, vel diſtulerit. *Vid. Appendix Concilii Lateranenſis III. part. 46. cap. 5. tom. III. Concil.* Mynſing. *cent. 5. obſ. 5. n. 4.* Ludwel. *in ſynopſ. jur. feud. cap. ult.* Eaqve propter, cùm Ericus V. Saxoniæ inferioris Dux in collatione Electoratûs Saxoniæ ab Sigismundo Imperatore præteritus fuiſſet, & ad concilium Baſileenſe provocaſſet, rectè negavit Sigismundus, cognitionem ejus cauſæ ad Concilium pertinere, cùm ipſe pares Curiæ conſtituere paratus ſit, in literis ad Concilium datis. *tom. 2. Concil. pag. 225.*

VII. Non perſonam ſed cauſam judicio feudali facere locum. Cauſæ autem feudales ſunt, qvando de ipſo feudo conſtituto vel ab ejus naturâ dependentibus, uti ſervitiis præſtandis, culpâ vaſalli &c. controverſia eſt, qvibus caſibus pro re natâ vel domino vel paribus curiæ competit cognitio. Struv. *exercit. feud. ult. n. 4.*

VIII. Singulare eſſe in foro Saxonico, qvod in curiis provincialibus & judicio ſupremo conveniri de qvibusvis cauſis poſſint ſimultaneè inveſtiti, ut maximè extra provinciam domicilium habeant, & nullo jure aliàs Principi ſubjecti ſint. Carpzov. *l. 6. reſponſ. 115.*

Digitized by Google

Ad c. Dilecti 6.

In libello concipiendo valdè ſolliciti eſſe ſemper ſolent Advocati, qvod ex eo totius cauſæ eventus maximam partem dependeat, præſertim ſi per ordinarium proceſſum actio peragenda fuerit. Sed & in qvovis alio proceſſu neceſſe eſt, ut narrent apertè, proponant accuratè, concludant acriter, confirment ſolidè, nec fundant verba, ſicut capra ſtercora. Ventura de Valentiis *in Parthen. litig. lib. 2. c. 7. n. 28.* Unde prima hæc & præcipua eorum ſolet & debet eſſe cura; ut accommodatam cuivis negocio inveſtigent & inſtituant actionem; eam verò, ut nominetenus exprimant, neceſſe non eſt, qvandoqvidem ſufficit, medium concludendi & concluſionem ipſam aptè & concinnè exponere. Judici haud paulo minor circa libelli ſtructuram debet eſſe cura, nec adeò debet ille ab actore, ut nomen & qvalitatem actionis exprimat, exigere, dummodo qvalitas illa & deſiderium actoris ex contextu & connexione verborum utcunqve percipi qveat. Et hæc qvidem etiam ſecundum jus civile obtinent. Sed videtur hîc Pontifex adhuc laxiorem in concipiendis libellis poteſtatem facere voluiſſe, ut ſuſtineri illi debeant, etiamſi qvalitas actionis haudqvaqvam inde colligi qveat, & jubet proinde judicem inveſtigare, qvaliter ſe habeat factum, ut maximè ex narratione libelli de eo non ſatis conſtet. Qvod enim putant nonnulli, Pontificem hoc tantùm cavere voluiſſe, ne qvis nomen actionis in libello neceſſariò exprimi debere contenderet, id rectè refutat Vaconius a Vacuna *lib. 6. declar. 88. n. 4.* ſed qvod porrò ait, neceſſitatem tantùm ſolennitatis in his verbis remiſſam eſſe, vereor, ne ſententiam Pontificis, latiùs patentem, nimium reſtringat. Diſertè vetat Pontifex ſubtiliter inqvirere, cujuſmodi ſive qvalis actio intentetur, non tantùm, an ſolennitates adhibitæ fuerint. Et ſancti Patres, qvorum canones & inſtituta obſervare jubet, actionum forenſium non ſolennia tantum & ſolennes formulas, ſed ipſam etiam naturam & qvalitates minus cognitas habuerunt. Ut maximè verò obſtare poſſet, qvod judex in ferendâ ſententiâ ad qvalitatem actionis reſpicere debeat, qvodq; ſententia conformis eſſe debeat libello, Pontifex tamen hoc inſuper habito, factum tantum & rei geſtæ veritatem indagare jubet, qvo facto facilem deinceps putat futuram deciſionem. Summatim hoc dicere videtur, uti enucleatè tradit Gloſſa, neminem teneri actionem proponere in judicio, cui addo, judicem non teneri de qvalitate actionis propoſitæ ſollicitum eſſe.

Ego

Digitized by Google

Ego vero non diffiteor, poſſe aliqvando contingere, ut tali procedendi modo ſententia feratur omnibus numeris abſoluta, qvâ meliorem aut juſtiorem nec prudentiſſimus concipere poſſet judex; ſed profectò in qvamplurimis cauſis ille deficiet, & verendum eſt, ne informi tali proceſſu lædatur magis juſtitia, qvàm juvetur. Nec fruſtra enim tantâ cum curâ multisqve vigiliis judicandi ratio in artem redacta eſt, etſi non negem, partium & advocatorum malitiam prævalere ſæpè, atqve impedire, qvo minùs judex officio ſuo defungi ex voto qveat. Confidenter igitur affero, libellum ita inſtrui debere, ut actionis qvalitas inde colligi qveat, qvæ utiqve breviore viâ hâc judicem multo certiorem faciet, qvàm ſi ille ex Pontificis præſcripto multis, atqve iteratis, & hinc inde, propoſitis interrogationibus per ambages factum inveſtigare debeat. Verum enimverò videtur mihi Pontifex imitari voluiſſe leges Imperatorias, qvæ habentur *ſub tit. Cod. de form. & impetr. act. ſubl.* & exceſſiſſe metas, neqve conſideraſſe, per ſublatam impetrandæ actionis neceſſitatem non protinus tolli libelli ſubſtantiam, & qvalitatem, ut adeò huic potiùs Decretali, qvàm conſtitutionibus Imperatorum imputari debeta, qvod notat Antonius Perez *ad iſtum tit.* factum hinc eſſe, ut hodie ſine arte litigetur, confusè, & multis adhibitis calumniis, qvam cenſuram ab Imperatorum legibus merito propulſat Brunnemannus ibid.

& capitulo Londonenſi] In antiqva decretali legitur: *& Decano Londonenſi.* uti & infrà *c. 1. X. de appellat. in appendice Concilii Lateranenſis III. part. 10. c. 1. & Decano Lincolnienſi.*

Prior & Clerici] In antiqvâ decretali legitur: *Prior & Canonici*, & rectiùs ni fallor. Monachi enim, de qvibus hîc agere videtur Pontifex, neqꝫ Clerici propriè ſunt, neqve Canonici. *Vid.* Franc. Florens *in diſſertat. p. 198. & 247.* vivendi tamen inſtituto Canonicis propiores ſunt, & nihil olim â Monacho differebat Canonicus. *Vid.* Anton. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de benef. tit. de diviſ. benef. §. 26. n. 36. 38. & conf.* qvæ dixi *ad Lancellott. lib. 1. tit. 26. §. 2. Infra tamen c. 1. X. de appell.* qvi clerici primum dicuntur, mox Canonici appellantur. Et notandum hîc Rogero Archi Epiſcopo Eboracenſi, cujus hîc mentio fit, parum æqvos fuiſſe monachos, uti ex Gulielmi Neubrigenſis teſtimonio probat, & eum defendit Franciſcus Godwinus *de præſul. Angl. in ejus vit.* Nec igitur mirum, gravem qverimoniam adverſus eum Romam â monachis delatam fuiſſe. Cæterùm de Prioris vocabulo & officio

Digitized by Google

officio videri poſſunt Antonius Bengeus & Franciſcus Pinſson. *de benefic. tit. de diviſ. benef. §. 9. & 29.* & qvæ dixi *ad Lancell. lib. 2. tit. 19. §. 3.*

Apoſtolicæ ſedes legatum] Triplex eſſe genus legatorum ſedis Apoſtolicæ, tritum eſt inter Canoniſtas, Legatos ſcil. â latere, legatos natos, & nuncios Apoſtolicos. *Vid.* Anton. Dadin. Alteſerra *ad c. 4. X. de offic. legati.* Auguſtin. Barboſ. *de jur. Eccleſ. l. 1. c. 5. n. 2. ſeq.* De Legatis natis, qvalis eſt Archi Epiſcopus Eboracenſis, non erit ἀπροσδιόνυσον audire autorem ſive collectorem antiqvitatum Eccleſiæ Britannicæ, qvas evulgandas curavit Matthæus Parkerus *Cantuarienſis Archi Epiſcopus, ſcribente Jacobo Uſſerio de antiq. Eccleſ. Britann. c. 4. pag. mihi 45.* Sic autem ille inter alia Cantuarienſis ſedis privilegia refert: Ab hoc itaqve initio Eccleſiaſticarum rerum ſumma poteſtas penes Cantuarienſes ArchiEpiſcopos tàm ab ipſis regulis, inter qvos ſeptem regionibus diviſum tùm regnum fuit, ad fidem converſis, qvàm â poſterioribus Regibus, qui unâ ditione totum Regnum gubernabant, approbata ſemper remanſit. - - Sed Pontifices Romani hâc autoritate præditos Cantuarienſes Archi Epiſcopos ut ſuos Legatos nominabant, ut autoritatem, qvàm jure ſuo obtinebant, à ſede Romanâ ſumere viderentur. - - Hæc fuit plerumqve Papalis calliditas eſt aſtutia, ut qvorum autoritatem in adminiſtratione Eccleſiaſticâ maximam eſſe cognoſceret, is omnium Regnorum dominium affectans eos ſuos Legatos voluit dici, ut qvæcunqve in adminiſtratione ſuâ geſſerant, ſua tanqvam univerſali autoritate fieri viderentur. Hâc ratione non modo in Angliâ Cantuarienſem & Eboracenſem, ſed etiam in reliqvis Regnis Chriſtianis celebrioribus Legatos ſuos nominavit: in Scotiâ Archiepiſcopum S. Andreæ, in Germaniâ Archiepiſcopum Salisburgenſem, in Galliâ Rhemenſem, in ItaliâPiſanum, & in Hungariâ Strigonienſem Archiepiſcopum, qvorum omnium autoritas tanta fuit, ut cum inferioribus ſuæ provinciæ qvibuscunqve prælatis in omni ordinaria juriſdictione concurrerent.

factum ipſum & rei veritatem] Aliàs dicitur: *ſolâ facti veritate inſpectâ.* De qvâ clauſulâ notat Auguſtinus Barboſa *de clauſ. n.* 173. relaxare eam ordinem judiciarium & omnem juris ſolennitatem atq; reducere ad formam judicii inductam de jure gentium, qvodqve poſſit in causâ procedi absqve libello & litis conteſtatione.

Ad hoc cap. notetur I. Libellum in omni actione judiciariâ neceſſarium

eſſe

eſſe, non ſolennem qvidem illum ſemper, & artificioſè confectum, ad qvid enim in cauſis minimis & inter perſonas pauperiores ſolennitate iſtâ, qvæ non ſine ſumptibus fieri poteſt, opus eſſet? talem tamen ſemper, qvæ narrationem facti & qvalem qvalem petitionem continet, cùm ut judex ſciat, qvid agere debeat, tùm ut adverſarius deliberare poſſit, cedere an contendere velit. Eaqve neceſſitas libelli tanta eſt, ut nec pacto qvidem inter litigantes convento remitti qveat. Sichard. *ad auth. operatur C. de lit. cont. n. 4.* Hillig. *in Donell. l. 23. c. 4. lit. B.* Si tamen lites breves ſint, & maximè vilium perſonarum vel cauſarum, ſine ſcriptis & ſine aliqvâ expenſâ cognoſcere præſidem oportet. *auth. niſi breves C. de ſentent. ex brevic. recit.* Oportet verò etiam hoc caſu Actuarium, judicii ea, qvæ vivâ voce proponuntur, ſcripto excipere, ut in futurum conſtet, qvâ de re litigium exortum, & qvâ ratione deciſum fuerit.

II. Nomen actionis exprimere hodie neminem teneri. Carpzov. *p. 1. conſt. 2. def. 13.* In qvo omnes conſentiunt Doctores. Utrum verò olim id neceſſarium fuerit, valdè inter ſe diſſentiunt, uti videre eſt apud Forſter. *ad Inſtit. lib. 4. pag. 248.* Georg Obrecht *de formand. libell. c. 8. n. 23. ſeq.* Andr. Gerhard. *exercit. Juſtin. 18. n. 2.* Bachov. *ad Trentl. vol. 1. diſp. 4. th. 10. lit. C.* Hahn *ad Weſenbec. tit. de edendo n. 7.* Wiſſenbach. *eod. tit. n. 17.* Aliqvi diverſitatem hîc faciunt inter jus civile & Canonicum, id qvod refutat Zoeſius *de edend. n. 8.* ratione tamen ut mihi videtur parum ſolidâ, qvia ſcil. ea res non ſit ſubjecta canonibus, cum nec peccati cauſam concernat, nec materiam ſpiritualem. Qvaſi verò non in aliis ſimilibus juris articulis Pontifex ex nudo ſuo arbitrio leges civiles immutaverit.

III. Formulas qvidem antiqvitus obſervandas prorſus abrogatas eſſe, libellum tamen ita concipiendum eſſe, ut de negocio, qvod inter litigantes vertitur, & qvalitate actionis judex informari qveat. Pertinent huc verba Antonii Fabri *Cod. lib. 2. tit. 37. def. 1.* qvando ait: Abutuntur pleriq; conſtitutionibus, qvæ formulas & impetrationes actionum ſuſtulerunt, qvaſi hodiè nihil referre debeat, qvâ actione qvis experiatur, dummodo aliqva competat. Qvod ſi ita eſſet, non tantùm eas formulas, qvæ ſyllabarum aucupatione cunctorum actibus inſidiantur, radicitus amputatas, ſed omnem qvoqve juris rationem ſublatam eſſe dicendum eſſet, totamqve perturbatam jurisprudentiam, qvæ in eo partim verſatur, ut doceat, qvænam & cui actio competat. Sanè nec actionis impetratio neceſſaria eſt, qvæ

Digitized by Google

olim erat, nec formulæ præſcriptis verbis concipiendæ ſolemnitas ulla ſupereſt, ſufficitqve eam exerceri actionem, qvæ, ut habet Theodoſii conſtitutio, & rei apta ſit, & propoſito negocio competens &c. Qvid in hanc Pontificis conſtitutionem dici poſſit στηλιτευτικὸν magis, non video.

Ad cap. intelleximus 7.

Caſus ex antiqva decretali ita ſe habet: Mulier nobilis Viro propter necem Epiſcopi Vicentini excommunicato nupta, poſtqvam de tali excommunicatione certior facta fuiſſet, qvæſtionem adverſus eum movit in judicio Epiſcopi Patavini. Dubitabatur, utrum citari ille aut in jus vocari poſſet interim, dum excommunicatus eſſet. Et reſpondet Pontifex, poſſe eum conveniri, ſed ita, ut non ipſe compareat in judicio, verùm ut per alium reſpondeat, procuratorem videlicet ſuum vel defenſorem.

Qvalis propoſita fuerit â muliere qvæſtio, nullibi dicitur. Qvantum autem colligi poteſt, videtur ea propter excommunicationem compertam ad ſeparationem agere voluiſſe, ne ipſa communicare cogeretur marito excommunicato. Ut maximè verò incertum id ſit, aut prorſus ignoretur, ignorari tamen neqvit qvæſtio ab Epiſcopo Paduano propoſita cujus hic eſt ſtatus: Utrum excommunicatus habeat perſonam ſtandi in judicio?

Ratio dubitandi eſt, qvia unusqvisqve excommunicatos, anteqvam ab excommunicatione abſoluti fuerint, vitare debet, ut nec privilegium qvidem Pontificis in contrarium valeat *c. 8. X. de ſent. excomm.* Qvod ſi igitur judex admitteret excommunicatum in judicio, videretur eidem communicare, id qvod piaculum eſt, & communicantem etiam ipſum excommunicatum facit *c. 30. X. eod.* Et propterea per cenſuram Eccleſiaſticam compelli jubentur judices ſeculares in ſuis curiis & judiciis repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando & teſtificando *c. 8. eod. in 6.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſi excommunicatum in judicio convenire non liceret, de malitiâ ille ſuâ commodum reportaret, cùm tamen ex proprio delicto nemo debeat conditionem ſuam facere meliorem; actor autem è contrario in damno verſaretur, dum jus ſuum perſeqvi non poſſet, atqve ſic in effectu ipſe potiùs qvam excommunicatus excommunicationis pœnam pateretur.

Sic

Digitized by Google

Sic igitur concludit Pontifex, non poſſe qvidem excommunicatum a-ctoris partes ſuſtinere in judicio, poſſe tamen ut reum conveniri, &, ne obſtet ratio dubitandi, debere eum non in propria perſona, ſed per procuratorem comparere, qvi eum defendat, & exceptiones, ſi qvas habet, proferat.

Ego verò rationem non video, cur excommunicatus ipſe in propria perſona prorſus excludi debeat ab judicio, deinde cur ut reus tantùm, non etiam ut actor audiri debeat. Primum enim qvod concernit, excommunicatio meram ſignificat pœnam Eccleſiaſticam, ſeparationem ſcil. à communione fidelium, qvæ propterea ad judicia ſecularia non eſt extendenda, neqve Eccleſiæ hoc officium eſt, ut regulas præſcribat Reipublicæ & politiæ. Ipſum etiam officium judicis neceſſarium eſt, at propter neceſſaria iſtiusmodi officia non audent pro excommunicatis habere Canoniſtæ, qvi cum excommunicatis communicant. Ut taceam, non excludi ab judiciis Ethnicos & publicanos, qvibus comparantur excommunicati, *Matth. XVIII, 17. Vid.* M. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 5. c. 9. n. 34.* neqve excuſari poſſe, qvod per conſtitutiones iſtiusmodi Pontificias jus gentium, ex qvo judicia ſubſtantiam capiunt, lædatur aut infringatur, & tandem multo ſaniores hâc in parte videri JCtos, qvi nec Diabolo qvidem, ſi litigaret, & compareret in judicio audientiam denegari debere contendunt. Flamin. Chartar. *de execut. ſentent. c. 1, n. 116.* Sigism. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 2. n. 165.* Eaqve propter admittit Andreas Vallenſis *in paratitl. de ſentent. excomm. ſ. 3. n. 6.* poſſe excommunicatum reum ſemet per ſe in judicio defendere; Sed cùm ad textum hunc ſibi obſtantem reſponſionem parat, nihil omninò agit, & Lectorem de ſententia ſua dubium relinqvit. Eandem ſententiam tenet Antoninus Diana *reſol. moral. part. 5. tr. 9. reſol. 111.* Alterum verò qvod attinet, diſpar ex eo fit conditi actoris & rei, qvos tamen pares ubiqve in judiciis haberi voluit jus gentium. Rationem qvidem diverſitatis hanc reddit Johannes Bapt. Vivianus *in Rationali*, qvoniam ſi excommunicatus in judicio poſſet eſſe actor, hæc cenſura Eccleſiaſtica contemneretur, dum contra eam in conſortio admitteretur. At qvæſo ego, qvale in litigiis & contradictionibus contrahi dicemus conſortium? imò odium plusqvam Vatinianum inde naſci ſæpiusculè audimus & dolemus. Deinde excommunicationis non hic eſt effectus, ut excommunicato uſum bonorum ſuorum interdicat, qvippe in qvæ jus nullum Eccleſiæ competit;

ſed ut communione ſpirituali excludat, eumqve ſegregem faciat ab conſortio fidelium, non civili, ſed Eccleſiaſtico. *Vid. qvæ dixi plura ad Lancellott. lib. 3. tit. 2. §. 13.* Et rectè proinde ſtatuit Antoninus Diana *part. 5. tr. 9. reſol. 130.* excommunicatum petere poſſe â ſuo debitore creditum, cùm nec divino nec humano jure ille â debito liberetur, licet idem Diana alibi neget, peti poſſe iſtud in judicio.

Concludo igitur cum Jacobo Mæſtertio *de juſt. Rom. Leg. l. 2. c. 18. n. 7.* Pontificem ita ſtatuentem falcem immittere in alienam meſſem, & poteſtatem, qvam non habet, ſibi arripere, nec juri tantùm publico, ſed gentium etiam vim inferre, & parum conſideratè communionem ſpiritualem cum civili confundere. Nec igitur neceſſe eſt, ut disqviramus, qvid ſtatui debeat de excommunicatis toleratis, utrum etiam illi ita, ut reliqvi, excluſi ab judiciis ſint, qvâ de re videri poſſunt Michael Ferro Manrriqve *de diff. & concord. utr. fori qvæſt. 53.* Joſ. Gibalinus *de cenſur. diſqv. 7. q. 3. part. 7.*

utrum excommunicatus] Nudè qvando hoc verbum ſtat, non minorem tantùm, ſed majorem excommunicationem interveniſſe ſtatuendum eſt, *c. pen. X. de ſentent. excomm.*

ſtare poſſit] h. e. contendere poſſit. Litigantes enim & eorum advocati ſtabant in judiciis, non ſedebant *l. 6. C. de poſtul.* qvod nec honoratis qvidem, qvorum cauſa agebatur, permiſſum erat. *l. 1. C. de offic. civil. jud. Vid.* Hillig. *in Donell. lib. 18. c. 3. lit. Ggg.* Jacob. Gothofred. *ad d. l. 1. C. Theodoſ.*

Ad hunc verò textum id unicum notare neceſſe eſt, excommunicationem gravem qvidem pœnam eſſe, eamqve meritò ſummum futuri judicii præjudicium vocari â Tertulliano *apol. c. 39.* Sed in Eccleſiâ Pontificiâ multis abuſibus peſſimè corruptam eſſe, uti id qvaſi in compendio oſtendit Danhauerus *in theol. conſcient. part. 2. dial. 3. qvæſt. 11.* inter qvos haud minimus eſt, qvod in re ſeculari extra ſphæram poteſtatis Eccleſiaſticæ, uti in noſtro hoc capitulo contingit, eam efficacem eſſe velint, cùm tamen excommunicatio non privet qvenqvam dominio aut jure ſuo, neqve vincula vel naturalia vel civilia tollat, ſed tantùm â beneficiis Eccleſiæ propriis excludat. Extorſit ea res inſignem illam qverelam, qvam in Comitiis Noribergenſibus inter alia gravamina *ſub num. 34.* Oratori Pontificio exhibuerunt Principes & Proceres Imperii.

Conſeqvitur inde, excommunicationem non facere, ut excommunicatus audiri non debeat in judicio, dum jus ſuum perſeqvitur, Et profectò ini-

Digitized by Google

iniqvum eſt, ut jure & judicio excludatur, qvi dominus manet rerum ſuarum. Prohibuit qvidem etiam prætor olim qvosdam poſtulare *l. 1. §. 1. ff. de poſtul.* Sed prohibitio illa in favorem prohibitorum cedebat, non in pœnam, qvandoqvidem illi per alium cauſam ſuam proponere non prohibebantur, cùm ipſe mox Prætor *d. l. 1. §. 4.* edicat: *SI NON HABEBUNT ADVOCATUM, EGO DABO.* At excommunicati neqvidem per alium agere in judicio permittuntur ſecundum jus Canonicum.

Ad c. clerici 8.

In Regno Hungariæ ſecundum conſvetudinem receptam furti crimen in judicio ſeculari vindicabatur. Contigit verò, ut Clericus iſtiusmodi criminis reus diceretur. Qværebatur, num ille etiam apud judicem ſecularem ſiſti deberet?

Ratio dubitandi erat, qvia conſvetudo dat jurisdictionem *c. 13. X. de for. comp. c. 4. X. de arbitr.* & parem vim habet cum lege, ut pro lege non immeritò cuſtoditur *l. 32. ff. de leg.* cui accedit, qvod conſvetudo, cujus hic fit mentio, in antiqvâ Decretali Regia dicatur, h. e. ab Rege approbata, ut adeò ex Regis approbatione legis propriè dictæ aut ſcriptæ naturam acceperit. Cumqve circa furtum tantùm conſvetudo talis invaluerit, nec in reliqvis criminibus ſimile qvid occurrat, videtur ea non inſuper haberi debere. Qvò facit, qvod Julius Clarus *lib. 5. ſent ent. qvæſt. 36. n. 3.* conſvetudinem particularem ſecundum qvam in aliqvibus caſibus vel cauſis & aliqvi Clerici, puta in minoribus conſtituti, â judice ſeculari puniri poſſint, valere contendat. Idqve eo magis procedit, qvando â Clerico non Eccleſiaſticum, ſed commune crimen commiſſum eſt, uti hanc differentiam facit Juſtinianus *Novell. 83.* qvam repetit Gratianus *c. ſi qvis 11. q. 1. Conf.* Benign. Milletot. *de delict. comm. & caſ. privil. pag. 85.*

Ratio decidendi ſumitur ex univerſalitate canonum, qvi nullum crimen excipiunt, ſed generaliter diſponunt, non alibi conveniri debere Clericum, qvàm coram judice Eccleſiaſtico. *Vid. tot. tit. cauſ. 11. q. 1.* Nec obſtare dicit Pontifex conſvetudinem, qvippe cujus non major poſſit eſſe autoritas, qvàm legis ſcriptæ, Leges verò non dedignari ſacros canones imitari, ut ipſe profitetur Juſtinianus *Nov. 5. in fin. & Nov. 83.* Et hinc putat fore, ut lubenti animo iidem canones in Regno Hungariæ recipiantur; ſin minus, aper-

Digitized by Google

apertè profitetur, ex aliqvâ conſvetudine canonibus nullum generari poſſe præjudicium. *Add. c. conſeqvens 2. diſt.* 11.

Qvid de hâc Clericorum exemptione ſentiendum ſit, pleniùs dicam *ad cap.* 10. Interim hîc notetur, nondum crediDiſſe eo tempore vel Epiſcopum Paduanum, ad qvem Decretalis hæc ſcripta eſt, vel Lucium Pontificem, Clericos jure divino exemptos eſſe jurisdictione ſeculari, qvod hodiè agmine qvaſi facto perſvadere nobis volunt Canoniſtæ. Aliàs enim deciſionem habuiſſet in promptu Conſultor, & Papa non ad Canones atq; Leges civiles, ſed ad Scripturam, juris divini fontem, eum ablegaſſet.

De conſvetudine autem, qvod addit Pontifex, nullum inde canonibus præjudicium generari poſſe, id JCtis Pontificiis, conſvetudinis vim juſtâ æſtimatione penſantibus diſputandi materiam præbuit, aliis conſvetudinem qvandam mixtam ex Clericorum & Laicorum conſenſu proficiſcentem, aliis mixtam cum privilegio conſvetudinem excipientibus; atqve hi ultimi ſufficere putant, ſi privilegium tantùm allegetur. Fatentur ſcil. ex poſſeſſione immemoriali, nec præſcriptionis, nec conſvetudinis titulo rerum ſpiritualium adminiſtrationem Laicis acqviri poſſe; attamen ex conſvetudine præſcriptâ per poſſeſſionem illam immemorialem inſtrui probationem privilegii â ſummo Pontifice conceſſi. Talem autem probationem ſolâ poſſeſſione centenariâ vel immemoriali confici, etiamſi nullæ exhibeantur privilegii tabulæ. In eum autem finem reqviri privilegii allegationem, ut conſtet, vel ſaltem cenſeatur, Laico idoneitatem ſeu capacitatem rei Eccleſiaſticæ tractandæ indultam fuiſſe â ſummo Pontifice. Vid. qvos hujus ſententiæ ſectatores adducit Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. l. 3. c. 9. n. 6.* Sed enim ſubdubito ego, utrum ſolâ talis privilegii allegatione, non inſpectis nec oſtenſis qvidem tabulis tranqvillari poſſit aula Romana. Et diverſæ utiqve hæ ſunt probationis ſpecies, conſvetudine & per privilegium rem acqviſitam dicere, qvarum vix eſt, ut ſimul utraqve de eâdem re inſtitui qveat.

leges non dedignantur] Modeſtiæ hoc vocabulum eſt ab Juſtiniano uſurpatum, qvo ſignificat, poſſe qvidem Legislatorem canones imitari, non verò præciſè teneri. Sed hanc modeſtiam obligationis & debiti vinculum interpretatur Romana Curia, oportere ſcil. leges canones Eccleſiaſticos imitari, nec debere diverſum qvid ſtatuere. Unde Johannes Azorius *Inſt. moral. lib. 5. cap. 12.* Pontificiæ hujus definitionis rationem his verbis explicat:

cat, qvoniam Imperator prædictos Canones ſeqvi ſit profeſſus, eamqve in rem adducit *Novellam 83*. Sed enim qvâ ratione ſecutus fuerit, & qvàm contraria huic textui ſit iſta novella, ex contextu ejus patet.

imitari] imitari eſt ſimile qvid, non idem ſemper, facere. Unde etiam illæ leges imitantur Canones, qvi aliqvam eorum partem retinent, etſi in reliqvis diverſum ſtatuant.

de omni crimine] vocabulum hoc lætiùs hîc accipitur, ut etiam delictum comprehendat, qvod alias ab eo diſtingvitur. *Vid.* Anton. Matthæ, *de crimin. in prolegom. c.* 1.

Clericus] etiam hoc vocabulum latè hîc accipitur, ut etiam monachos comprehendat, utpote in materiâ favorabili. Aug. Barboſ. *de appellativ. tit. 51.*

præjudicium] ita dicitur, qvod cum ante deciſum ſit, aliis qvæſtionibus & cauſis præjudicium faciat.

Notari hîc debet I. Exemptionem Clericorum â jurisdictione ſeculari, non eſſe juris divini. Qvantum verò hîc inter ſe diſſentiant Canoniſtæ, videri poterit apud Auguſtin. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. c. 39. §. 2.*

II. Conſvetudine etiam jurisdictionem acqviri. Tiber. Decian *tr. crimin. lib. 4. c. 27.* Matth. Steph. *de jurisd. l. 1. c. 38. n. 46.*

III. Conſvetudine contrariâ legi ſcriptæ derogari. *Vid. Dd. ad l. 2. C. quæ ſit longa conſvet.*

IV. Falſum hinc eſſe, qvod putat Pontifex, canonibus ex aliqvâ conſvetudine præjudicium generari non poſſe. Et hinc rectè ſtatuit Didacus Covarruvias *pract. qvæſt. cap. 31. n. 5.* aliqvot in caſibus poſſe per conſvetudinem exemptionem Clericorum reſtringi ac limitari. Nos addimus, poſſe exemptionem iſtam omnimodò per conſvetudinem tolli, qvicqvid etiam â Covarruvia diſſentiens dicat Johannes Azorius *d. l.*

V. Canones non habere vim obligandi, niſi ex conventione ſtatuentium inter ſe. Ut autem inſuper per modum imperii obligent & vim *ἀναγκαςικὴν* accipiant, neceſſe eſt ut accedat poteſtas principum legislatoria.

VI. Fridericum II. Imperatorem confirmaſſe qvidem hoc forum Clericorum privilegiatum *per auth. ſtatuimus C. de Epiſc. & Cler.* Sed exiguam meruiſſe gratiam tùm apud Pontificios ipſos, uti conſtat ex ejus hiſtoriâ, tùm apud Principes Imperii ſuperioris ſeculi, notante Hortledero *l. 1. c. 3. n. 56. & c. 35. n. 85.*

Ad

Digitized by Google

Ad c. cauſam 9.

In Angliâ cum inter fratres Dulmenſis monaſterii & monachos Sancti Albani propter particularem aliqvam Eccleſiam controverſia exorta & in judicium deducta eſſet, fratres autem Dulmenſes nullâ ſui Epiſcopi autoritate interveniente comparuiſſent, ſubdubitabat judex delegatus, num fundatum ſatis dici poſſet judicium, & re ad Pontificem delatâ, tale accipiebat reſponſum, ſine conſenſu Epiſcopi ſui audiendos non eſſe Dulmenſes monachos. Sive, qvod perinde eſt, pone, fratres Dulmenſes petiiſſe â Pontifice judices delegatos, & Pontificem dubitaſſe, num id facerent cum autoritate & præſcitu Epiſcopi ſui, juſſiſſe ergo judices delegatos ante omnia exqviri ejus aſſenſum, cæteroqvin judicium non inchoari.

Ratio dubitandi eſt, tùm qvia id non oppoſuerat pars adverſa, tùm qvia conſenſus Epiſcopi non videbatur neceſſarius, eò qvod à toto capitulo factum intelligatur, qvod fit à majore ejus parte nec adeò expectari debeat univerſorum & ſingulorum conſenſus.

Ratio decidendi eſt, qvia capitulum ſine conſenſu prælati nihil omninò agit, & qvod ita actum fuit, à prælato qvandocunqve revocari poteſt. Ne igitur lis, qvæ ſopita credebatur, aliqvando reſuſcitetur, non partium tantum, ſed ipſius judicis intereſt, ab initio cavere, ut omnia legitimè fiant, & nullitates evidentur. Et poterit ergò judex defectum talem, qvi ſubſtantiam judicii intrat, etiam parte non opponente ſupplere.

Clemens III.] In antiqva Decretali ita legitur inſcriptio: *Alexander III. Abbati de Evesham*, ut adeò incertum ſit, utri Pontificum Decretalis hæc tribui debeat. Nomina autem monaſteriorum & Eccleſiarum oſtendunt, ad Angliæ gentem pertinere hanc decretalem.

Epiſcopi ſui] qvi idem & Abbas fuit. Sic enim obtinuit, ut qvi ſocietati Canonicorum Regularium præeſſent, Abbates & Epiſcopi ſimul dicerentur. Ant. Bengeus & Franc. Pinſon. *de benef. tit. de diviſ. benef. §. 26. n. 39.* Monachos autem ſive canonicos Regulares Eccleſiæ Dulmenſis Ordinem S Benedicti tenuiſſe docet Bonifacius VIII. *in extrav. comm. tit. de offic. jud. ord. c. 1.*

obtineant] Ergò à contrario, ſi non obtineant Albanenſes nihil eſſe, qvod ab Epiſcopo Dulmenſi propter aſſenſum ſuum non reqviſitum, retractari qve-

qveat. Andr. Tiraqvell. *de jur. maritigloſſ. 1. n. 70.* Stultus enim is fuerit, qvi conditionem ſuam meliorem factam non velit adprehendere.

Abbatem monaſterii ſe proponens] Hæc verba paulo obſcura ſunt. Eorum ſententia hæc eſſe videtur; *Ne Epiſcopus ſub ſchemate Abbatis litem ſopitam valeat ſuſcitare.* Duplicem enim qvia talis Epiſcopus gerit perſonam, Epiſcopi ſcil. & Abbatis, uti explicat Auguſtinus Barboſa *de Canon. c. 1. n. 13. ſeq.* videtur Eccleſiam, de qvâ lis fuit, non ut Epiſcopus ſed ut Abbas vindicare potuiſſe.

Hinc igitur notandum I. In judiciis ante omnia attendendam eſſe legitimationem perſonarum tùm ad cauſam, tùm ad proceſſum, eamqve, parte licet non opponente, à judice ex officio exigi debere, ne judicium fiat eluſorium & retrò nullum. Carpzov. *p. 1. c. 1. def. 26.* Eſt enim nullitas iſta inſanabilis & usqve ad mille annos poteſt opponi. Barnab. Cornazzan. *deciſ. 1. & 195.*

II. Capitulum ſine conſenſu prælati ad agendum vel defendendum admitti non debere.

III. Intereſſe Reip. ut firmæ & validæ maneant res judicatæ, & ne lites ſopitæ reſuſcitentur.

Ad c. cum non ab homine 10.

Repetitur hîc qvæſtio ſupra cap. 8. agitata, utrum Clericus propter crimen commiſſum judicari poſſit aut debeat in judicio ſeculari. Et notandum, proponi hîc eandem in terminis fortiſſimis 1. an clericus cujuscunqve ordinis, 2. propter nullum omninò crimen, etſi, 3. deprehenſus in eo fuerit, 4. à judice Laico, qvantæcunqve is dignitatis fuerit, judicari debeat? Et reſpondet Pontifex, nullas omninò hîc eſſe partes judicis ſecularis, nec diſtinctionem faciendam vel inter delicta, vel inter delinqventes, dum tamen Clerici ſint, vel inter judices ſeculares ratione dignitatis; ſed totam eam de Clericorum criminibus cognitionem ad judicem pertinere Eccleſiaſticum. Solum verò eum excipit caſum, qvando Clericus delinqvens poſt indictos univerſos pœnarum Eccleſiaſticarum gradus incorrigibilis perſiſtit, tùm enim admittit Pontifex, ut ab judice ſeculari coërceatur & legitimis pœnis afficiatur, ideò ſcil. qvia Eccleſia non habet ultra qvid faciat.

Rationes dubitandi poſſunt hîc perqvam multæ conſignari. Primùm

Digitized by Google

enim, qvod judicem attinet, criminis læſæ majeſtatis reum ſe facere videtur, qvisqvis Regem, ſupremum omnium judicem, poteſtate hâc privare velit. Et qvis enim magis lædit majeſtatem, qvàm qvi ejus ſe imperio ſubtrahit, & poteſtatem ejus δικαςικὴν ſollicitat? Cumqve Princeps non ipſe, ſed per alios vel ordinarios, qvos conſtituit, vel delegatos judicare ſoleat, non minus vim facit poteſtati Principis, qvisqvis magiſtratûs à Principe conſtituti jurisdictionem in dubium vocat, aut prorſus adimit. Et huc pertinent omnia ea argumenta, qvibus tùm ex jure divino, tùm ex principiis politicis, tùm ex praxi antiqvioris Eccleſiæ exemptio Clericorum impugnari ſolet. *Vid.* Gerhard. *Loc. de magiſtrat. polit. num. 440. ſeqq.* Rivet. *in explicat. decal. tom. 1. pag. 1365.* Joh. Bedæus *de jur. Reg. contra Bellarm. cap. 3. & 4.* Petrus Molinæus *de monarch. temp. Pontif. cap. 11. ſeq.* Qvod crimina ipſa concernit, bono conſilio olim Juſtinianus Imp. *in novell. 83.* delicta civilia & communia ab Eccleſiaſticis diſtinxit, minimè tùm ringentibus aut contradicentibus Epiſcopis, qvibus ſufficiebat, in Eccleſiaſticis poteſtatem judiciariam, qvam ipſam ab Imperatore acceptam agnoſcebant, pro conditione ſtatûs ſui exercere. Et profectò non iniqvum tantùm, ſed Reip. prorſus exitioſum eſt, Principem, cui cura ſalutis publicæ incumbit, non poſſe coërcere homines, pacis & ſalutis publicæ turbatores. Modeſtiæ argumentum fuit, qvod Juſtinianus & Principes reliqvi delicta Eccleſiaſtica coërcere noluerint. Iſta verò benignitas eis in perniciem ceſſit, dum non Eccleſiaſtica tantùm, ſed promiſcuè univerſa & ſingula delicta ſuæ animadverſioni reſervata voluerunt Epiſcopi, renitentibus licet, & ad prima ſua principia fruſtra rem revocantibus Imperatoribus. Deniqve etiam illud Majeſtati civili dehoneſtamento eſt, qvod promiſcuè omnes clerici cujuscunqve Ordinis imperio ejus ſubducti ſunt, adeò ut nec acolythus aut Oſtiarius à ſummo Principe puniri qveat, licet rebellionis reus arguatur, cùm tamen ipſimet Canoniſtæ illis, qvi in minoribus ordinibus conſtituti ſunt, plus largiantur, & per matrimonium Laicis conformari haud inviti permittant.

Rationem decidendi nemo magis perſpicuè reddet, qvàm Pontifex Innocentius III. *c. 10. X. de conſtitut.* qvia, inqvit, Laicos obſeqvendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi ſuper perſonis Eccleſiaſticis. Sub hôc igitur hypotheſi, ſummus monarcha infimo Sacerdoti, imò nec ſacerdoti qvidem, ſed Clerico omnium infimo erit ſubjectus. Ex qvo ſtatuunt, in

con-

congreſſu Regum & Sacerdotum, poſtremos incedere Reges, poſtremos & non niſi ad nutum Epiſcoporum ſedere, poſtremos bibere debere. *Vid.* Bellarm. *lib. 1. de Rom. Pontif. c. 7.* Baron. *ad ann. 57. ſect. 31.* Hic ſcil. eſt cultus ille ſubjectionis & dependentiæ, qvem ſibi à Principibus deberi non obſcurè ampliùs, ſed apertè profitentur raſa capita. Qvò etiam pertinet, qvòd ex nutu & indulgentiâ ac beneficio ſuo regnare Principes contendat. Pontifex Romanus, qvos proinde exauctorare pro lubitu & regno privare qvandocunque poſſit. Tantum abeſt, ut Regi qvantumcumqve ſummo & abſolutæ poteſtatis, qvemcunqꝫ Clericum Romano Pontifici ſubjectum condemnare liceat. Cùm abſurdum planè ſit, ut corrigere aut punire qvis poſſit illum, à qvo ipſe corrigendus & puniendus eſt. Concludit ergò Pontifex, non poſſe nec debere Clericum delinqventem ab alio, qvàm à ſuo judice Eccleſiaſtico judicari.

Qvia verò pœnæ Eccleſiaſticæ, qvæ ſolæ in judicio Eccleſiaſtico decerni poſſunt, ultra anathematiſmum nullæ reliqvæ ſunt, & fieri poteſt, ut poſt omnes gradûs adhibitos in crimine perſeveret delinqvens, atqve ſic pœnas iſtas contemptui habeat, tùm demum, cùm ſpes nulla corrigibilitatis ſupereſt, remittendum eum eſſe ait ad judicem ſecularem, ut legitimâ pœnâ afficiatur. Qvo tamen caſu pro clerico amplius non habetur, qvippe qvi per degradationem clericali ordine & dignitate prorſus exutus eſt. Et debet tamen nihilominus hoc caſu efficaciter intercedere Eccleſia, ut citra mortis periculum, circa eum ſententia moderetur *c. 27. X. de V. S.* efficaciter, inqvam, h. e. ſine fuco & ſimulatione, uti explicat Claudius Eſpencæus *lib. 2, digreſſ. c. 7.*

Qvis verò non videt, qvàm præſumptuosè forum hoc Clericorum, principis regimini ſubductum, qvantoqve cum Reip. detrimento exemptio iſta facta fuerit. Enimverò falſum eſt, nullum Laicis in perſonas Eccleſiaſticas competere imperium. Contrarium multis argumentis firmarunt Andr. Rivetus *d. l.* Hadrian. Saravia *de imp. aut. & Chriſt. obed. lib. 3. cap. 18. ſeq.* Robert. Abbot *de ſuprem. pot. reg. per tot.* Rogerus Widdrington. *de juram. fidel. c. 7. ſect. 4.* & contra Adolph. Schulken. *§. 11.* Ambitioſum eſt, imò penè inſanum, jus προεδρίας ante Reges & principes ideò affectare, qvod ſalus æterna ſaluti temporali præferenda ſit. Tyrannicum eſt, ſumere ſibi poteſtatem deponendi Reges & principes. Nec indecens eſt, aut abſurdum, juriſdictiones & objecto & modo agendi diſcrepantes, hanc activè, illam

 paſſivè

Digitized by Google

paſſivè in uno ſubjecto concurrere. Qvin perqvam abſurdum eſt, & juſtitiæ adverſum, atqve ſcandaloſum videre Clericum & Laicum ejusdem delicti reos adeò diverſimode puniri, ut ſcil. Laicus pœnâ mortis afficiatur, & in fruſta ſcindatur, Clericus autem antiqva levi pœna caſtigatus, per forum ambulet, uti diſſimulare haud poteſt Julius Clarus *ſentent. lib. 5. qv. 36. num. 23.* Temperare mihi neqveo, qvin adſcribam verba aliqva Benigni Milletoti *ex tract. de delicto comm. & caſu privileg.* Sic autem ille *pag. 55.* Eccleſiaſtici judices neminem unqvam morti addicunt, qvantumvis atrocis criminis reum, ſed pœnæ illorum terminantur ſuſpenſionibus, privationibus, depoſitionibus, irregularitatibus, perpetuis carceribus, nec habet Eccleſia ultra qvid faciat. Eccleſiaſtici nunqvam brachio ſeculari traduntur, niſi ob tres caſus, hæreſeos, falſificationis literarum Apoſtolicarum, & conſpirationis contra proprium Epiſcopum. Qvomodo igitur punientur ſicarii, incendiarii, inceſtuoſi, Sodomitæ, parricidæ, conſpiratores adverſus Reges, & eorum ſtatûs, & ſimilia criminum monſtra, qvæ ſeculi infelicitas nimium ſæpè in Eccleſiaſticis detegit ſummo judicum moerore, qvi manus in eos injicere coguntur. Sed ſi creditur ipſis, judex ſecularis de crimine cognoſcere non poterit, qvin excommunicationi ſubjicitur. Judex Eccleſiaſticus nullam aliam pœnam imponere, neqve graviorem imponere poterit, qvàm aliqvam ex ſupra memoratis. En igitur manifeſtam impunitatem in maximis & atrociſſimis criminibus. Nam aut prorſus non punire, aut non æqvalem criminis atrocitati pœnam inferre perinde eſt. Ac ſanè pœnæ omnes Eccleſiaſticæ nihil aliud ſpectant qvam ut puniatur, qvod adverſus Eccleſiæ ſtatum geſtum eſt, purgentur animæ à peccato & ad beatitudinem æternam diſponantur, qvi qvi finis eſt poteſtatis Eccleſiaſticæ, bonum ſcil. ſpirituale animarum. Sed qvod adverſus civilem ſocietatem admittitur, adverſus ſtatûs tranqvillitatem, & totius Reip. commodum, Eccleſia punire non poteſt: qvod ipſi non ſit commiſſa cuſtodia & defenſio ſtatus: neqve enim ad ipſius munus & officium pertinet. Hanc ob cauſam neceſſarium eſt, ut cognitio criminum, qvæ adverſus civilem ſocietatem admittuntur, ſtatumqve perturbant, adverſus qvamcunqve perſonam, ad eos pertineat, penes qvos eſt ſumma rerum adminiſtratio. Qvandoqvidem Eccleſia neqve partes neq; judices neqve pœnas habet pro talium criminum merito: & qvod ipſi cura & adminiſtratio temporalium politiarum non eſt commiſſa &c. Qvi

qvæ

Digitized by Google

qvæ ex tali exemptoine in Republicâ oriantur mala, qvaſi in compendio addiſcere cupit, legat ille vitam Thomæ Becketi Archiepiſcopi Cantuarienſis, *inter antiqv. Eccleſ. Britann. pag. 128. ſeq.* & apud Franciſc. Godwinum *de præſul. Angl. pag. 101. ſeq. Conf. ſi lubet, qvæ dixi ad Lancellott. lib. 3. tit. 1. §. 6.*

Qvod proceſſum à Pontifice præſcriptum attinet, multifariam inter Canoniſtas diſceptatur, utrum traditio Clerici, qvâ exhibetur ille Curiæ ſeculari, in omnibus hîc enumeratis criminibus locum habeat, an in tribus tantum illis, hæreſeos ſcil. falſi in literis Apoſtolicis commiſſi, & calumniæ proprio Epiſcopo illatæ? Utrum in his etiam tribus incorrigibilitas attendi debeat? Utrum in caſu incorrigibilitatis etiam degradatio neceſſaria ſit? Utrum propter crimen valdè damnoſum & pernicioſum Reip. tradi neqveat Clericus judicio ſeculari, niſi incorrigibilitas acceſſerit? Incorrigibilitas utrum ex eodem genere delicti, an verò ex diverſis ſpeciebus æſtimanda ſit? Ut incorrigibilis aliqvis dicatur, utrum reqviratur ſententia judicis declaratoria? Utrum non niſi per degradationem amittatur privilegium Clericale? & ejusmodi plura, de qvibus nunqvam adhuc convenire potuerunt Canoniſtæ. *Vid.* Covarruvias *pract. qvæſt. c. 32. n. 2* Stephan. de Avila *de cenſur. part. 4. dub. 3.* Joſeph. Gibalin. *de cenſur. diſqviſ. 7. q. 13.* Henr. Zoeſ. *ad tit. Decretal. de pœn. n. 13.* Aug Barboſa *ad h. t.* in primis verò Sigism. Scaccia *de judic. lib. 1. cap. 11.* De iſtis verò omnibus nulla planè nobis ſedet cura, qvandoqvidem graviora Clericorum delicta omnia apud nos Magiſtratum ſecularem vindicem habent, cui & jure divino & ex politicâ ratione in facinoroſos ſine diſtinctione perſonarũ poteſtas animadvertendi competit.

Cœleſtinus tertius] Clementi III. hanc Decretalem adſcribit Cujacius, putatqve exaratam eam fuiſſe ad Archi Epiſcopum Strigonienſem, & concurrere adeò in materiâ cum *cap. 8. h. t.*

cujuscunqve ordinis] Primam tonſuram non eſſe ordinem fatentur pleriq; omnes, ſed januam tantum ad ordines recipiendos. Ordinis tamen verbum generaliter prolatum etiam primam tonſuram comprehendere dicit Nicolaus Garſias *de benefic. part. 7. cap. 1. n. 6.* Petr. Gregor. *de benefic. cap. 36. n. 4. & 6.* Unde & clericos primæ tonſuræ privilegio hoc fori gaudere communis eſt Doctorum aſſertio. Covarruvias *d. l. in pr.*

deponendus eſt] Verbum hoc de depoſitione reali ſive degradatione accipit Cujacius, qvam tamen fictè interceſſiſſe putat Jacobus Menochius *de A. J. Q. caſ. 45. in fin.* ut adeò ex ejus ſententia non niſi verbalis depoſitio hîc

hîc intelligenda ſit. Neqve concedendum Cujacio, Epiſcopum hîc contra degradatum deinceps procedere in memoriam prioris Clericatûs; ſiqvidem pœnæ, qvæ ſeqvuntur, non minùs adverſus Laicos decerni poſſunt, qvàm adverſus Clericos, ut maximè per depoſitionem hîc intelligamus degradationem. Degradatio autem ex communi Doctorum ſententia privilegium fori adimit, & Clericum redigit in ſtatum Laicum ſive ſecularem, id qvod depoſitio non facit. Cæterum de ceremoniis, qvæ adhiberi ſolent in actu degradationis, videri poterunt Sleidanus *lib. 4. pag. m. 88*, Petr. Suavis *in hiſt. Concil. Trident. pag. 375.*

anathematis mucrone] Excommunicationem minorem & majorem & anathematiſmum ita diſtingvit Cujacius, qvòd minor excommunicatio â perceptione Sacramentorum tantùm, major a fraterna ſocietate & conſvetudine, anathematiſmus ab ipſo corpore Chriſti ſeparet & avellat. Reliqvi Canoniſtæ nullum faciunt diſcrimen inter excommunicationem majorem & anathematiſmum, niſi ratione ſolennitatum, & qvod anathematiſmo diræ imprecationes & maledictiones atqve execrationes publicæ adjiciantur, Covarruv. *ad c. alma mater, part, 1. §. 8. n. 8.* Avila *de cenſur, part. 2. diſp. 1.*

poteſtatem] Poteſtatis vocabulum ut ſumatur, *vid. Dd. ad. l. 215. ff. de V. S.*

Notetur hîc I. Exemptionem Clericorum prima ſua principia habuiſſe ex privilegiis Principum, qvâ tamen illi à jurisdictione inferiorum tantùm judicum eos liberarunt, ſalvâ ſibi poteſtate, qvàm in eos non minùs atqve in alios qvosvis ſubditos aut cives retinuerunt; ſed Pontifices deinceps protervioreſ factos, qvod ita ex privilegio & conceſſione habebant, ſuo jure ſibi vindicaſſe, Principibus eâ poteſtate prorſus excluſis.

II. Eccleſiæ poteſtatem externam ultra anathematiſmum non extendi, & brachio propterea ſeculari opus eſſe, ſicubi in ordinem cogi debeat refractarius.

Ad c. qvia 11.

Vincentius qvidam Patricium ab Eccleſiâ ſuâ dejecerat, à qvo deinceps coram delegatis judicibus conventus brevi poſt diem ſuum obierat. Ei ſuccedebat Rogerus, eandem Eccleſiam, qvam non ignorabat vi occupatam, ingrediens, ejusqve poſſeſſionem adprehendens. Dubitabant judices

ces delegati, utrum vi commiſſionis adverſus Rogerum perinde, atqve adverſus Vincentium procedere in cauſa poſſent. Reſpondet Pontifex, judicium continuari adverſus ſucceſſorem debere.

Ratio dubitandi erat, qvia adverſus tertium poſſeſſorem & ſucceſſorem ſingularem interdictum unde vi non datur *l. 7. ff. de vi & vi arm.* Sed adverſus eum tantùm, qvi vi dejecit, vel dejectionem fieri mandavit, vel dejectionem factam ratam habuit *l. 1. §. 12. & 14. ff. eod. Idem dicitur cap. 15. X. de reſtit. ſpol.*

Circa rationem decidendi & veram hujus capituli explicationem anxiè ſollicitus eſt Auguſtinus Barboſa, qvi poſt multam diſputationem duplicem infert magis qvàm effert ſenſum. Primò dicit, in hoc reſcripto ideò comprehendi ſucceſſorem in beneficio, qvia fuit reale directum principaliter in rem vel cauſam de qvâ agebatur, non contra certam perſonam. At putaveram ego, ipſam actionem intentatam, non reſcriptum ſuper actione impetratum, realem aut perſonalem facere actoris intentionem. Et cauſa, qvæ hîc ventilabatur, inſtituta erat ex interdicto, unde vi: Interdicta autem omnia, licet in rem videantur concepta, vi tamen ipſa perſonalia ſunt *l. 1. §. pen. ff. de interdict.* Deinde ait Barboſa, reſcriptum hoc Pontificis extendi ad ſucceſſorem ſecundum vim comprehenſivam, qvia comprehendatur ſub ipſis verbis reſcripti. At verò hoc in controverſiâ eſt, & unde fidem huic comprehenſioni faciet Barboſa? Cujacius jus novum fingit, à jure civili diverſum, idqve comprobat *ex cap. 18. X. de reſtitut. ſpol.* At, ſi verum eſt, qvod ſtatuunt Canoniſtæ, non priùs qvam per iſtud cap. 18. qvod Innocentium III. autorem habet, jus novum introductum fuiſſe, non potuit iſtud anteceſſori ejus Cœleſtino III. qvi noſtræ hujus Decretalis autor eſt, adſcribi. Simpliciſſima igitur ratio decidendi mihi videtur iſta, qvam affert Joh. Bapt. Vivianus, qvia ſcil. eo ipſo, qvod aliqvis ſcienter recipit rem cum tali vitio, videtur habere ratum factum prædeceſſoris. Talem enim interdicto unde vi teneri, *ex l. 1. §. 14 ff. de vi & vi arm.* dixi ſupra. Et qvî verò non ratum habeat, qvi ſciens vitium anteceſſoris idem facto ſuo, dum ipſe qvoqve poſſeſſionem occupat, apertè comprobat? Non enim verbis tantùm, ſed facto etiam ratum haberi poteſt, *l. 5. ff. ratam rem hab.* Illud addo, non videri ex priore reſcripto ſucceſſorem Vincentii condemnari potuiſſe, qvippe qvi ex poſt facto demum tenetur; poteſt tamen ille ex ſecun-

Digitized by Google

ſecundo hoc ſecundum formam prioris judicari, ita ut forma prioris in hoc ſecundo repetita, & delegatio renovata cenſeatur.

Idem] Ex antiqvâ Decretali talis occurrit inſcriptio: *Cœleſtinus tertius Wintonienſi Epiſcopo & Abbati S. Albani.* Sed *in tomo Concil. 3.* inter acta Alexandri III. *part. 22. cap. 9.* hoc modo legitur: Idem (ſcil. Alexander III.) *Wigorn. Epiſcopo & Abbati de S. Albano.*

ingreſſus] intruſus, legitur *in tom. 3. Concil.* qvod ipſum etiam vocabulum vim qvandam denotat. Et ut maximè intruſus ille vim ipſe ab initio non fecerit, ſed ab aliis, dum intruderetur, vim paſſus fuerit, vim tamen & ipſe deinceps facit, ſi non diſcedit iterum, & liberam poſſeſſionem adverſario ſuo non relinqvit. *arg. l. 11. ff. de vi & vi arm.*

Notetur hinc, I. interdictum unde vi jure civili non dari adverſus tertium poſſeſſorem, benè tamen jure canonico, *per c. 18. X. de reſtit. ſpol.* atqve hinc notabilem naſci differentiam inter jus civile & Canonicum.

II. Commiſſiones eſſe ſtricti juris, neqve extendi debere à perſona ad perſonam, à cauſa ad cauſam, & ſic porrò. *Vid.* Rutger Ruland *de commiſſ. part. 1. lib. 3. cap. 2.*

Ad cap. cum veniſſent. 12.

Capitulum hoc ſive de privilegiis, qvæ ſibi competere jactitat Eccleſia Romana, ſive de talibus, qvæ ipſa aliis Eccleſiis concedere qvotidie ſolet, accipias, utrobiqve maximum invenies faſtûs & præſumptionis Papalis argumentum. Qvod enim primum genus attinet, qvis credere velit nudo Pontificis aſſerto, creditam ſibi in univerſas Eccleſias à Salvatore Chriſto poteſtatem vicariam, & collatum ſimul infallibilitatis privilegium, ut errare nunqvam poſſit? Qvis credere velit, non in Eccleſias tantùm, ſed in univerſas Reſpublicas, & ipſa Principum capita ſummam ei competere poteſtatem tùm Eccleſiaſticam, tùm temporalem? Et hæc tamen, ut credantur, maximoperè urgent ſedis Romanæ præcones. *Vid.* Joſeph. a Coſta *de procur. Indor. ſal. lib. 5. c. 9.* Thomas à Jeſu *de converſ. gent. paſſim.* Qvod ſi igitur de his talibus judicandi nemini cuiqvam relinqvitur poteſtas, & ne qvidem ex Spiritus S. officinâ, cæcus planè exigitur aſſenſus & religio ipſa deniqve fiet bruta. Circa alterum non minor ſeſe exſerit Pontificis arrogantia, dum extra diœceſin ſuam, ad qvam limitata eſt ejus juriſdictio, aliorum Epiſcoporum diœceſes involat, eorumqve ſubditos eis planè

ne invitis ſubtrahit, atqve ſibi uni immediatè ſubjectos facit. Privilegium hoc dicitur, per exemptionem Eccleſiæ aut Monaſterio conceſſum,ſed qvod non aliter, niſi per tyrannidem Eccleſiaſticam dari poteſt. Et de tali tamen privilegio nemini ulli judicandi poteſtas ſupereſt, & ipſe ille Epiſcopus, cujus jurisdictio violatur, ſancto ſilentio id approbare tenetur.

Cæterùm ad ſecundum hoc genus Decretalem hanc referri debere vix dubium eſſe poterit conferenti partem ejus alteram, qvæ extat *in c. 2. X. de integr. reſt.* & cum hâc noſtrâ coaſſanda eſt. Dum enim diſceptabatur, utrum Monachi Rothonenſes ſine conſenſu Epiſcopi Venetenſis, in cujus diœceſi monaſterium ſitum erat, Abbatem ſibi eligere poſſent, Monachi ad privilegium exemptionis à Pontificibus anterioribus impetratum provocabant. Id cum accuratiùs examinaſſent judices delegati, Pontifex iſtud examen improbat, & ſuper tali privilegio ab nullo unqvam cognitionem inſtitui debere reſcribit. Et de poteſtate Pontificis nulla qvidem mihi videtur tùm fuiſſe controverſia, qvandoqvidem, qvod ſacrilegii inſtar habent Imperatores, ſi qvis de judicio ſuo diſputare velit, *l. 2. C. de crim. ſacrileg.* id ſine dubio in caſu ſimili pro vero ſacrilegio circa ſua judicia habuerunt Pontifices; Sed diſceptatio omnis ex interpretatione orta fuerat, & tali qvidem, qvæ verba privilegii dubia, obſcura & perplexa concernebat. Talem enim ſibi ſoli reſervatam ſupponit Pontifex, ad exemplum & imitationem Imperatorum *in l. 12. C. de LL. & Novell. 143. pr.*

Rationem dubitandi præcipuam & gloſſa & pleriqve interpretes omnes hanc ponunt, qvod hôc modo Pontifex fieret judex in propriâ causâ; atq; hinc in genere qvatenus id liceat, multa congerunt ad præſentem ſtatum nihil facientia, niſi ſupponas, de primo genere privilegiorum, Romanæ ſcil. Eccleſiæ competentium, hîc ſermonem eſſe, qvod nobis ſecus viſum fuit. In ſecundo verò genere non magis videtur Pontifex eſſe judex in propriâ causâ, qvàm teſtis, qvi teſtimonium ſuum obſcurum interpretatur, qvandoqvidem privilegium allegatum probationis vicem ſubiit. Ratio igitur dubitandi potior mihi videtur iſta, qvod judices delegati hanc qvoqve de vero privilegii ſenſu cognoſcendi poteſtatem ſibi conceſſam arbitrati fuerint, cùm illi, cui jurisdictio data eſt, ea qvoqve conceſſa eſſe intelligantur, ſine qvibus jurisdictio explicari non poſſit, *l. 2. ff. de jurisdict.*

H Ratio

Digitized by Google

Ratio decidendi eſt, qvia in Legibus aut privilegiis obſcuris recurrendum ſemper eſt ad Legis aut privilegii autorem, cùm nemo eorum ænigmata ſolvere & omnibus aperire idoneus magis ſit, qvàm cui contigit eſſe Legislatorem & privilegii autorem *d. l. 12. C. de LL.* Et qvanqvam Succeſsores in ſede Pontificiâ ſenſa Anteceſſorum ſuorum ignorent ſæpe numero ipſi, ordini tamen naturæ conveniens magis eſt, ab his potius, qvi publicum Eccleſiarum ſtatum exactiùs tenent, qvàm ab aliis, judicandi tantùm muneri deſtinatis cæteroqvin privatis, interpretationem expectare.

ſedis Apoſtolicæ] Vocabulum hoc omni ſedi Metropoliticæ, imò cuicunque Epiſcopali olim tribuebatur. Hodiè verò id ſibi proprium eſſe voluit Eccleſia Romana ſive potius Papa. *Vid.* Autor Euchariſtici *Jacobo Sirmondo miſſi de Eccleſ. ſuburbicar. pag. 564.*

Notandum hîc I. Triplicem eſſe legis interpretationem, authenticam, uſualem & Doctrinalem, illam ſoli Principi competere, & locum invenire in verbis obſcuris, ambiguis, & perplexis; iſtam ex uſu & conſvetudine, qvæ optima legum interpres eſt, peti: hanc ex JCtorum opinionibus naſci. *Vid.* Franc. Svarez *de legib. lib. 6. c. 1.* Roger. Widdrington *de juram. fidel. c. 1. pag. 2. ſeq.* &, ſi lubet, diſputatio noſtra qvarta *de jurib. majeſt. num. 4. ſeqq.*

II. Etiam in privilegiis, ubi verba obſcura & ambigua ſunt, ejus eſt interpretari, cujus eſt condere. *Vid.* Georg. Acac. Enenkelius *de privileg. lib. 2. c. 2. n. 15. ſeq.*

Ad c. novit ille 13.

Ut planior fiat hujus Decretalis explicatio, & de ſcopo ejus exactiùs conſtet delibandum nonnihil eſt ex hiſtoriâ iſtius temporis, qvæ ita ſe habet. Defuncto ſine liberis Richardo primo, Angliæ Rege, ſuperſtites erant ejus frater natu minimus Johannes, & ex altero fratre natu majore Goffredo ſive Galfrido nepos Arturus. Johannes in regno ſuccedebat, excluſo Arturo, & deinceps occiſo, qvod ſibi metueret ab illo, ne aliqvando Regnum invaderet, qvippe qvi, ut multi ſentiebant, jure repræſentationis in ſucceſſione præferri debuiſſet. Id facinus indignè ferens Philippus Auguſtus Rex Galliæ propter ſingularem affectionem, qvâ Arturo junctus erat, cauſſatus & alia, qvæ reum facere poterant Johannem, ei diem dicit apud Cu-

ri-

Digitized by Google

riam Parium, utpote Vaſallo ſuo. Qvem poſt repetitas citationes, cum non comparuiſſet, feudo indignum & propterea Ducatu Normanniæ & Aqvitaniæ, itemqve Comitatu Pictonum, Andium & Cenomanorum excidiſſe pronunciarunt judices. Ad exeqvendam iſtam ſententiam cum validâ manu Normanniam ingreſſus Philippus pleraqve loca omnia ſubegit. Qvo rerum ſtatu cum impar ei viribus eſſet Johannes, apud Innocentium III. Pontificem conqveritur, injuſtum ſibi à Philippo illatum fuiſſe bellum, nec ſervatum ab eo juramentum, qvo pactas ſecum inducias confirmaverat, paratum idcircò ſe eſſe judicio contendere, ut iniqvæ Philippi actiones eo magis pateſcerent. Innocentius, cùm per legatos movere non poſſet Philippum, ut ab armis deſiſteret, & judicio ab ſe conſtituto decertaret, interdicti ſententiam niſi is paruerit, promulgare conſtituit, uti patet *ex cap. 1. X. de off. leg. & c. 43. X. de appellat.* Qvæ res cùm attonitos redderet prælatos Franciæ, & ſuſpicio inde nata eſſet Pontifici, minus obſervatum iri hoc ſuum interdictum, qvod in Regem illi propenſiores viderentur, prolixas has ad eos mittit literas, qvibus & rationes reddit ſui proceſſus, & conqviſitis variis argumentis eis perſvadere intendit, juſtè à ſe promulgari interdictum, & ſibi proinde ab eis obedientiam deberi.

Obiter obſervo, Johannem Bromtonem in Chronico ſub Ricardo I. non ad Johannis, ſed ad Ricardi tempora hanc Pontificis Decretalem referre. Ejus verba hæc ſunt: Succeſſit Innocentius III. natione Campanus, ad qvem Rex Ricardus nuntios miſit & conqveſtus eſt de Rege Francorum ſuper fide fractâ & juramento nullatenus obſervato. Super qvo cum vellet Dominus Papa eum convenire per legatum, prælati Franciæ ipſum nolentem reſpondere apud dominum Papam excuſabant, rogantes, ut juriſdictionem non læderet Regis Francorum, qvos ſuper petitione irrationabili Papa redarguit vehementer, ſicut patet, *extra de judic. cap. novit ille.* Verum enimverò lapſus hac in parte videtur Bromton. Uti enim ex Matthæi Weſtmonaſterienſis hiſtoriâ patet. factus fuit Innocentius III. Papa die 22. Febr. MCXCVIII. & eo tempore ſuperior erat Richardus, dupliciqve victoriâ glorioſus, nec opus habebat, ut Pontificem de pace conciliandâ imploraret. Et imò ſcribit Matthæus Pariſienſis, tùm temporis non Richardum, ſed Philippum viribus fractum à Pontifice impetraſſe, ut autoritatem ſuam interponeret, Richardum autem cum indignatione exprobraſſe Pontificis Legato, qvod ille multoties requiſitus per cenſuram Eccleſiaſticam

Digitized by Google

compellere noluerit Francorum Regem ad reſtitutionem terrarum ſibi injuſtè ablatarum. Induciis tamen menſe Septembri eodem anno ex Pontificis inſtantiâ pactis, poſt ſemeſtre ſpacium diem ſuum obiit Richardus. Ex qvo conficitur, per iſtud anni ſpacium, ex qvo Papa factus fuit Innocentius, ad obitum usqve Richardi, haudqvaqvam refractarium fuiſſe Regem Francorum, nec opus adeò fuiſſe interdicto, aut ſi opus fuiſſet, id impetrari non potuiſſe à Richardo, & Richardum ipſum reconciliatum Philippo deceſſiſſe, totúmqve proinde negocium, de qvo Decretalis hæc agit, ad Johannis tempora referendum eſſe, uti non obſcurè prodit Polydorus Virgilius *hiſt. Angl. lib. 15.* Qvò etiam pertinet, qvod judicii feudalis mentionem faciat Pontifex, tale autem non Richardi ſed Johannis tempore in Galliâ habitum fuerit.

Ut in compendium redigam hujus Decretalis ſententiam, non alia fuit mens Pontificis, qvam ut excuſaret proceſſum interdicti adverſus Regem Francorum à ſe decreti, utqve prælatos regni & per eos unà plebem atqve populum averteret à fide & obſeqvio Regis, qvaſi non obtemperantis Eccleſiæ, ſive ſuis potiùs præceptis. Atqve idcircò Decretalem hanc valdè exagitat & eruditè perſtringit Carolus Molinæus *ad SCt. Franciæ contra abuſ. Pap. n. 92. ſeq. it.* Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 5. c. 2. n. 52. ſeq. & lib. 6. c. 3. n. 52.*

Tota qvæſtio in eo vertitur, utrum rectè faciat Pontifex Romanus, qvando in hâc Regum contentione ſuas interponit partes, & in Regem Galliæ novum ipſe inſtituit judicium, eumq́; , ni pareat, interdicti denunciatione minaciter terret, & utrum huic Pontificis decreto ubi promulgatum fuerit, parere debeant Eccleſiæ Gallicanæ prælati? Cumqve in utramqve partem ipſe prolixè diſputet Pontifex, nec dubitandi nec decidendi rationes aliunde, qvam ex ipſo contextu, erunt petendæ.

Prima ratio dubitandi hæc eſt, qvod Rex Galliæ exeqvatur ſententiam, qvâ Rex Angliæ propter feloniam commiſsam à Paribus curiæ condemnatus & feudo indignus judicatus eſt, qvodqve adeò Rex Galliæ non amplius qvod Regis Angliæ eſt, ſed qvod ſibi lege commiſſi acqviſitum eſt, perſeqvatur. Unde cum totum hoc negocium feudi amiſſionem & proceſſum feudalem concernat, nullæ erunt hîc Pontificis partes, nullus interdicto locus *c. 5. ſupr. h. t. c. 5. X. de for. comp.*

Se-

Secunda ratio dubitandi eſt, qvod injurioſum videatur, ſupremum in Regno ſuo Monarcham de rebus in Regno ſuo & Regali ſuâ ſupremâ jurisdictione ſitis, contentioſam & judicialem cauſæ cognitionem ſubire, atqve partis litigantis vices ſuſtinere debere, nec apud judicem qvidem competentem, ſed apud extraneum poteſtatem hanc ſibi uſurpantem, nullâ cæteroqvin autoritate ſuffultum, nec ullâ jurisdictione in Regno Galliæ munitum.

Tertia ratio eſt, qvod aliter cum Regibus, aliter cum aliis agendum ſit. Et certè Reges cùm ſuperiorem habeant neminem, judicari ita non poſſunt, ut inferior aliqvis, niſi ipſi ſponte ſe alterius poteſtati ſubjecerint, & hâc ratione in ſe ipſos jurisdictionem conceſſerint. Optimè Vitiges apud Caſſiodorum: Cauſa regiæ poteſtatis ſupernis eſt applicanda judiciis, qvandoqvidem illa â Cœlo petita eſt, ita ſoli cœlo debet innocentiam. Nec alia fuit ſententia Davidis in exomologeſi ſuâ Deum his verbis, Tibi ſoli peccavi, alloqventis. *Vid.* Commonefactio & Arreſtum *Parlamenti Pariſ. adverſus Bellarmini libr. de poteſt. ſummi Pontif. pag. 33.*

Qvarta ratio eaqve haud levis momenti, qvam idcircò de induſtriâ omittit Pontifex, hæc eſt, qvod tota ea cauſa, qvam reſuſcitari nunc vult Pontifex, jamdiu in judicio examinata & per ſententiam deciſa ſit, eaqve vires rei judicatæ acceperit. Ad qvid ergo novo hoc judicio, qvod per delegatos ſuos conſtituere intendit, opus eſt? Ut maximè enim alia diverſa ſententia & planè contraria expectari qveat, ea tamen adverſus rem judicatam nullum planè effectum habebit, qvandoqvidem ſententia contra ſententiam ipſo jure nulla eſt. Barnab. Cornazzan. *deciſ. 120. n. 3.* Hartmann. Piſtor. *obſ. 137. n. 10.* nec reſcripta admittuntur, ſi deciſa ſemel fuerit cauſa judiciali ſententiâ. Id. Cornazzan. *deciſ. 32. n. 3.*; præſertim cùm hæc ipſa cauſa in executione jam verſetur, qvæ ſufflaminanda non eſt.

In conqvirendis rationibus decidendi valdè occupatus & prolixus eſt Pontifex. Ad captandam autem benevolentiam præmittit, & proteſtatur, ſe jurisdictionem Regis Galliæ turbare, & de feudo ipſo cognoſcere nolle. Jurisdictiones ſcil. Regis Galliæ & ſuam ſeparatas eſſe, nec confundi inter ſe debere, ſuam ſibi, Regi Galliæ feudalem relinqvendam, nec putare ſe, â Rege Galliæ qvicqvam, qvod ſuam minueret, affectatum iri, nec proinde à ſe ſimile qvid metuendum eſſe. In antiqvâ Decretali magnificè ſuum prædicat in Regem Galliæ affectum, laudatq; Regnum ejus, qvod nun-

 qvam

Digitized by Google

qvam deſciverit à fide & obſeqvio. Ne tamen gratis hæc dixiſſe, & omnem indiſtinctè jurisdictionem feudalem abdicaſſe cenſeatur, ſimul addit hanc exceptionem: *niſi fortè juri communi per ſpeciale privilegium, vel contrariam conſvetudinem aliqvid ſit detractum.* Et ſic in ſuſpenſo, imò verò ſub lite relinqvit, utrum Rex Galliæ judicium feudale adverſus Regem Angliæ conſtituere potuerit. Et hâc generali tamen proteſtatione qvam contrariam facto ipſe agnoſcit Hoſtienſis, ſatis confutatam putat rationem dubitandi primam, ut & qvartam.

Porrò primam decidendi rationem ſumit Pontifex ex proceſſu denunciationis Evangelicæ, uti vocant, qvam præſcriptam dicit *Matth. XVIII, 15. ſeqq.* & obſervatam hactenus ab Rege Angliæ, qvi ad huc paratus ſit injuſtitiam armorum Gallicorum oſtendere; cumqve poſt adhibitos regulæ Evangelicæ gradûs nihil profecerit Rex Angliæ, & Eccleſiæ tandem denunciaverit, ſe, ut caput & Epiſcopum Eccleſiæ Oecumenicum, judicem nunc eſſe, neqve hoc judicium ab Rege Galliæ declinari poſſe, niſi ſufficientem in contrarium rationem oſtendat.

At verò rectè obſervat Carolus Molinæus *d. l.* Salvatorem Chriſtum in proceſſu præſcripto non agere de cognitione contentioſâ vel judiciali, qvalem hîc inſtituere intendit Pontifex, ſed de correptione fraternâ gradatim faciendâ. Nec admitti poteſt, Eccleſiæ vocabulum qvod collectivum eſt, reſolvendum eſſe in unum individuum, Pontificem ſcil. Romanum. *Vid.* Hülſemann. *de corrept. frat. §. 15. num. 325. ſeqq.* Dav. Blondell. *de jur. pleb. in regim. Eccleſ. in princip.*

Secundam rationem decidendi ſumit Pontifex ab objecto, de qvo diſceptationem fieri debere contendit. Non enim, inqvit, intendimus judicare de feudo, - - ſed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, qvam in qvemlibet exercere poſſumus & debemus. Et porrò: Cum enim non humanæ conſtitutioni, ſed divinæ potius innitamur, qvia poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex DEo, nullus qvi ſit ſanæ mentis, ignorat, qvin ad officium noſtrum ſpectet de qvocunqve mortali peccato corripere qvemlibet Chriſtianum, & ſi correctionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coërcere.

At verò ἐπισκοπὴ illa univerſalis, qvàm jactitat Pontifex, ex uſurpatione eſt, neqve â DEo, niſi permittente; nec ſi eſſet talis, qvalem eam ipſe hîc deſcribit, qvicqvam faceret ad judicium fundandum, nec, ſi faceret, exten-

ten-

Digitized by Google

tendi ea deberet ad Reges & Principes. Corripiendi poteſtatem propter peccatum commiſſum habeat Pontifex, ſed extra diœceſin ſuam non aliam, niſi generalem illam, qvæ unicuivis Chriſtiano competit Et qvam extra diœceſin ſuam exercet diſtrictionem, affectata eſt & ipſa atqve præſumpta.

Tertiam decidendi rationem petit Pontifex ab Exemplis, primùm Valentiniani Imp. deinde Theodoſii & Caroli Magni. De Valentiniano refert *ex c. Valentinianus 3. diſt. 63.* exhortatum eum Epiſcopos, ut talem Mediolanenſi Eccleſiæ præficerent Epiſcopum, cui ipſe caput ſubmittere, & monita ejus, ſicubi deliqverit ipſe veluti medicamenta ſuſcipere qveat. Qvid verò hîc eſt, caput ſubmittere? non profectò ut pedibus conculcetur à Pontifice, non ut regimen temporale Pontificis ſubjiciatur arbitrio, aut ut ſubditi in caſu delicti à Rege commiſſi liberi pronuncientur ab obſeqvio; ſed, uti ipſe explicat Valentin. ut monitis ejus & miniſterio Eccleſiaſtico veluti medicinâ qvâdā ſpirituali. vitæ reſtituatur ſpirituali & ad frugem revocetur. Pontifex autem clavem ligantem & poteſtatem ſuam ſpiritualem in Reges & principes non tantùm ad excommunicationis fulmen extendit; ſed ulteriùs progreditur, & gloriatur, poſſe ſe per eandem ſolvere populos à juramento fidelitatis & obedientiæ: poſſe obligare eoſdem populos ſub excommunicationis pœnâ, ut Regi excommunicato non pareant, atqve ut alium ſibi eligant Regem. Bellarm. *adv. Barclaj. cap. 3.* deniqve poſſe integrum Regnum ſacris interdicere, & cultum divinum prorſus inhibere. Qvæ omnia tyrannidis Eccleſiaſticæ haud vana ſunt τεκμήρια & argumenta. *Vid.* Rob. Abbot. *de ſuprem. poteſt. reg. prælect. 17.*

Alterum exemplum eſt Theodoſii Imperatoris, ſtatuentis, uno ex litigatoribus eligente judicium Epiſcopi qvocunqve proceſſus articulo, ad eum protinus cauſam transmittendam eſſe. Hanc conſtitutionem ait innovatam & repetitam à Carolo Magno, ne qvis putet, antiqvatam eam eſſe, ſecutus hâc in parte Gratianum, qvi utriusqve conſtitutionis mentionem facit *c. qvicunq. & c. volumus 11. q. 1.* utqve argumento huic majorem vim ſvaſoriam adderet Pontifex, non putat improbari poſſe iſtas conſtitutiones ab Rege Philippo, qvandoqvidem is ex Carolo originem genusqve traxerit.

At

At verò totam iſtam Theodoſii conſtitutionem, qvæ Conſtantino Magno aliàs tribuitur, à plano qvodam confictam & principiis juris prorſus adverſam eſſe, eruditè oſtendit Jacobus Gothofredus *in Cod. Theodoſ. poſt librum 16. in extravag. 1. de Epiſcop. judic.* Et qvanqvam eam fraudis neſcius capitularium *lib. 6. cap. 281.* inſeruerit Carolus Magnus, incivile tamen erit ab Legislatore exigere, ut pari cum ſubditis ſuis jure, qvod ipſe præſcripſit, utatur, & judici ſe ſubmittat, imperioſè admodum & cum comminatione hanc poteſtatem uſurpanti.

Qvartam decidendi rationem ſumit Pontifex ex qvalitate delicti, qvod à Rege Philippo commiſſum dicitur. Id duplex eſſe ait crimen ſcil. fractæ pacis, & crimen perjurii. Utrumqve ad ſuam pertinere cognitionem. Primum, qvia per id ſolvitur vinculum charitatis, alterum, qvia in religionem & cultum divinum immediatè committitur, utriusqve ergò vindictam ad Eccleſiam pertinere, qvæ operam dare debet, ut charitas inter Chriſtianos ſalva, utqve religio inviolata ſervetur. Cui accedit, qvod perjurii nullam jure civili conſtitutam pœnam plurimi adhuc putent, id qvod tamen puniri maximè intereſt. *Vid.* Virgil. Pingizer *qvæſt. 39. n. 8. ſeq.* Ant. Perez. *Cod. de reb. cred. n. 55.* Rauchbar *p. 2. q. 3. n. 36.* Carpzov. *prax. crim. q. 46.*

Verum enimverò ſi propter charitatem læſam judicium Eccleſiaſticum aut Pontificis adeundum eſt, omnes cauſæ fori ſecularis poſſent ad forum Eccleſiaſticum trahi. Vix enim ulla eſt, qvæ non contineat injuſtitiam cum charitate pugnantem. Poſſent igitur actores ad declinandum judicium ſeculare ordinarium ita petere in libellis, peccare reos & in peccando perſeverare, & puniri idcircò debere in foro Eccleſiaſtico; qvæ res juriſdictiones mirè confunderet. Et hoc inconveniens anxium planè reddidit Martinum ab Azpilcueta Navarrum *ad cap. h. notab. 6. n. 15.* ut ipſe, qvid reſpondere debeat, neſciat, & novas inde excitet difficultates, qvas ſuperare haudqvaqvam poteſt. *Vid.* Marc. Ant. de Dominis *lib. 5. de Rep. Eccl. cap. 2. n. 54.* Nec alia perjurii ratio eſt. Poſſet enim ita cuivis negocio civili juramentum addi, eum in finem, ut cauſam deinceps ad forum Eccleſiaſticum trahere liceret. Idqve cùm factum aliqvando in Galliis, & hâc ratione juriſdictio ſecularis penè vacua & inanis reddita fuiſſet, Decreto Senatûs Pariſienſis vetitum refert Antonius Dadinus Alteſerra *ad h. t.* ne inſtrumentis publicis jusjurandum apponeretur. Optimè igitur de hâc Decretali ſcri-

Digitized by Google

ſcribit Petrus de Marcâ: Prima fronte Regum jura hâc Decretali foveri videntur, ſed ut integrum beneficium illi non debeamus, facit exceptio adhibita. Qvæ profectò ejus generis eſt, ut admiſſa ſemel in judiciis omnia fora confundat. Qvare à Gallis noſtris nunqvam ſuſcepta fuit, non ſolùm in ſpecie, de qva tunc agebatur, ſed nec in cæteris cauſis. *tr. l. 2. c. 3. n. 6.* Perjurii pœnam etiam jure civili valuiſſe aſſerunt multi. Anton. Mattheus *de criminib. pag. 270.* Hahn *ad Weſenbec. tit. de jurejur.* Dn. Tabor *in racemat. pag. 8. n. 13.* Et ſi vel maximè nulla talis conſtituta eſſet, qvis prohiberet, qvo minus adhuc à qvovis imperante conſtitui poſſet. Eccleſiæ eſt docere, monere, inſtruere, increpare, arguere, corripere, ut homines caveant à peccato & fugiant occaſiones peccandi. Sed tollere peccata & auferre occaſiones non ſpectat ad Eccleſiam, niſi per modum medicinæ ſalutaris, non per ullam veram coactionem.

In antiqvâ Decretali plurima cumulantur dicta Scripturæ, ſed qvæ omninò nihil faciunt ad præſentem ſtatum, neqve ex illis colligi poteſt, Reges ſubmittere ſe debere judicio Pontificis contentioſo, id qvod tamen Innocentius hîc perqvam deſpoticè exigit. Sic enim concludit, mandaſſe ſe legato ſuo, ut niſi Rex Galliæ cum Rege Angliæ pacem reſtaurare, aut ſaltem judicio à ſe conſtituto ſubmittere paratus ſit, ipſe juxta formam præſcriptam procedere hoc eſt interdictum promulgare non omittat. Et dehinc jubet prælatos Franciæ, ut ſententiam iſtam recipiant humiliter, eamqve & ipſi ſervent, & ab aliis obſervari faciant, graviter puniendos, ſi ſecus egerint. Sibi ſcil. dum obedientes eos reddere vult Innocentius, totos immorigeros reddit Regi ſuo, nec eos ſolos, ſed unà totum populum, qvem his artibus in Principem ſuum ſeditioſiſſimè concitat.

Idem prælatis] In antiqvâ Collectione legitur: Idem Archiepiſcopis per Franciam conſtitutis.

illuſtris Regis) Hoc titulo nullus olim major in Romano imperio, qvi proinde Regibus tributus eſt. *Vid.* Hieron. Bignon. *ad Marculf. l. 1. cap. 29.*

Apoſtolico judicio] h. e. judicio Pontificis Romani, qvi titulum iſtum ſolus retinuit, cum is olim etiam aliis Epiſcopis tributus fuerit. *Caſaub. exerc. 14. n. 4.*

Suffraganeis] ita dicuntur Epiſcopi unius provinciæ, qvi ſubjecti ſunt Metropolitano aut Archi-Epiſcopo.

Digitized by Google

qvod Theodoſius] imò Conſtantinus. Theodoſius autem ideò hìc appellatur, qvia hæc conſtitutio in Codice Theodoſiano reperitur. Ant. Auguſt. *de emendat. Grat. lib. 2. dial. 11.*

de cujus genere] Hæc verba movent Cujacium, ut credat, Hugonem Capetum, cujus trinepos fuit Philippus Auguſtus, ex Carolo Magno originem genusqve traxiſſe. Sed id negat Dionyſ. Petavius *in rationar. p. 545.*

mortali peccato] Nobis omne peccatum eſt mortale. Pontificii autem aliqva in ſe & ſuâ naturâ venialia eſſe dicunt.

per diſtrictionem] Vocabulum hoc ſæpè occurrit in Decretalibus & ſignificat cenſuram aut pœnam Eccleſiaſticam.

de juramenti religione] ita etiam dicitur *l. 1. l. 25. & paſſim ff. de jurejur.* qvia ſcil. juramentum eſt affirmatio religioſa, qvæ religio monet, ut inviolatè ſančteqve ſervetur, *Vid.* Hillig. *in Donell. lib. 24. cap. 13. lit. C.*

de plano cognoſcant] In his verbis duo potiſſimum continentur. Primum ſublata creditur ſolennitas, qvæ jure prodita eſt h. e. ut prætermiſſo juris ordine de causâ cognoſcatur. Alterum eſt, ut ſemiplenæ & ſummariæ probationes ſufficiant, qvod ultimum tamen in qvibusdam fallit. *Vid.* Petr. Coſtal. *ad l. 3. §. ſciendum ff. ad exhib.* Rationem denominationis *vid. apud* Hillig. *in Donell. l. 17. c. 21. lit. K.*

Notandum hìc I. Directorium atqve judicium, qvod ſibi in negociis publicis inter Reges & Principes vindicat Papa Romanus, eſſe merè uſurpativum, & in maximam Principum injuriam affectatum. Neqve igitur curandum, ſicubi ille pacis & induciarum atqve fœderum pacta conventa per extremam ſæpè Reip. neceſſitatem expreſſa, ideò tantùm improbat, & inania atqve caſſa declarat, qvia ſe inſcio, & in damnum Eccleſiæ, cujus ſe caput facit, inita fuerunt. Diriſſimæ ſunt voces, qvas adverſus pacificationem Osnabruggenſem & Monaſterienſem in bullâ ſuâ evomuit Innocentius X. ad qvam videri poſſunt Ludovicus de Monteſperato *in vindic. pacif. Osnabr. &* Joh. Hoornbek *in examine.*

II. Non competere neqve exerceri poſſe in Reges excommunicationem majorem. Hæc enim, qvæ interdicit libero ac voluntario commercio edendi, bibendi, converſandi cum excommunicato, in Regibus non magis habere poteſt locum, qvàm in conjugibus, ne reddant conjugale debitum, in filiis ne parentibus officia debita præſtent, in ſervis & ſubditis, ne dominis ſuis juſta exhibeant ſervitia & obedientiam. Qvin

etiam

Digitized by Google

etiam ad minorem Regum & Principum excommunicationem cautè & lentè procedendum eſt, ob inſeparabile periculum ſchismatis. *Vid.* Hulſem. *de corrept. fratern. §. 18. num. 285. ſeqq.* Danhauer. *in Theol. conſcient. part. 2. dial. 3. ſect. 1. q. 4. & quæ dixi ad Lancellott. lib. 4. tit. 13. §. 31.*

III. Interdicti Eccleſiaſtici proceſſum planè impium eſſe, præſertim generalis illius, qvod toti fit regno aut provinciæ, neq; alium ejus eſſe finem, niſi ut ſubditi adverſus Principes concitentur. Qvis enim ex veteribus unqvam docuit, devianti à rectâ viâ homini per generalem cultûs divini ſubtractionem eſſe ſuccurrendum. *Vid.* M. A. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 5. c. 9. n. 38. ſeqq.*

IV. Regem non habere ſuperiorem, nec judicari poſſe à qvoqvam. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 1. c. 3. n. 8.* niſi judicari ipſe ſponte velit, & poteſtatem judicandi alteri in ſe conceſſerit. Ex qvo ſeqvitur, valdè arrogantes eſſe Pontifices, qvi ſibi eam poteſtatem ſumunt, & in invitos jurisdictionem exercere non verentur.

V. Perjurium non Eccleſiaſticum tantùm, ſed etiam ſecularem judicem vindicem habere. *Vid.* Didac. Covarruv. *ad c. qvamvis, de pact. in 6. part. 1. §. 7. n. 2.* Aug. Barboſa & *Dd. communiter ad l. 2. C. de R. C.* Mich. Ferro Manrriqve *de diff. utr. for. qvæſt. 81. & q. 155. n. 3. 4.*

VI. Occaſione peccati in negocium civile incidentis ſive id comitantis, malè cauſam ſecularem trahi ad forum Eccleſiaſticum. Nec vana eſt qverela, qvam anno MDXXII. in Comitiis Norinbergenſibus inter gravamina ſub num. 64. Oratori Pontificio exhibuerunt Principes Germaniæ, his verbis: Inſuper & id præſumunt officiales, ſi qvando in cauſis prophanis ac inter perſonas Eccleſiæ minimè ſacratas, dicatasve, ſed omninò Laicas datâ fide, ſeu præſtito juramento, verbo vel in ſcriptis, pacta, obligationes, contractus vel promiſſiones factæ ſint, vel celebratæ, qvod eam ob rem, atqve hujus prætextus ratione tales prophanæ Laicæq; cauſæ coram ipſis potiùs, qvam ordinario judice agitari debeant. Qvæ nova Eccleſiaſticorum techna uſu ſi increſceret ac diutius toleraretur, jam actum foret de civili cauſarum auditorio, qvod omnes prophanæ civilesqve cauſæ contractum atqve transactionum hâc viâ neceſſariò ad Eccleſiaſticos pertraherentur. Qvis enim contractus, qvæ transactio, qvæ deniqve inter paciſcentes conventio, qvæ non ſit ſolenni ita ſtipulatione aut promiſſione vallata? Illac nimirum rerum veniremus, ut in totum civilia eluderentur judi-

Digitized by Google

dicia. Qvod nedum contra æqvitatem ipſam, contra omnia jura ſcripta, ſed & civili magiſtratui intolerabile foret. Nam ut demus hoc interim Eccleſiaſticis judicibus, de perjurio commiſſo notionem ut habeant, nihil magis per id cauſæ ipſius principalis, contractus puta aut transactionis, qvamobrem ille pejeravit, judices competentes erunt, qvin perjuros illos ob religionis transgreſſionem manifeſtariam tantum judicio convenire poſſent, ac Canonicam huic indicere mulctam, reſervatâ tamen civili magiſtratui, qvi perjuros pœnali judicio ſecundum civiles ſanctiones plectere jus habent, commiſſa ſibi ob id pœnâ.

VII. Laudari hîc debere Gallos, qvi ne omninò à Canoniſtarum doctrinâ diſcederent, permiſerunt qvidem judicio Epiſcopali abſolutionem à juramento ad effectum agendi; ſed ad hunc tamen ſolum, & ad perjurii exceptionem declinandam, non etiam ut de cauſæ meritis, & abſolutionis æqvitate apud judicem Eccleſiaſticum tractari poſſit. Ant. Fab. *Cod. l. 3. tit. 7. def. 17. in fin.*

Ad c. paſtoralis 14.

Statuit hîc Pontifex, relationem & propoſitionem facti, qvod in judicium deducitur, non ab advocatis, ſed ab ipſis litigatoribus fieri debere. Utinam, inqvit Cujacius, ſervaretur hæc lex. Ea enim ſeculi eſt perverſitas, ut callide plerumqve & ſubdole factum recenſeant Advocati, tacendo ea, qvæ cauſæ ſuæ minus proficua videntur. Cùm verò differant Advocati & Procuratores, qvippe qvi domini litis fiunt *l. 22. & ſeq. Cod. de procuratoribus*, cùm advocati tantùm adſiſtant & opem ferant, non ineptè qværitur, utrum etiam ad Procuratores hæc Decretalis extendi debeat? Johannes Baptiſta Vivianus id negat. Verùm rectior mihi videtur ſententia affirmativa, qvandoqvidem Papa diſertè dicit, principales perſonas *per ſeipſas* factum proponere debere.

Cæterùm ex perſona procuratoris hæc videtur eſſe ratio dubitandi, qvia nemini facilè adimi debet jus litigandi per procuratorem. Ilico Ummius *de proceſſ. diſp. 5. n. 68.* Hillig. *in Donell. lib. 18. c. 10. lit. D.* Ex perſonâ Advocati, qvia vitæ hominum neceſſarium eſt advocationis officium *l. 4. C. de advoc. diverſ. jud.* & advocationem reprobans aut denegans majorem defenſionis partem denegare videtur. Octav. Cacheran, *deciſ. 6. n. 13.* cui accedit, qvod ſati-

ſatius ſit, ab Advocatis hominum ineptias ac ſtultitias domi devorari, atq; in ordinem redigi, qvàm in judiciis easdem ſummo cum faſtidio audiri.

Ratio decidendi eſt, qvia factum qvisqve ſuum omnium optimè cognitum habet, qvod proinde rectiùs, qvam vel procuratores vel advocati exponere & referre poſſe cenſetur. Et intereſt utiqve Reip. relationem facti ſimpliciter atqve uti in ſe eſt, ſine integumento & callidâ circumſtantiarum occullatione judici patefieri, id qvod ab Advocatis ſperari ſæpè vix poterit. Excipit tamen Pontifex caſum, qvando perſona principalis planè indiſcreta eſt, tùm enim admittit, ut ejus loco Advocatus cum licentiâ & permiſſione judicis factum proponat.

factum proponant] Et ad hoc ſcil. reſtringenda eſt hæc Conſtitutio. Ad jus enim, qvod ex facto oritur, perſeqvendum prohiberi neqvit litigatos, qvo minùs adhibeat Advocatum aut procuratorem.

adeò indiſcreta] h. e. ſimplices & ſtupidæ, qvibus lumen mentis qvodammodo obſcuratum eſt, ut tueantur qvidem mediocritatem aliqvam officiorum, vitæqve cultum communem, uti loqvitur Cicero *lib. 3. Tuſcul. qvæſt.* Sed ſub confuſâ intellectus agitatione, nec proinde diſtinctè ea, qvæ ſentiunt. eloqvi poſſunt. De his enim verba Pontificis interpretari malo, qvàm de ruſticis, uti faciunt alii, qvos eqvidem factum proponere poſſe nemo eſt, qvi ambigit. Et hoc ſcil. ſufficit conſtitutioni huic obſervando. Nec proinde eos exceptos ſimpliciter voluit Nicolaus Antonius Gravatius *ad Octav. Veſtrii prax. lib. 5. cap. 14. n. 30.*

Notetur hîc I. Speciem facti rectius ab ipſis perſonis principalibus percipi, qvàm ab advocatis aut procuratoribus, & propterea cogi poſſe principales, ut veniant ipſi & reſpondeant. Joh. Bapt. Aſinius *de execut. §. 3. cap. 98.* Imò ſunt, qvi ſtatuunt, ubi reſpondendum fuerit ad poſitiones, non tantùm excludi debere Advocatos â reſponſione, ſed etiam debere arceri à conſpectu ipſius Reſpondentis, ne verbo aut nutu faciat mutare veritatem. Sig. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 7. qvæſt. 18. num. 551.* Octáv. Veſtrius *d. l. n. 8.*

II. In foro Saxonico hanc Conſtitutionem non obſervari niſi in cauſis matrimonialibus & criminalibus.

Ad c. examinata 15.

Caſus talis eſt: Vir nobilis Matthæus de Riparia cum militibus qvibusdam

Digitized by Google

dam certi Ordinis in Campaniâ propter jus patronatûs Eccleſiæ S. Angeli in contentionem venerat, cumque interdicto uti poſſidetis ageretur, Eccleſia ipſa interim apud Vicedominum Sabinenſem ſeqveſtrata fuerat. Facto deinde compromiſſo utraque pars arbitrum elegerat eundem Vicedominum, ut de totâ causâ & ipſo principali negocio judicaret. Ille arbitrium promulgaverat, ſed contra formam juris & compromiſſi, & Cœleſtinus Papa id confirmaverat, ſed ſub conditione & qvalitate tali: ſicut providè latum fuerat, & ab utrâqve parte receptum. Cujus conditionis defectum cum animadvertiſſet Innocentius ſucceſſor, totum iſtud laudum irritum declaravit, & ſic res in priſtinum ſeqveſtrationis ſtatum recidit. *c. 7. X. de confirm. util. vel inut.* qvod capitulum eandem cum hoc noſtro, diverſo tamen articulo, comprehendit cauſam, eiq; jungendum eſt. Matthæus deinde rei vindicationem inſtituit, & in apparatu probationum oſtendere conatus eſt, ſe tempore eo, qvo Eccleſia ſeqveſtrata eſt, poſſeſſorem juris patronatus fuiſſe. Videns hoc Pontifex, reos ab inſtantiâ abſolvit, qvod ineptè planè talis actio inſtituta fuiſſet, nec poſſeſſori rei vindicatio competere poſſet. Qværebatur ergò, utrum jure ſuo & cauſa ita ceciderit actor, ut nullam aliam actionem competentem inſtituere noviter liceret.

Ratio dubitandi videtur hæc eſſe, qvod abſoluti jam ſint rei ab intentione agentis, & qvod adeò exceptio rei judicatæ opponi poſſit noviter agenti, qvæ tàm valida eſt, ut ipſam totam illicò repellat actionem.

Ratio decidendi eſt, qvia qvando qvis propter ineptum libellum abſolvitur, non ab actione abſolvitur, ſed tantùm ab inſtantiâ, qvæ actionem ſalvam & efficacem relinqvit. Nec obſtare tùm poterit exceptio rei judicatæ, qvippe qvæ locum non habet, qvando ex alia cauſa deinceps actum fuerit.

milites Campaniæ] qvi fuerunt ordinis eqveſtris, Templariorum fortè, aut alterius alicujus.

Vicedominus] Ita dicitur Vicarius Epiſcopi. Jac. Sbrozzius *de Vicar. lib. 1. q. 2. n. 21.* qvemadmodum Epiſcopus dicitur dominus.

ſeqveſtratam] qvoad jus ſcil. controverſum. Nec enim ſeqveſtrari plus poteſt, qvàm in controverſiam venit. Et ſeqveſtratio talis fit in eum finem, ne qvisqvam litigatorum interim, dum lis pendet, jure iſto utatur.

Notandum hîc I. etiam res incorporales ſeqveſtro poni poſſe & ſolere.

Add.

Add. tot. tit. X. de ſeq. poſſ. & fruct. Clem. un. eod. Ordinat. Cameræ Imperialis p. 2. cap. 21. §. fin. Joh. Gœddæ. *de ſeqveſtrat. ad rubr. n. 13.*

II. Rei vindicationem non competere poſſeſſori, *§. 2. Inſt. de act.* qvandoqvidem peti neqvit, ut reſtituatur, qvod actor jam habet, *Vid.* Bachov. *de act. diſp. 2. n. 15.*

III. Rei vindicationem propriè dictam eſſe tantùm rerum corporalium. Incorporales etſi dicantur vindicari, propriè tamen ſub hanc actionem non veniunt, qvippe qvæ nec poſſideri propriè poſſunt. Zoeſ. *tit. de R. V. num. 45.*

IV. Poſſeſſionem rei ſeqveſtrò depoſitæ non tranſire in ſeqveſtrum, ſi ſimpliciter cuſtodiæ cauſa res apud ſeqveſtrum deponatur, *l. 17. §. 1. ff. de poſ. l. 39. ff. de acq. poſſeſſ.*

V. Actione ineptâ intentatâ non perimi congruentem. Andr. Gail. *lib. 1. obſ. 67.* Anton. Hering. *de fidejuſſ. c. 20. §. 26. n. 34. ſeq.*

VI. Differre ab invicem: abſolvi ab inſtantiâ: abſolvi ab inſtitutâ actione: & non teneri reſpondere ad actionem. Carpzov. *part. 1. conſtit. 3. def. 16.*

VII. Exceptionem rei judicatæ non habere locum, niſi in noviter inſtituto judicio omnia ſint eadem, idem corpus, eadem qvantitas, idem jus, eadem cauſa petendi, eademqve conditio perſonarum. *Vid. l. 12. & ſeq. ff. de except. rei jud.* Zanger. *de except. lib. 3. c. 17.*

Corollarium.

Qvær. An is, apud qvem ſeqveſtratum eſt jus patronatus, ſi ſacerdotium vacet, præſentare poſſit? Negat Panormitan. *ad h. t.* & Bachovius *ad Treutl. vol. 1. diſp. 26. th. 9.* Rectius affirmant alii. Julian. Vivian. *de jure patron. part. 3. lib. 14. c. 5. num. 62.* Gœddæ. *de ſeqveſtrat. c. 2. n. 59.* Franc. Duaren. *l. 3. de benef. c. 10.* tùm qvod periclitari non debeat Eccleſia propter contentionem partium *c. 1. X. de de dol. & cont.* & interſit Eccleſiæ, ſacerdotium reſtitui, tùm verò qvia tempore periturum eſt jus præſentandi, cùm nemo aliàs ſit, qvi id exerceat. At intereſt ſeqveſtrantium, jus iſtud ad finem litis cuſtodiri, qvod cuſtodiri aliter non poteſt, niſi exerceatur.

Ad c. cum deputati 16.

Templarii olim, inſigni ordine militari celebres, cum in immenſum ſuas auxiſſent divitias, & ubiqve terrarum latifundia ſibi comparaſſent, admi-

miniſtratores eorum conſtituebant ex variis gentibus & nationibus. Cum verò propter prædia iſta controverſiæ ſubinde exorirentur, & illi adminiſtratorio nomine lites vel intentare vel excipere parati eſſent, noluerunt judices eos admittere. Id ne fieret amplius, hâc ſuâ conſtitutione prohibet Pontifex.

Cæterùm duplex in textu ex parte judicium adducitur ratio dubitandi, 1. qvia licitum non eſt illis ſuper litigioſis negociis curam agere, qvi pacificis decreverunt ſtudiis inhærere. Qvæ ratio videtur ex intentione & ſcopo templariorum petita, qvippe quorum ordo ideò primitus inſtitutus fuit, ut peregrinantibus ad loca ſacra tutum eſſet iter & tuta commoratio. 2. qvia adminiſtratorum iſtorum gens & natio atqve generatio prorſus erat ignota, qvandoqvidem fieri poſſit, ut infamiâ laborent illi, qvos tamen ad officium procuratorium admittere jura Canonica prohibent, *c. infames 3. q. 7.* Neutra ratio ſtringit. Non prima, qvia contentio in judiciis nihil habet commune cum pace & ſecuritate publicâ, qvandoqvidem nunqvam magis judicia exercentur & fervent, qvam ubi qvietè ſe habent Respublicæ. Non ſecunda, qvia, undecunq; venerint ejusmodi adminiſtratores, dummodo laudabiliter exeqvantur officium ſui ordinis, nihil omninò facit nationis ſpecies ad integritatem judicii nec propter infamiam qvenqvam excludere licet, niſi ea certò fuerit cognita. Potior autem ratio dubitandi videtur iſta, qvia adminiſtratoribus iſtiusmodi non erat à Magiſtro ordinis ſpecialiter commiſſa litium procuratio. Sed hanc rationem fingere magis, qvam aſſerere licet, qvandoqvidem contigiſſe id in facto, aſſeverare non auſim. Si tamen contigiſſet, haud levem movere potuiſſet ſcrupulum.

Pontifex autem ſimpliciter decidit, non eſſe excludendos iſtos tales adminiſtratores à judiciis, qvia, inqvit, undecunqve venerint gratia divina vocati, nihil intereſt, dummodo laudabiliter exeqvantur officium ſui ordinis. Ad officium igitur reſpiciendum eſt, cui præpoſiti ſunt, & ex hoc ſatis legitimati cenſentur, qvod adminiſtratores & gratiâ divinâ ad hoc vocati ſint. Nationis autem qvalitas ex ſuperabundanti reqviritur, qvia hoc ad adminiſtrationem ſive judicialem ſive extra judicialem nihil faciat, nec infamiam ſuſpicari licet.

militiæ templi] De templariis iſtis, eorum ortu & interitu, videri poſſunt Jacob. de Vitriaco *hiſtor. Oriental. c. 65.* Matthias Stephani *diſcurſ. Acad. 4. & 11. vol.*

Digitized by Google

18. vol. 2. Limnæ. *lib. 6. c. 2.* Hoornbek *de Jeſuitisſis p. 39. 40.* Joh. de Buſſieres *Hiſt. Franc. lib. 9. p. 228.*

Præceptores] Ita vocabantur procuratores ſive adminiſtratores, qvos Templarii prædiis ſuis in variis terræ partibus præficiebant. Qvemadmodum qvi toti Ordini præerat, veluti princeps qvidam, Magiſter appellabatur.

Notetur hîc I. de jure qvemlibet præſumi dignum & idoneum, donec probetur contrarium.

II. Adminiſtratorem idoneum eſſe rerum ſibi commiſſarum defenſorem, nec opus habere mandato ſpeciali. Eo ipſo enim, uti rectè ait Joh. Bapt. Vivianus *ad h. t.* qvod qvis præficitur alicui adminiſtrationi, adipiſcitur & obtinet facultatem agendi ſuper juribus illius adminiſtrationis. Et officiales tacitum intelliguntur habere mandatum in iis, qvæ pertinent ad eorum officium. Franc. Card. Mantica *Lucubr. Vatic. lib. 7. tit. 11. num. 1.* Atqve ita pronunciavimus in cauſa Heinrichs von Bünau/ als Verwalters des Tempelhoffs zu Droißig *c.* Ludwig Gebharden von Hoym. menſ. Auguſt. 1675.

Ad c. qvaliter 17.

Unicus iſte Decretalis hujus eſt ſcopus, ut ita exerceantur judicia Eccleſiaſtica, ne ſub prætextu denegatæ aut protractæ juſtitiæ privilegio fori excidant Clerici, qvippe qvod difficulter hactenus, & in qvamplurimis terrarum partibus cum ingenti regiminis ſecularis concuſſione obtentum fuit. Qvocirca jubet Pontifex, ut Laicis actoribus adverſus Clericos plena exhibeatur juſtitia, utqve appellationes à Clericis interpoſitæ, ſi fruſtratoriæ fuerint rejiciantur.

Ratio dubitandi peti poteſt ex favore perſonæ, qvod Clericis plus indulgendum ſit, qvàm Laicis, ne per eorum latus Religioni injuria inferatur, neve illi inde de judiciis malè ſentiendi occaſionem arripiant, præſertim ſi appellatio ab eis interpoſita rejiciatur, qvippe qvæ ad defenſionem facit, nulli omninò, & nec Diabolo qvidem denegandam, Juſt. Zinzerling *diſp. de appellat. th. 9. vol. 1. diſp. Baſil.* Qvò pertinet, qvod utroqve jure judex à qvo appellationem reſpuens pœnam incurrat. *c. 51. X. de appellat. l. 21. C. eod. Novell. 82. c. 12.* Sic. Scaccia *de appellat. q. 11. n. 6.*

Digitized by Google

Ratio decidendi petitur â periculo, qvod ſubeſt, qvia ſcil. metuendum eſt, ne Laici propter defectum juſtitiæ Clericos trahant ad judicium ſeculare, eâdem prorſus ratione qvâ propter deſidiam judicis ſecularis, Laici trahi poſſunt ad judicem Eccleſiaſticum *c. 10. X. de for. comp.* Atqve ita ipſe etiam conſtituit Juſtinianus *in Novell. 83.* repetita à Gratiano *c. ſi qvis cum clerico* 11. *q.* 1. Qvæ conſtitutio cùm valdè obſtet privilegio Clericali, cavendum putat Pontifex omnibus modis, ne ea in effectum & praxin deducatur.

Prælatis] i. e. omnibus illis, qvi in Eccleſiaſticis habent jurisdictionem contentioſam, qvi communi nomine Prælati dicuntur. Barth. Carthagena *ad tit. de ſuppl. negl. prælat.*

plenam] h. e. de totâ cauſa, ut conformis ſit ſententia libello, & ut factum factive meritum ad plenum excutiatur. Fieri enim alias poteſt, ut per errorem judiciis à primordio novæ litis ſentiantur eventus, uti loqvuntur Impp. *l. 3. Cod. Theodoſ. de ſent. ex peric. rec.*

fruſtratoriis] h. e. qvæ morandi cauſa & fraudulenter interpoſitæ ſunt, *l. 41. ff. de uſur.* ut qvantum poteſt cauſa procraſtinetur, & mora judicio injiciatur. Petr. Gregor. *de appellat. lib. 1. c. 13. n. 2.*

Notetur hîc I. Clericos non niſi in foro Eccleſiaſtico conveniri debere. Sed hæc regula multas patitur limitationes, de qvibus videri poſſunt, *qvæ dixi ad Lancellotti Inſtit. lib. 3. tit. 1. §. 5.*

II. Plenam eſſe debere ſententiam judicis, *l. 19. §. 1. ff. de recept. arb.* & plenam proinde præcedere debere rei, qvæ in judicium venit, inqviſitionem, *l. 9. C. de judic.* Ex qvo conficiunt nonnulli, ſententiam minus plenam etiam qvoad eam partem, de qvâ judicatum eſt, non valere. Sig. Scaccia *de ſentent. gloſſ. 14. q. 4. n. 6.* H. Zoeſ. *ad tit. de ſentent. & re jud. n. 100.*

III. Appellationes fruſtratorias non eſſe recipiendas. Sed profectò difficile eſt, nudo judicis inferioris arbitrio relinqvere, qvandoqvidem is ſæpè ex affectibus ſuis in transverſum rapitur. Potius eſt ut ipſi injungatur relatio eâ de re facienda ſuperiori. Neqve hanc rejiciendi appellationes poteſtatem judicibus inferioribus permittunt jura civilia. *Vid. qvæ dixi in Dicaſtico concluſ. 51.*

IV. In defectu juſtitiæ Laicos reos trahi poſſe a judicio ſeculari ad forum Eccleſiaſticum; ob eandem verò rationem non poſſe Clericos reos ex foro Eccleſiaſtico trahi ad judicium ſeculare. Sed longè alia erat olim pro-

ceſ-

Digitized by Google

ceſſus ratio. Appellari tùm poterat à ſententia Epiſcopi ad judicem ſecularem *Novell. 123. cap. 21.* relata Gratiano *c. de perſona 11. q. 1.* Et imò conveniri antehac illicò poterant Clerici apud judicem ſecularem *l. 33. C. de Epiſc. & Cler.* Qvod etſi deinceps cum temperamento aliqvo admiſerit Juſtinianus *in Novell. 83.* abunde tamen inde patet, non abſurdam neqve incompetentem prorſus viſam tùm fuiſſe Clericorum in judiciis ſecularibus conventionem.

Ad c. cauſam 18.

Prælatis provinciam ſive diœceſin obeuntibus & viſitantibus procuratio deberur *c. 23. X. de cenſib.* etiam â monaſteriis *c. 14. eod.* Eſt autem procuratio neceſſariorum ſumptuum, ſive annonæ & pabuli exhibitio. Hanc procurationem ab Abbate & monaſterio Vindomenſi deberi ſibi contendebat Archi Diaconus Carnotenſis. Negabant monachi, & exemptionis privilegium allegabant. Id litigium ut per ſententiam decideretur, delegati erant à Pontifice Epiſcopus & Archidiaconus Pariſienſis. Sed Archidiaconum ejurabant monachi, & ut ſuſpectum removeri poſtulabant, eò qvod ipſi ſimilis eſſet cum aliis monachis controverſia. Annuit Pontifex & in ejus locum ſurrogat Decanum Eccleſiæ Pariſienſis. Status igitur qvæſtionis hic eſt, utrum ut ſuſpectus recuſari poſſit judex, qvi in ſimili cauſa cum alio litigat.

Ratio dubitandi eſt (1) qvia de judice ut viro bono non præſumendum eſt, qvod judicaturus ſit ex affectu (2) qvia etſi id faceret, alter tamen, qvi in ſua cauſa judex eſt, propterea non tenetur ſimilem dicere ſententiam, qvandoqvidem inter cauſas iſtas neutra alteri eſt præjudicialis. Accedit (3) qvod in præſenti caſu non ſolus Archidiaconus, ſed unà cum eo etiam Epiſcopus delegatus ſit, qvi Archidiacono honeſtatis fines egreſſuro fibulam injicere poſſit.

Ratio decidendi eſt, qvia judex ſimilem habens cauſam alteri parti magis alteri minus favorabilis eſſe præſumitur, eo qvod in ſimili cauſa & ſimili periculo verſetur. Nec enim aliter videtur judicaturus de cauſa aliena, qvàm optat judicari de ſuâ, qvæ non abſimilis eſt. Eâdem igitur ratione, qva putat æqvum qvod petit ut pars, etiam putabit æqvum, qvod judicat, ut judex, cum conſcientia non poſſit eſſe diviſa in eâdem facti ſpecie.

Digitized by Google

Nec qvicqvam faciunt rationes dubitandi. Qvod enim primam attinet, locum ea habet tamdiu, qvoad proprium judicis commodum nullum ſubeſt, qvo incidente juſta ſubintrat ſuſpicio, non aliter judicaturum eum, qvam ut velit ipſe judicari in cauſa propria. Secunda periculum iſtud non tollit, qvod ſoleant judices ſæpè ex præjudiciis ſententias formare, & ſeqvi rei jam ante ab aliis judicatæ autoritatem. In tertiâ metuendum eſt, ne Judex adjunctus alterum in ſententiam ſuam, qvam mordicus defendit, pertrahat, ignorantem ſcil. ſimilem eidem eſſe cum alio controverſiam.

Idem] In antiqvâ collectione qvartâ additur: *Idem* Pontificatus ſui anno IX. In aliis exemplaribus legitur: Idem Pariſienſi Epiſcopo & Decano.

conventum] ſcil. monachorum. Sic enim vocatur Collegium tale â conveniendo.

Archidiaconum] Archidiaconorum ordo & gradus olim alius non erat, qvam Diaconorum. Qvare cum presbyteri fiebant, Archidiaconatu defungebantur. Laxatâ exinde diſciplina uſus obtinuit, ut Archidiaconatus etiam presbyteris deferretur: Jac. Sirmond. *ad Sidon. lib. 4. epiſt. 24.* Hodiè Archidiaconi munus ex doctrinâ Canoniſtarum maximè verſatur in obeundis vicibus Epiſcopi & in viſitandâ Diœceſi.

procurationibus] Procurare ſignificat alere ac tueri. Procurationes igitur ſunt annonæ & capita, i. e. pabula eqvorum. Sed & ex eo procurationes fortè dicuntur, qvod Epiſcopo rem Eccleſiæ procuranti, & ad eam viſitationis cauſa accedenti, præſtari ſoleant, qvo ſenſu agape, qvod Græcis dilectionem ſonat, accipitur pro convivio dilectionis cauſa facto & pauperibus exhibito. Anton. Bengeus & Franc. Pinſſon. *de benef. tit. de cenſib. c. 2. num. 9.*

ſimilis penè] Penè, inqvit, ut innuat, non reqviri cauſam per omnia ſimilem, Aug. Barboſa *ad h. t. n. 5.* Sufficit igitur, eandem rationem decidendi utrobiqve locum habere, & ex iisdem argumentis negocium utrumqve tractari.

Notetur ex hoc textu unicum iſtud, recuſari poſſe judicem, qvi ſimilem cum alio habet controverſiam. *Vid. qvæ dixi in Dicaſtic. concluſ. 13. §. 19. ſeqq.* Qvod verò gloſſa hìc dicit, cauſam iſtiusmodi non eſſe ſufficientem ad recuſandum judicem, ſed tantùm ad ſurrogandum alium, id non capio, cùm recuſetur utiqve, cui ex cauſa ſuſpecti ſurrogatur alius.

Ad

Digitized by Google

Ad c. exhibita 19.

Cùm electionem Epiſcopi Virdunenſis ut minus canonicè factam Canonici nonnulli impugnaſſent, Pontifex Pariſienſi Epiſcopo & qvibusdam aliis cauſam commiſerat ſub hâc verborum formulâ, ut ſuper propoſitis & aliis negocium contingentibus veritatem inqvirerent. Qvo facto, Epiſcopus novellus adverſariis ſuis qvibusdam inimicitiæ capitalis, aliis verò excommunicationis notam & exceptionem objiciebat. Judices nolebant probationes iſtas admittere, ſed nec litis qvidem conteſtationem exigebant, verùm unâ eâdemqve opera tùm de principali negocio, tùm de exceptionibus objectis inqvirere ſe velle pronunciabant. Re ad Pontificem delata, reſpondit ille, judicii ordinem obſervandum, & inqviſitionis proceſſum omittendum eſſe.

Ratio dubitandi conſiſtit in pravâ interpretatione commiſſionis Pontificiæ, qvam judices delegati accipiebant de inqviſitione ſtrictè ita dicta, ſive de proceſſu inqviſitionis, qvo ipſi ultrò per ſe per teſtes à ſe conqviſitos & accitos, non per teſtes à partibus productos & probationes ab eis factas, rei veritatem indagarent.

Ratio decidendi ex ipſâ authenticâ Pontificis interpretatione ſumenda eſt, qvia, inqvit, non in modum inqviſitionis ſed commiſſionis negocium extitit delegatum. h. e. non inqviſitio nuda, ſed talis cauſæ cognitio, qvæ auditis partibus & eorum probationibus abſolvitur, delegata fuit. Nec igitur captandum fuit â judicibus delegatis vocabulum *inqviſitionis*, qvippe qvod etiam de cognitione plenâ, ſervato ordine judiciorum, accipi ſæpè ſolet. *l. 9. C. de judic.*

Ad tit. Decretal. 2. de FORO COMPETENTE.

Ut de judiciis Eccleſiaſticis exactior habeatur cognitio, duo inprimis ſunt notanda. Primum eſt, poteſtatem Epiſcopalem cœpiſſe tum, cùm remitteret priſca Clericorum ſanctimonia & promptitudo miniſtrandi, ſed ipſam tamen illam poteſtatem tenuia admodum habuiſſe

iſſe principia, nec ad faſtigium illud, qvod nunc inter pontificios tenet, adſpiraſſe, niſi poſtqvam ſemina primatus papalis concepta fuiſſent. Alterum, qvod Eccleſia, qva talis, nullam omninò habeat vim & poteſtatem externam coactivam, ſed ſicut finis ejus totus ſpiritualis eſt, ita & poteſtas illi ex natura ſua competens ſpiritualis tantum eſt. Qvicqvid deinde acceſſit poteſtatis externæ & coactivæ, id totum ex politicâ poteſtate decerptum & principibus ſecularibus acceptum ferendum eſt. *Vid.* Oswald. Hillig. *in Donall. enucl. l. 17. c. 10. lit. X.* Ex qvibus ſeqvitur, nec ſuperioritatem Epiſcopalem, nec judicium Eccleſiaſticum juris divini eſſe, uti perperam docent Canoniſtæ, ſed utrumqve eſſe ex inſtituto humano, qvemadmodum etiam utrumqve in tyrannidem degeneravit. *Vid. qvæ dixi exercitat. 5. de jur. majeſt. n. 69. ſeqq.* Digna ſunt, qvæ adſcribantur verba Johannis Petri de Ferrariis, cujus in ipſis Papatus tenebris anno ſcil. 1413. hæc eſt qverela *in prax. tit. 30. n. 2. & 3.* Vides, qvod ipſe Papa, qvi deberet tanqvam verus Vicarius veſtigia ſeqvi Jeſu Chriſti, poſſidere & manu armatâ nititur detinere jurisdictionem in terris civitatibus, & villis & locis, qvæ ſunt naturaliter & â mundi creatione & Chriſti ordinatione Imperii Romani, - - imò ipſe Papa, in ipſum Imperatorem nititur ſuperioritatem habere, qvod ridiculum eſt dicere, atqve abominabile audire. Nam naturaliter à principio mundi omnes Clerici, nedum Laici erant ſub poteſtate & jurisdictione Imperii, ſed ipſorum Imperatorum dulcedine & benignitate fuerunt clerici dimiſſi ſub poteſtate Papæ, & beneficium hoc tanqvam ingrati ſciunt malè cognoſcere, &c.

AD CAP. I.

Proprium Epiſcopum] Hîc additur in canone 6. Concilii Chalced. *& ad ſecularia judicia non concurrat.* Qvalia etiam verba habentur *in cap. 1. hoc tit. in prima compilat.* Qvæ verba ideo omiſit Gregorius IX. ne qvis ex toto contextu erueret, etiam in ſecularibus judiciis conveniri Clericum aliqvando poſſe. Qvia enim ſeqvitur: *Sed prius apud ipſum actio ventiletur &c:* Facilè hinc colligere liceret, ſi judicium apud Epiſcopum peragi non poſſit, recurſum tùm eſſe ad judicia ſecularia. Et propterea maluit hanc illationem per omiſſionem priorum verborum Pontifex antevertere. Totus verò textus uti in ipſo Concilio proditus eſt, habetur *in c. ſi clericus 45. cauſ. 11. q. 1.* Qvis autem & qvot modis dicatur Epiſcopus proprius *vid.* Joh. Bapt. Vivian. *hic.* *apud*

Digitized by Google

apud alios] qvales verò illos? Pontificii hodie *poſt. c. 18. h. t.* non alios intelligunt, qvam viros Eccleſiaſticos. Sed olim promiſcuè ſive in clericos ſive in Laicos compromitti potuiſſe obſervat Cujacius *ad h. cap.* inprimis *ex can. 20. Concilii Aurelianenſis IV.* Concilio Chalcedonenſi poſterioris, habiti ſcil. anno 545. ubi poſtqvam conſtitutum fuiſſet, clericum à judice ſeculari non poſſe conſtringi, tandem ita diſponit Synodus: *Sanè ſi cauſam habentibus placuerit ire ad judicium, fortè ex voluntate communi, permittente præpoſito Eccleſiæ, Clerico licentia tribuatur.* Imò biennio poſt tempus Concilii Chalcedonenſis anno 453. in Concilio Andegavenſi *can. 1.* ſtatutum eſt, non licere Clericis, inconſultis Sacerdotibus ſecularia judicia expetere, certiſſimo argumento, licuiſſe ea expetere, dum prius conſulti fuerint Sacerdotes aut Epiſcopi. Cæterùm Epiſcopalem audientiam in Concilio Chalcedonenſi tanta incrementa ſumpſiſſe mirum non eſt, cum id factum fuerit non invitis Imperatoribus, dum jam Arcadii & Honorii tempore ab ipſis illis Impp. Epiſcopis poteſtas etiam inter Laicos lites dirimendi conceſſa fuit. *l. 7. & 8. C. de Epiſc. audient.* Injurium ergò viſum fuit Clericis judicari ab illis, qvos judicare poſſent ipſi. Et in hoc ſcil. potiſſima hodiè ratio decidendi ponitur. Dubitandi enim ratio petenda eſt ex ſubjectione generali, qvâ omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubjecta eſſe jubetur *Rom. XIII, 1.* qvod Alvarus Valaſcus *conſultat. 100. n. 7.* de utroqve & Clerico & Laico dictum agnoſcit, ita ut omnes & naturali & divino jure poteſtati civili ſubjecti ſint. Ratio autem decidendi ab hodiernis Canoniſtis deducitur ab abſurdo & incompatibilitate judiciorum. Omnium enim judicio abſurdum eſt, inqvit Franciſcus Longus à Corio-lano *ad dict. con. 1. Concil. Andegav.* ſi ovis paſtorem ſuum judicet, ſi hodiè Prætor ad tribunal Epiſcopi, cras Epiſcopus ad tribunal prætoris revocari poſſit. Ut judex terrenus ſummi judicis ſervos hominesqve ſacratos capiat aut puniat, qvis non abſurdiſſimum eſſe dixerit? &c. Sed enim multo fortior eſt ratio dubitandi, qvod juris divini ea ſit & naturalis, ratio autem decidendi juris humani poſitivi. Nec enim Epiſcopus tribunal haberet, aut ad iſtud Prætor comparere deberet, niſi autoritate Imperiali ita diſpoſitum eſſet. Qvod autem judex terrenus judicis ſummi ſervos punire poſſit, ex ipſius ſummi judicis voluntate proficiſcitur, ut nihil omninò abſurdi inde exſculpi poſſit. Proinde verior ratio decidendi ex causâ impulſivâ

vâ conceſſionis Imperatoriæ petenda eſt, qvod ſcil. reverentia ſit Ordini Eccleſiaſtico, ne promiſcuè in omnibus negociis ad judices ſeculares ut plebeji alii trahantur, præſertim qvod Eccleſiaſticas concernit cauſas, de qvibus judices ſeculares ſæpe numero parum aut nihil intelligunt. Et huic rationi decidendi non obſtat ratio dubitandi, qvia clerici hâc conſtitutione judicii ſingularis non eximuntur jurisdictione poteſtatum ſublimiorum, ſed uti ipſum judicium à Principe conſtituitur, ita clerici mediate hoc judicio principum ſubditi permanent.

Ad c. Nullus 2.

Nullum judicum] ſcil. ſecularium. De his enim qvæſtio agitatur.

aut minores Eccleſiæ] Cujacius hîc mavult ex aliis exemplaribus legere, *juniores*, & per eos intelligit acoluthos, Lectores Oſtiarios & alios minoris ordinis.

ſine permiſſu Pontificis] h. e. Epiſcopi. Ita enim etiam Epiſcopatum veteres Pontificatum ac pontificium, & omne id, qvod ad hunc pertinet, pontificale dixerunt. Caſp. Barth. *lib. 5. adverſ. c. 19.* Ex his autem verbis conficio, Epiſcopum poſſe Laico cauſam Clerici civilem committere & delegare cum Scaccia *de judic. l. 1. c. 11. n. 41.* ſecus atqve ſtatuit Auguſtinus Barboſa *ad hunc text. n. 3.*

aut condemnare præſumat] qvod ampliant Canoniſtæ, qvod ne qvidem Clericus à principe ſeculari delegatus clericum condemnare poſſit, Tiber. Decian. *tr. crim. lib. 4. c. 9. n. 63.* Barboſ. *d. l. n. 2.*

Cui injuriam irrogare] Principium hoc eſt Canoniſtarum, in Eccleſiam redundare injuriam Clerico illatam. Qvaſi verò Clerici ſoli conſtituerent Eccleſiam, & ſeparatum planè facient à reliqvis Chriſtianis corpus.

ſit ſeqveſtratus] i. e. excommunicatus, & qvidem ut pleriqve exponunt, interveniente ſententiâ, niſi perſonaliter judex Clericum diſtrinxerit Marian. Socin. *ad h. t. n. 4.* h. e. niſi vim intulerit Clerico. Hoc enim caſu judicem volunt eſſe ipſo facto excommunicatum. Sed hanc diſtinctionem excommunicationis nullo niti fundamento, aliàs oſtendam. Videri interim poterit Marcus Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 5. c. 9. n. 22.* Videtur autem totus hic textus, ſi qvidem ex canone Concilii alicujus Pariſienſis, uti perhibetur, depromptus fuerit, non redolere vetuſtatem, ſed, niſi fallor, ſeqvioris ſeculi eſt decretum, præſertim qvod excommunicatio olim, ma-

Digitized by Google

majore cum circumſpectione fuerit inflicta, nec tam faciles olim in hoc fulmine evibrando fuerint Patres, uti nunc eſt Pontifex maximus, & Epiſcopi ejus.

Cæterùm applicari & hic textus poterit ad noſtra Conſiſtoria in iis cauſis, qvæ eorum cognitioni ſubſtant, niſi qvod excommunicationis pœnam in talibus caſibus non admittamus. Effectus autem ſententiæ à judice incompetente latæ hic erit, qvod ea pro nullâ habeatur, nec executioni mandari poſſit, *t.t. C. ſi à non comp. jud. judicat. eſſ. dic.* Ratio autem & dubitandi & decidendi ex ſuperiore textu eſt petenda.

Ad cap. 3. Sanè &c.

Deſumptus eſt hic textus *ex can. 121. Eccleſiæ Africanæ*, cujus codicem edidit Chriſtophorus Juſtellus. Agitur autem ibi de Epiſcopis, qvi plebes ad ſe pertinentes negligunt, qvod poſt factam eorum monitionem qvilibet vicinus Epiſcopus cathedræ ſuæ talia loca vindicare poſſit. Qvod ſi diſſidium hinc exortum fuerit, & Epiſcopi ſint diverſarum provinciarum, judicem dicit dari debere ab eo primate, in cujus provincia locus iſte, de qvo controvertitur, ſitus eſt. Applicatur igitur hic textus ad forum, qvod fit competens ex loco rei ſitæ; idqve nanciſcuntur Clerici, tali in caſu etiam apud Laicos. *Vid.* Mynſing. *cent. 1. obſ. 22.* Car. Molinæ. *ad conſvet. Pariſ. §. 46. n. 20.* qvia ſcil. per actionem in rem non tam perſona, qvam res convenitur.

Ratio dubitandi ſumitur ex diverſitate provinciarum, & qvod Epiſcopi controvertentes uni alicui primati aut metropolitano non ſint ſubjecti, penes qvem cauſa peragi qveat.

Ratio decidendi ſumitur ex rei præſentiâ & qvod ex præſenti poſſeſſione actio detur. Et hinc igitur natum eſt forum rei ſitæ, qvod trahit ad ſe perſonam, cum præſertim hoc noſtro caſu magis fundo, qvam perſonis adjudicantur fines. Gail. *l. 1. Obſ. 37. n. 4.* ita ut potius res in judicium trahatur Zanger. *de Except p. 2. c. 1. n. 261.*

diverſarum provinciarum] Provincia ſumitur pro tractu metropolitani, in qvâ ſcil. plures Epiſcopi erant uni Metropolitano ſubjecti.

ille primas] Græcè πρωτεύων: Et ſumitur hìc pro Metropolitano, qvanqvam alibi etiam patriarcham ſignificet. *Vid.* Chriſtoph. Juſtell. *ad Cod. Can. Eccleſ. African. pag. 52.*

Digitized by Google

Ad cap. ſi qvis 4.

Totum hoc capitulum corruptum & depravatum eſt, neqve verba, *aut ſi hoc actor refugerit &c.* commodum habent ſenſum. Scripſerat Gregorius Magnus ad Defenſorem Corſicæ, qvi poteſtas erat ſecularis, (qvalis etiam fuit Defenſor Siciliæ, ad qvem ferè eodem modo ſcripſit Gregorius *c. pervenit 38. cauſ.* 11. *q.* 1.) audire ſe civitates Corſicæ qvasdam eſſe ſine Epiſcopis, & clericos teneri à Laicis ſcil. judicibus, id verò Defenſorem permittere non debere, ſed admonere debere clerum & populum, ut ſacerdotes ſibi eligat; qvod ſi porrò cauſam qvis habuerit contra clericum, adeundum eſſe Epiſcopum, is ſi ſuſpectus fuerit, executorem vel ab ipſo Epiſcopo, vel ſi & hoc actor refugerit, ab ipſo Defenſore (qvod callidè omiſit hîc compilator, ne poteſtati ſeculari qvicqvam concederet in cauſis clericorum) deputandum eſſe, qvi partes in compromiſſum compellat: à judicibus electis qvicqvid fuerit definitum, executioni mandandum eſſe, vel à Defenſore Corſicæ ſi is ad judices deligendos partes compuliſſet, (qvod iterum omiſit Compilator) vel ab Epiſcopo, ſi Epiſcopus id feciſſet. *Vid.* Cujacius *hîc.*

Cæterùm agitur hîc de judice ſuſpecto, qvem utroqve jure recuſari poſſe dubium non eſt, ſed diverſimodè. Jure civili neceſſe non eſt, ut cauſa inſeratur libello recuſatorio; jure canonico neceſſarium hoc eſt. Jure enim civili judice recuſato electi arbitri de ipſo negocio principali, non de cauſis ſuſpicionis cognoſcunt; jure autem Canonico arbitri electi cauſas recuſationum examinant, cauſa principali intactâ. Alias differentias hîc lubens prætereo, de qvibus videri poterit Frid. Hiltrop. *proceſſ. part. 2. tit. 13.* Gail. *1. obſ. 33.*

Ratio dubitandi in ipſo textu habetur, qvia ſcil. ordinarius Clerici judex eſt Epiſcopus, qvi præteriri ſine juſtâ causâ non poteſt.

Ratio decidendi petitur ex eo, qvia & rationi & æqvitati repugnat, ut qvis coram ſuſpecto judice litigare cogatur. Id igitur ut evitetur, præſcribitur ratio & modus, qvî declinari poſſit judicium ordinarium.

fuerit recuſatus] poſtqvam ſcil. cauſa recuſationis coram arbitris probata, atqve ſic ordinarius judex judicare prohibitus fuerit; aut potius poſtqvam cauſa ſuſpicionis tantùm allegata fuerit. Videtur enim hic textus de illis tantum judicibus agere, qvi de cauſa recuſationis cognoſcunt, non de illis, qvi

qvi definitivè cauſam principalem decidunt. Niſi dicere velis, tempore Gregorii Magni ſuper cauſis recuſationis non fuiſſe judicatum, ſed ſervatum tùm fuiſſe proceſſum juris civilis, qvod videtur colligi poſſe *ex c. pervenit 38. cauſ. 11. q. 1.*

Executor ab eo deputetur] non ut ſit judex delegatus, uti vult Marianus Socinus *ad hunc text. n. 4.* ſed ut compellat partes mutuo conſenſu eligere judices alios, qvi cauſam ſuſpicionis cognoſcant. Poteſt igitur hìc per executorem intelligi viator, aut cuicunqve negocium id commiſerit Epiſcopus. De tali executore etiam mentio fit *in l. 16. & l. fin. C. de judic.* Cujac. *l. 9. obſ. 23. in fin.*

ſervatà lege] videtur innuere legem Divi Pii *in l. 15. pr. ff. de re jud.* qvi reſcripſit, magiſtratum judicum à ſe datorum vel arbitrorum ſententiam exſeqvi debere. Videtur autem etiam ille dediſſe, qvi compulit partes, ut judices eligerent.

Patet verò ex his, qvam prolixus jure Canonico in cauſa ſuſpecti judiciſſit proceſſus. Poſtqvam enim cauſa recuſationis libello fuerit expoſita, arbitri ſunt eligendi, non ut negocium principale definiant, ſed ut cauſam recuſationis examinent; qvæ ſi probata non fuerit, judex ordinarius rejici amplius non poteſt, ſed ad negocium principale deſcendet; ſi autem probata fuerit, alii ſunt arbitri conſtituendi, qvi de cauſa principali partes controvertentes audiant, & litem dirimant, aut certè ad ſuperiorem cauſa erit transmittenda, *cap. cum ſpeciali 61. X. de appellat.* Apud nos judex ſuperior de cauſa ſuſpicionis certior factus aut Commiſſarios delegat, & ſic tacitè judicem ſuſpectum removet, aut ſuſpecto judici alium adjungit, qvi eum in officio contineat. Carpzov. *proceſs. tit. 5. art. 4. n. 89. 90.*

Ad cap. Si clericus 5.

Capitulum hoc Alexandro III. Pontifici adſcribitur, qvi ſedulus fuit in promovendâ Romanæ Sedis ac Cleri, repertarumqve pro Cleri commodis legum auctoritate ſive tyrannide, ut mirum ſit, ablegatum hìc fuiſſe ab eo clericum ad judicem ſecularem, præſertim poſtqvam ad conſvetudinem provocandi ipſi dabatur occaſio. Scripſit autem Papa hanc decretalem ad Epiſcopum Bononienſem, *uti habetur in rubricâ cap. 7. part. 8. poſt Concil. Lateranenſ. in edit. Laurent. Surii.* Sed qvia verba illic antecedentia habentur *in cap. 3. X. de teſtib. cogend.* & ejus capituli inſcriptio oſtendit,

Digitized by Google

ad Genuenſem Archi Epiſcopum id exaratum fuiſſe, intelligendus & hic erit Archi Epiſcopus Genuenſis. *Add.* Anton. Auguſtin. *ad cap. 7. h. t. in prim. compil.*

Rationes dubitandi ex hoc textu duæ occurrunt. Una, qvod de rebus Eccleſiæ aut Clerici uti ab actore venditantur, lis ſit peragenda; res autem tùm Eccleſiæ, tùm ipſorum Clericorum propriæ juriſdictione Magiſtratus ſecularis ſunt exemptæ. *Vid.* Petr. Binsfeld. *ad c. 7. de injur. & damn. dat. quæſt. 1. concluſ. 6.* Altera, qvod conſvetudine ita in plerisqve partibus introductum fuerit, ut in rebus iſtiusmodi Clerico agenti trahere liceret reum ad judicem Eccleſiaſticum.

Ratio decidendi ſumitur ex vulgato illo, qvod actor ſeqvi debeat forum rei. Dum igitur, qvod priorem dubitandi rationem attinet, incertum adhuc eſt, utrum res, de qvibus agitur, Eccleſiæ aut Clerici agentis propriæ revera ſint, negante ſcil. id reo & negationis ſuæ cauſam exponente, conſvetudo autem, qvæ invaluerat qvibusdam locis in contrarium, minus probanda ſit, Pontifex in hoc dubio Clericum actorem ad judicem Laicum ire jubet.

ſed ſuas proprias aſſeverat] Agitur igitur hîc de caſu, qvo inſtituitur rei vindicatio. In tali enim actione olim conflictus & contentio mutuis vindicationibus expediebatur, qvod tamen poſtea mutatum & ſimplex negatio atqve contradictio pro ſufficiente habita fuit. Bachov. *de actionib. diſp. 2. n. 12.* Applicari verò hic textus ſolet etiam ad alias in rem actiones.

de rigore juris] qvi hîc opponitur conſvetudini, & conſvetudini qvidem tali, qvæ jus dici adhuc neqvit, deſtituta qvippe tacitâ pontificis approbatione, cùm hîc Pontifex eam qvodammodo damnet.

Ex hoc textu duo infert Auguſtinus Barboſa. Primum qvod, ſi Reus non neget rem eſſe Eccleſiæ vel Clerici, eam tamen reſtituere nolit, cognitio illius cauſæ pertineat ad judicem Eccleſiaſticum. Nos circa res & bona Eccleſiæ conſentimus, ubi tale qvid à principe conſtitutum fuerit. Id enim ad arbitrium principis pertinere ſupra diximus. Sed circa ipſius Clerici bona, niſi ſpeciatim de his qvoqve ſingulari judicio agi voluerit princeps, aſſentiri æqvè prompte non poſſumus. Non enim ideò qvod Eccleſiaſticæ res ſpeciale forum habere debeant, etiam ad Clericorum bona patrimonialia id extendi debet. Qvanqvam id nonnulli velint Canoniſtæ, qvorum *ποππύσματα* in fraudem temporalis vel ſecularis juriſdictionis ſine

legi-

legibus & ratione excogitata rectè notat Petrus Friderus *de proceſſ. lib. 1. cap. 11. n. 14.* Clerici namqve in his non ut miniſtri Eccleſiæ conſiderantur, ſed ut alii cives ac membra Reip. ut adeò privilegium fori ratione officii eis indultum ad res & bona ſecularia non pertineat. Nic. Boër, *deciſ. 69. n. 7.* Andr. Tiraqvell. *de retraict lignagier §. 32. n. 80. 81.* Franciſc. de Chaldas *ad l. ſi curatorem habens C. de integr. reſtit. verb. implorandum n. 32. in fin.* Alterum qvod notat Barboſa, eſt, qvod reus negans rem eſſe Eccleſiaſticam, judici Eccleſiaſtico, apud qvem impetitus fuit, aliqvalem ſuæ exceptionis fidem facere debeat, ſecutus Menochium *remed. 3. retinent. poſſ. n. 373.* Rectè ne in poteſtate Rei ſit ſimplici negatione forum Eccleſiaſticum declinare. Ut tamen probationes deducat, uti vult Menochius & Barboſa, hoc eſt, ſolennem probationem ſuper iſtâ exceptione inſtituat, fortè neceſſe non eſt, qvia ſufficit cognitio eâ de re ſummaria.

Ad cap. Ex transmiſſa 6.

Scripta eſt hæc decretalis ad Senonenſem Archi-Epiſcopum, uti habetur inſcriptio *poſt Concil. Lateran. part. 46. c. 5.* & talem continet caſum. Vaſalli qvidam Eccleſiæ etiam à ſeculari domino feudum aliqvod habebant, & cum ſuper hoc feudo apud Trecenſem Epiſcopum convenirentur, prohibuit Dominus, ne de feudo iſto in judicio Eccleſiaſtico reſponderent. Hanc prohibitionem ratam habet pontifex, & ad Dominum feudi cauſam pertinere decernit, reſervatâ tamen Archi-Epiſcopo cognitione in ſubſidium ſi judex feudalis in cognitione moras malitioſè traxerit.

Ratio dubitandi deſumitur ex qvalitate reorum conventorum, qvia ſcil. illi ſunt milites Eccleſiæ, & hinc exemptionis privilegio muniti. Erit ergò Epiſcopus eorum judex Ordinarius.

Ratio decidendi ſumitur ex qvalitate cauſæ. Proponitur enim de feudo ſeculari eſſe litigium. De tali autem in judicio Eccleſiaſtico reſpondere vaſallus non tenetur. Ratio rationis eſt, qvia dominus feudi in cauſa feudali ordinariam jurisdictionem habet privativè qvoad alios judices. Qvemadmodum igitur cauſæ feudales ſingularem habent naturam: ita etiam ſingulare eis conſtitutum eſt forum etiam canonico jure approbatum.

inſinuatione B. C. & W.] In epiſtolâ ipſâ, *quæ habetur poſt Concilium Lateranenſe d. l.* legitur G. & B. V. & VNI. In compilatione autem *2. cap. 2. eod. tit.*

Digitized by Google

tit. legitur G. B. & W. Ut hîc vera lectio reſtituatur, nihil intereſt, qvandoqvidem Compilatores militum iſtorum nomina ad nos pervenire noluerunt.

Eccleſiæ tuæ] In ſecundâ compilatione *d. l.* omittitur vocabulum *tuæ* & in editione reſcripti poſt Concil. Lateran. utrumqve vocabulum, *Eccleſiæ tuæ* deeſt. Per milites autem Eccleſiæ vel vaſalli Eccleſiæ intelliguntur, uti ſupra expoſuimus, qvia vaſalli & milites in jure feudali ferè pro Synonymis habentur. Vultej. *l. 1. de feud. c. 7. n. 61.* vel illi, qvi in ordines eqveſtres (qvales Alexandri III. tempore jam inſtituti erant, ut Hoſpitalarii & Templarii) recepti adverſus infideles pugnabant. Hos enim religioſos & jurisdictione ſeculari etiam ipſius Ducis exemptos eſſe docet Thomas Hurtado *tract. 1. Reſol. 45.*

ſuper qvâdam poſſeſſione] ſcil. feudali. Qvod ſi jam textum de vaſallis Eccleſiæ accipias, non repugnat, etiam ſeculare eos habere ab alio Domino feudum, qvandoqvidem unus plurium Dominorum vaſallus eſſe non prohibetur. Menoch. *de arb. jud. qvæſt. caſ. 584.* Si verò Hoſpitalarios vel Templarios per milites illos intelligas, nec tum qvidem repugnat, eos ad feuda ſecularia admitti. Henr. Roſenthal *de feud. cap. 7. concluſ. 30. n. 9. ſeqq.*

coram Trecenſi Epiſcopo] Exemplaria qvædam habent *Verenſi*, alia *Metenſi*. Sed vulgata hîc rectior. Ideò autem coram Epiſcopo Trecenſi actio inſtituta erat, qvod poſſeſſio feudalis, de qvâ lis movebatur, in iſtius Epiſcopi territorio ſita erat.

Vir de Campis] In Concilio Lateranenſi legitur *Comes C. de Capra*, in ſecunda autem compilatione: *nobilis Vir de Capis*, niſi mendum in hâc ſubſit typographicum.

ſub debito fidelitatis] iſtud debitum explicatur *2. F. 6. & 7.*

de ſeculari feudo] Dicitur hîc ſeculare feudum non propterea, qvod à domino ſeculari conceſſum ſit, cum etiam ſecularis dominus aut Laicus feudum Eccleſiaſticum in bonis Eccleſiæ conſtituere poſſit, ſed propterea, qvod Laicus feudum iſtud in propriis bonis conſtituerit. Ludwel *in Synopſ. feudal. c. 3. p. 68.*

tu ei debitum finem imponas] Vult enim jus Canonicum, ut propter deſidiam judicis ſecularis cauſa transferatur ad forum Eccleſiaſticum *c. 10. & 11. infr. h. t.*

Ex

Ex hoc textu infero, Clerici perſonam in actionibus realibus nihil facere ad ſortiendum forum, uti plenius expoſui *cap. præcedente.* Si enim de feudo ſeculari, qvod habet, reſpondere tenetur in judicio ſeculari, qvid cauſæ ſubeſt, qvod non etiam de reliqvis ſuis bonis patrimonialibus in judicio ſeculari reſpondere teneatur? Qvod etenim ex Clerici perſonâ depromitur impedimentum, idem illud judicio feudali obverti potuiſſet, qvod tamen hîc obſtare noluit Pontifex.

Ad c. verum 7.

Caſus talis eſt: Mota eſt præpoſito Eccleſiæ controverſia de feudo eo qvidem tempore, qvo defunctus erat Epiſcopus & in ejus locum alius vel nondum electus, vel electus qvidem, ſed nondum conſecratus, qværebatur ubi lis peragenda eſſet? Reſpondet Pontifex, diſpiciendum eſſe, qvale feudum in controverſiam veniat, id enim ſi Eccleſiaſticum fuerit, ab Epiſcopo eſſe decidendam controverſiam, non tamen prius, qvàm ille conſecratus fuerit; ſeculare verò feudum ſi fuerit, ad Imperialem cognitionem cauſam eſſe remittendam. Ideò autem ſub diſtinctione reſpondit Pontifex, qvia obſcurè caſus propoſitus fuerat, ne promiſcuè de unoqvovis feudo, qvod teneret Clericus, ad Epiſcopum cauſam trahendam eſſe, ex generali reſponſo qvis conficeret.

Ratio dubitandi eſt, qvia tum adhuc ſedes erat vacans, Epiſcopo novo vel nondum electo, vel ſaltem nondum conſecrato, & hinc forum competens cauſæ Eccleſiaſticæ deficiebat. Videbatur igitur in hoc defectu cauſa pertinere aut ad capitulum ſede vacante, aut ad forum civile, tanqvam forum competens ſaltem in ſubſidium.

Ratio decidendi conſiſtit in communi Canoniſtarum principio, qvod de rebus Eccleſiaſticis non ſit agendum in foro ſeculari. Niſi igitur feudum, de qvo diſceptatur, ſeculare fuerit, non alibi erit cauſa peragenda, qvàm apud Epiſcopum. Qvi ſi deficiat vel exiſtentiâ vel poteſtate, expectari vult Pontifex, donec ille plenam poteſtatem nactus fuerit.

adverſus præpoſitum] Præpoſitus non eodem ſe modo in omnibus habet Eccleſiis. Alibi enim & perſonatum habet & dignitatem, qvandoqve & curam animarum, alibi perſonatum tantùm. *Vid.* Barboſ. *ad c. un. X. de offic. primicer.* Petr. Gregor. *ſyntagm. lib. 15. cap. 18. n. 6. 7.* Lancellott. *Conrad. in templ. omn. jud. lib. 2. c. 10.*

con-

conſecratus] ſive ordinatus, & ad Eccleſiaſticum munus ſolenniter ſegregatus. Conſecratio illa, ut fieri hodiè inter Pontificios ſoleat, exponit Barboſa *de offic. & pot. Epiſcop. part. 1. tit. 1. cap. 5.*

Concluditur hinc I. Capitulum ſede vacante non poſſe cognoſcere de cauſis feuda Eccleſiaſtica concernentibus.

II Neqve Epiſcopum qvidem de feudis Eccleſiaſticis cognoſcere poſſe ante, qvam conſecratus fuerit, nec proinde confirmationem univerſam juriſdictionem tribuere, ſed reqviri ut Epiſcopus plenam autoritatem habeat & poteſtatem, uti dicitur *in 2. compil. cap. 3. eod.* qvam demum nanciſcitur per conſecrationem. *Vid.* Cujac. *ad hunc textum.* Qvod ſi enim penitius res introſpiciatur, videtur poteſtas juriſdictionis Epiſcopalis, qvam in foro externo exercet, ſuum ſemper reſpectum habere ad poteſtatem ordinis, ſaltem per modum antecedentis & conſeqventis, ita ut plenum juriſdictionis exercitium non habeat, qvi ordinem aut conſecrationem nondum accepit. Ex qvo patet, qvid ſentiendum ſit de vulgatâ Canoniſtarum opinione, qvam poſt gloſſam Inſtitutionibus ſuis inſeruit Lancellottus *lib. 1. tit. 9. in fin.* Epiſcopum ſcil. per confirmationem accipere poteſtatem juriſdictionis & expedire poſſe omnia ad eam pertinentia, nondum autem poſſe facere qvicqvam eorum, qvæ ſunt ordinis, anteqvam conſecretur. Stante enim hâc ſententiâ, qvia poteſtas judicandi de feudis Eccleſiaſticis non pertinet ad ordinem, ſeqvitur neqve conſecrationem ad eam poteſtatem eſſe neceſſariam, qvod tamen aſſeritur in textu noſtro, ſed ſufficere ſolam ſuperioris confirmationem.

III. Clericum, qvalis hîc eſt Præpoſitus, de feudo ſeculari conveniri poſſe apud judicem ſecularem, non obſtante ſtatu & qvalitate perſonæ, *uti dixi jam cap. præced.*

Id obiter notandum, plus eſſe in ſumma, qvæ huic capitulo præſcripta eſt, qvam in ipſo textu.

Ad c. cum ſit 8.

In ſecundâ compilatione *cap. 4. h. t.* plenius refertur hæc decretalis nempe, generale qvidem hoc eſſe, ut actor forum rei ſeqvatur & hinc raptores prius apud judices ſeculares conveniri debere, ſed ſi juſtitiam illi exhibere contempſerint, aut judices ex qvacunqve cauſa fuerint negligentes, qvia ſacrilegi judicandi ſint ab Eccleſiâ, de crimine illo cenſuram in eos Eccleſiaſti-

ſiaſticam exerceri poſſe; verum qvoniam judices ſeculares in exhibendâ juſtitiâ perſonis Eccleſiaſticis ſæpius in judicio ſunt remiſſi, jam per conſvetudinem Eccleſiæ eſſe favore introductū, ut Rectores locorum venerabiliū poſſint malefactores ſuos ſub qvo maluerint judicio convenire. Eſt ergò nunc in arbitrio Rectorum, ad qvem judicem ſacrilegos trahere velint.

Ratio dubitandi ex generali petitur axiomate, actorem forum rei ſeqvi debere. Raptorem igitur Laicum ap. judicem ſecularē conveniendum eſſe.

Ratio decidendi petitur ex favore Eccleſiæ, in cujus gratiam introductum eſt, ut ſacrilegium mixti fori ſit, hoc eſt, ut tum apud Laicum, tum Eccleſiaſticum judicē de eo cognoſci poſſit. Ratio rationis eſt, qvia ſeculares judices exhibendâ juſtitia perſonis Eccleſiaſticis, ſæpè in judicio ſunt remiſſi ſeu negligentes. Licebit igitur Præpoſito aut Rectori judicem pro lubitu eligere.

ut malefactores ſuos] De raptoribus principaliter egit Decretalis in ſecundâ compilatione. Sed hîc generaliter ea ad qvoscunqve malefáctores, â qvibus vel perſonæ vel res Eccleſiaſticæ impetuntur, extendi videtur.

qvi ſacrilegi ſunt cenſendi] Sacrilegium de jure civili eſt, qvando res ſacra ex loco ſacro aufertur. uti notant *Dd. ad l. 5. ff. ad L. Jul. peculat.* & ex qvorundam etiā opinione qvando res ſacra ex loco non ſacro aufertur. Cuj. *l. 13. obſ. 19. in fin.* Ant. Matth *de crimin. tit. de ſacril.. n. 3.* qvibus jure Canonico addita eſt tertia ſpecies, qvando qvis rem non ſacrā de loco ſacro aufert. Imò v. jure Canonico etiā ad triginta paſſus, qvi ſunt in circuitu Eccleſiæ, ſed & ad perſonas Eccleſiaſticas crimen hoc extenſum eſt, ita ut ſi qvis in Clericum aut monachum violentas injiciat manus, ſacrilegium comittere dicatur. Gratian. *ad c. qvisqvis 17. q. 1.* Ludovic. à Peguera *deciſ. 24.* Totum hunc criminis hujus ambitum intelligere hîc videtur Pontifex.

Ex hoc textu notandum eſt I. dari jure Canonico delicta qvædam mixti fori, qvæ & â ſeculari & ab Eccleſiaſtico judice puniri poſſunt, qvalia communiter eſſe dicuntur crimen ſacrilegii, uſurarum, ſimoniæ, perjurii, &c. Vid. Auguſtin. Barboſa *hic.* Joh. Bapt. Vivianus *ad h. t.* Julius Clarus *l. 5. ſentent. quæſt. 37.* In genere autem mixti fori volunt eſſe ea, qvæ religionem ſtatumqve Eccleſiæ lædunt. Sacrilegii tamen crimen apud Mediolanenſes ſuos ut & apud Gallos â ſolo judice ſeculari cognoſci & puniri ſcribit Julius Clarus *d. l. n. 6.*

II. Locum eſſe in hoc utriusqve judicis concurſu præventioni, uter judex alterum prævenerit. Anton. Fab. *Cod. lib 9. tit. 17. def. 1.* Ubi tamen disqviritur, qvia mitior ſolet eſſe pœna, qvæ à judice Eccleſiaſtico imponitur, utrum punitus ab eo puniri adhuc qveat à judice ſeculari. Affirmat Anto-

Digitized by Google

nius Perez *Cod. de crimine ſacrileg. n. 6.* in qvantum ſcil. pœna fori ſecularis pœnam fori Eccleſiaſtici ſuperat. Ego, ſi per modum inqviſitionis procedatur, diſſentire nolo. Accuſatori autem, ut ſimiliter Reum apud utrumqve judicem convenire ſucceſſivè liceat, admittendum fortè non eſt.

Cæterum iſtud etiam obſervare licet ex hoc textu, qvâ ratione ſenſim in jurisdictiones involaverint, & cauſas etiam Laicorum ad ſe traxerint Clerici. Ab initio qvidem obvertebatur qvidam prætextus deſidiæ & negligentiæ in judiciis ſecularibus uſitatæ. Et ex hoc capite non diſſentientibus Imperatoribus ad judicia Eccleſiaſtica cauſæ ſeculares transferebantur non tamen niſi in ſubſidium, ſi judices ſeculares fuiſſent negligentes. Id cum felices habuiſſet ſucceſſus, cœperunt mox limites iſtos excedere clerici, & de criminibus qvibusdam, ſub prætextu injuriæ in Eccleſiam redundantis, ipſimet, non in ſubſidium amplius, ſed principaliter & immediatè cognoſcere, relictâ tamen etiam ſecularibus judicibus jurisdictione, niſi ipſi cognitionem jam occupaſſent. Perſtringit iſtam Clericorum uſurpationem Petrus Svavis *in hiſtor. Concil. Trid. lib. 4. his verbis.* Nondum anni bis centum prætererant, cum omne judicium criminale & civile in Clerum ſibi arrogabant, & in Laicos plerisqve in rebus, cauſam eſſe Eccleſiaſticam obtendentes. Deinde forum miſtum comminiſcuntur, qvo contra Laicum agere poſſit tàm Epiſcopus qvam magiſtratus, utercunqve actionem prior intentarit: cujus fori intuitu ad rem ſuam attentiſſimi, nullum ſeculari locum relinqventes, in omnes tanqvam ſui juris involant. Si qvis autem hanc tendiculam effugiat, neqve eâ capiatur, reſtat unicus adhuc ad eos comprehendendos laqveus, nempè regula generalis pro fidei fundamento tradita, omnem cauſam ad forum Eccleſiaſticum devolvi, ſi magiſtratus vel jus dicere nolit, vel in jure dicundo ſegnior ſit &c. Addi his poſſunt gravamina principum Germaniæ in Comitiis Noribergenſibus *ſub num. 70.* ubi conqveruntur, in cauſis mixti fori non amplius præventioni relinqvi locum, ſed Eccleſiaſticos judices contra omnia jura cauſas hujuscemodi ſibi ſolis, ſuæqve jurisdictioni uſurpare. Cæterùm qvæ cauſæ Laicorum hodiè à judice Eccleſiaſtico definiri ſoleant, exponit Joh. Aloyſ. Riccius *deciſ. 451.*

Ad

Ad cap. qvod clericis 9.

Breve eſt hoc capitulum, ſed obſcurum, qvod & ignoretur, â qvo cauſæ iſtæ decidi debeant, mutilata ſcil. inſcriptione, atqve nomine ejus, ad qvem Epiſtola ſcripta fuit, prorſus omiſſo, & gneraliter verba ita concepta ſint, ut jure Canonico cauſarum deciſionem fieri debere præcipiat, ſive Laicus clericum conveniat, ſive ille viciſſim ab hoc conveniatur. Et ex hoc duplex vulgo circumfertur conſtitutionis hujus fundamentum ſive ratio decidendi. Prima eſt, Eccleſiam Pariſiis, & Eccleſiaſticos ibi judices habuiſſe temporalem jurisdictionem, atqve civitatem in temporalibus Eccleſiæ fuiſſe ſubjectam, uti notat gloſſa, & ſeqvitur Fernandus Vaſqvius *l. 4. controv. c. 5. n. 20. in fin.* nec alienus eſt Cujacius *ad hunc text.* qvanqvam ſuam magis ſuſpendat ſententiam. Sed id non placet Panormitano *num. 45.* eò qvod Epiſcopus Pariſienſis jurisdictionem temporalem habeat in exiguâ parte civitatis, reliqva omnis jurisdictioni regiæ ſubſit. Altera eſt, intelligi debere hunc textum de illis ſolum Clericis, qvi Pariſiis ſtudiorum cauſa commorantur. Illis enim ſpeciale hoc privilegium conceſſum fuiſſe, ut cauſæ eorum, ſive conveniantur â Laicis, ſive ipſi Laicos conveniant, apud judicem Eccleſiaſticum & ſecundum jura Canonica deciderentur. Neutra placet Auguſtino Barboſæ *ad h. text.* Ipſe igitur non malè totam hanc conſtitutionem intelligit de cauſis, qvæ tantùm inter Clericos hinc inde agitantur, ut illæ ex jure Canonico decidantur, ſive conveniant Clerici Clericos, ſive ab iis conveniantur, qvia tùm Clericus ſemper rei perſonam ſuſtinet, & proinde ejus forum ſeqvendum eſt. Ut ſuam hanc explicationem confirmet Barboſa, provocat ad initium hujus capituli, ſi integrum legatur ex antiqvâ decretali, in ſecunda compil. c 5. Dicitur enim ibi: Nullus Epiſcoporum vel Clericorum ad judicia ſecularia eſt trahendus, habent enim illi judices ſuos &c. - - Hâc igitur ratione inducti per Apoſtolicam ſedem mandamus, &c. ut in textu.

Ratio dubitandi petitur ex contrariâ conſvetudine. Diſertè enim Pontifex in fine hujus cap. prout legitur in antiqvâ decretali: *nec permittatis juri ſcripto conſvetudinem prævalere.* Invaluerat ſcil. conſvetudo, qvâ cauſæ Clericorum non ex jure Canonico, ſed ſtatutis loci aut jure civili decidebantur, & qvidem, ut videtur in judiciis ſecularibus.

M 2 Ratio

Digitized by Google

Ratio decidendi ſumitur ex jure ſcripto, qvod non poteſt vinci à conſvetudine, ſi de manifeſto ſuperioris diſſenſu conſtat. *l. 2. C. qvæ ſit long. conſvetud.* Franzk. *tit. de legib. n. 129.* uti hîc Pontifex autor juris Canonici diſſenſum ſuum ſufficienter declarat.

cauſas pecuniarias] ſive ſeculares, uti habetur in antiqvâ Decretali. In jure civili pecuniaria cauſa criminali opponitur, *auth. novo jure C. de pœn. jud. qvi mal. jud. l. 4. C. de fruct. & lit. expenſ. l. 15. C. de accuſ. l. 4. C. ſi reus vel accuſat. morb. fuer.* Et hinc etiam pecuniaria judicia dicuntur, qvæ criminalibus opponuntur *l. 4. C. de teſtib.*

Pariſius] pro Pariſiis antiqvè. *Vid.* Cujacius *hic.*

Ex hoc textu concludo, I. niſi acceſſerit tacita approbatio ſuperioris, non valere conſvetudinem. Subditi enim ſunt qvidem cauſa proxima conſvetudinis, princeps autem cauſa primaria & fundamentalis, ſive potius, populus eſt cauſa actuum, princeps cauſa juris inde reſultantis. Qvod ſi princeps diſertè contradicit conſvetudini promulgando legem contrariam, tum conſvetudo, qvæ jam valida cenſeri poterat, ceſſat & abrogatur, Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. l. 2. c. 11. n. 13.*

II. Non obſtare hunc textum Fernando Vaſqvio, dum ſupra citato loco contendit, Clericum in foro Laici litigantem, non in iis tantum, qvæ proceſsûs ordinem, ſed etiam qvæ deciſionem cauſæ reſpiciunt, legibus Laicorum teneri. Servatâ enim explicatione Barboſæ de foro ſeculari nulla planè ex hoc textu ſupererit controverſia. Et ex hoc igitur textu nullum validum ducitur à Doctoribus argumentum, qvod in meritis cauſæ ſecularis non aliter pronunciari poſſit, ubi Clericus litigat, niſi ſecundum jus canonicum.

Cæterùm parum profeciſſe apud Pariſienſes hâc ſuâ conſtitutione, videtur Pontifex. Peti enim hinc poteſt, niſi fallor, ratio decidendi, qvare poſt annos à promulgatione hujus conſtitutionis, viginti præter propter Honorius III. inhibuerit, ne Pariſiis aut in viciniâ qvis docere vel audire jus civile præſumeret *c. 28. de privileg.* cum tamen Innocentius IV. poſt annos alios viginti Romæ utrumqve & civilis & canonici juris ſtudium florere voluerit *c. 2. de privileg. in 6.* Nempe tenaciores erant Galli in obſervandis judiciis & legibus ſecularibus, qvibus per inhibitionem propterea capiſtrum erat injiciendum, ne prorſus omitteretur jus Canonicum.

Ad

Ad c. licet 10.

Diſtingvunt Pontificii decreta Pontificum, qvod alia dentur per modum præcepti, & hæc cum ipſo Pontifice expirent, alia per modum legis aut conſtitutionis, & hæc perpetua ſint. Th. Hurtado *tr. 4. reſolut. c. 5. n. 510.* Poterat hæc decretalis ad primum genus referri, dum literas apoſtolicas irritas facit, (qvod ſucceſſori diſplicere potuiſſet) niſi corpori juris Canonici eam inſeruiſſet & ſic univerſalem ac perpetuam feciſſet Gregorius IX.

Partes habet tres. In primâ decidit qvæſtionem, utrum Laicus propter literas apoſtolicas, qvas impetravit, convenire poſſit Laicum ex causâ ſeculari, coram judice Eccleſiaſtico. In ſecunda, ad qvem appellare liceat â judice ſeculari. In tertiâ, qvis ſit proceſſus, ubi judex ut ſuſpectus recuſatur. In primâ occurrit ratio dubitandi ex tenore literarum apoſtolicarum, qvarum tanta eſt autoritas, ut pro divinâ voce haberi debeant. Pontifex igitur dum jubet cauſſam ſecularem inter laicos verſantem ab Eccleſiaſtico judice decidi, fundatum jam eſt judicium iſtud, nec proinde declinari poterit.

Ratio decidendi ſumitur 1. à cauſarum qvalitate, & modo procedendi ordinario, qvod ſcil. ſeculares cauſæ ad forum Eccleſiaſticum regulariter non ſint trahendæ. 2. â promtitudine judicis ſecularis, qvod ille paratus ſit juſtitiam adminiſtrare. His poſitis irritas vult decerni Pontifex literas ſuas â Laico actore impetratas.

Ex qvo concludunt, propter deſidiam & negligentiam judicis ſecularis, etiam inter ſeculares perſonas cauſam ſecularem in judicio Eccleſiaſtico poſſe terminari. Id tamen in actu practico obſervatum non ſe meminiſſe ſcribit Joh. Aloyſ. Ricc. *deciſ. 451.* Et hæc ſemper ſpecioſa fuit excuſatio invaſionis pontificiæ in jurisdictionem ſecularem, qvâ tamen non contenti illi longius adhuc progreſſi & plures artes commenti ſunt, qvibus Laicorum cauſas ad tribunal ſuum traherent. Conqveruntur eâ de re principes & ſtatus Germaniæ inter gravamina ſua Noribergæ exhibita, *num. 9, 10. 11, 12.*

In ſecundâ parte ratio dubitandi eſt, qvia à civili judice, qvi non eſt de temporali jurisdictione Eccleſiæ, ne ad Papam qvidem appellari poteſt *c. 7. X. de appell.* tantùm abeſt, ut ad Vercellenſem Epiſcopum appellari qveat.

Digitized by Google

Vercellarum namqve civitas erat Imperialis, non ſubjecta Eccleſiæ nec Vercellenſi, nec Romanæ.

Ratio decidendi petitur 1. â conſvetudine, qvod obſervatum hactenus ita fuerit, ut ad Vercellenſem Epiſcopum appellaretur, 2. ex præſenti tùm tempore â vacatione Imperii, qvod nemo tum eſſet ad qvem appellari poſſet, non qvod verè Imperium vacaverit, ſed qvod ita viſum fuerit Pontifici, excommunicato ſcil. Anno 1210. Othone IV. Imperatore. Poſt iſtud enim tempus Decretalis hæc ſcripta videtur.

Ex hâc parte notant Canoniſtæ, vacante Imperio jus adminiſtrationis Pontifici competere. Qvod, qvam falſum ſit, oſtendit Dn. Conring. *de Germ. imper. Rom. c. 12.* & Limnæ. *ad capitul. Caroli V. verb.* Pfaltz und Sachſen ꝛc. *n. 58.*

Qvod tertiam partem attinet, repeti poſſunt ea, qvæ diximus ſupra *ad cap. 4.*

præcipuè] Vocabulum hoc παρέλκ., cum de cauſis Eccleſiaſticis non poſſit alibi, qvam in judicio Eccleſiaſtico diſceptari. Non igitur tùm neceſſe eſt, ut impetrentur literæ Pontificis.

à ſede Apoſtolicâ] Ita κατ' ἐξοχὴν cathedram ſuam vocat Papa Romanus, cum tamen olim qvælibet cathedra metropolitana imò & Epiſcopalis diceretur ſedes apoſtolica. *Vid.* autor Euchariſtici *de Eccleſ. ſub urbicar. Jacobo Sirmondo miſſi pag. 564. 565.*

ſublato appellationis obſtaculo] i. e. nullam patiaris à decreto tuo interponi appellationem.

vel ad noſtram] Jure Canonico à qvolibet judice inferiore licet appellare ad ſummum Pontificem omiſſis intermediis *c. 7. c. 31. c. 34. c. 52. X. de appellat.* Poterit igitur Epiſcopus Vercellenſis ut ordinarius loci præteriri, & immediatè ad pontificem provocari.

hoc præſertim tempore] Non ſufficeret conſvetudo, ad qvam provocat, *propter cap. 7. X. de appellat. in fin.* niſi aliâ novâ ratione, vacantis ſcil. imperii prætextu, juvaretur.

qvi à ſuperioribus] fortè legendum eſt: *Qvia à ſuperioribus.* Superiores illi Conſules Vercellenſes eſſe & dici neqveunt. Per ſuperiores igitur, nî fallor, intelligit judicia Imperatoria, qvæ ideò, qvod excommunicatus ſit Imperator, ſuggillat hîc & perſtringit Papa, ut injuſtitiæ & iniqvitatis officinas.

Ob-

Obſervare autem ex hoc textu iterum licet, qvâ ratione Pontifices Romani ſibi & Epiſcopis ſuis etiam in Laicos jurisdictionem tribuere cœperint. Erat Papa Innocentius III, ut refert Mattheus Pariſius hiſtor. ann. 1213. ſupra omnes mortales ambitioſus, & ſuperbus, pecuniæqve ſititor inſatiabilis & ad omnia ſcelera pro præmiis datis vel promiſſis cereus & proclivis. Hic igitur, poſtqvam Philippum & Ottonem Imperatores infenſiſſimo odio perſeqvi decreviſſet, maximam confuſionem etiam in jurisdictionibus intulit. Id unicum miror, qvî ſibi temperare potuerit Pontifex, qvo minus etiam extra caſum ſocordiæ & deſidiæ judicis ſecularis ad ſe omnes in univerſum cauſas Laicorum traheret, præſertim cum jam olim id fieri conſveverit, approbante etiam Conſtantino Imperatore *in l. 1. C. Theodoſ. de Epiſcopal. judic.*

Ad c. ex tenore 11.

Materia hujus capituli eadem eſt, qvæ fuit in antecedente, niſi qvod ſpecialiter agat de perſonâ favorabili, vidua ſcil. actionem inſtituente. Lis erat de hereditate, cauſa merè civili aut ſeculari: Contendentes etiam perſonæ erant Laicæ; impetraverat tamen actrix literas â ſede apoſtolicâ, ut apud Eccleſiaſticum judicem lis perageretur. Qvod cùm admittere nollet Dominus loci, cauſam ad ſuam jurisdictionem pertinere perhibens, & forte etiam contradiceret ſive de fori incompetentiâ exciperet Reus, mandat Pontifex, remittendam eſſe cauſam ad forum ſeculare, niſi ſit cauſa Eccleſiaſtica, neqve deſidiæ argui poſſit judex ſecularis.

Ratio dubitandi petenda eſt 1. ex impetratione literarum ab Apoſtolicâ ſede, qvibus cauſa fuit commiſſa judici Eccleſiaſtico. 2. ex favore perſonæ, qvod actionem inſtituerit vidua, cujus tantus eſt in utroqve jure favor, ut multa propter eam permittantur & inducta ſint ſingularia, qvemadmodum etiam jure civili conſtitutum eſt, ut liceret viduæ adverſarium ſuum apud Principem convenire, nec ei opponi poſſit exceptio ſeu beneficium primæ inſtantiæ *l. un. C. qvand. Imp. inter pupill. vel vid.* Carpzov. *2. reſponſ. 19.* Unde & Epiſcopis cura viduarum, earumqve protectio jure Canonico eſt demandata *c. 2. & 3. diſt. 87.*

Ratio decidendi eadem eſt cum eâ, qvam *cap. anteced.* explicavimus. Et ad ſecundam dubitandi rationem reſpondet Pontifex, ſic eſſe favendum viduis, ne id fiat cum damno aut injuriâ aliorum. Primam autem tacitè ita diluit,

luit, ut præſumere neceſſe ſit, ſub & obreptitiè literas iſtas fuiſſe impetratas.

Comitis Britanniæ] Britannia in Gallis primum Comites habuit, deinde Regulos, & tandem Duces. Cujac. *ad h. l.*

ratione previâ] i. e. cognitione præviâ & hinc cauſa plenè perceptâ.

Concluditur hinc, in favorabilibus perſonas ita juvandas eſſe, ne juſtitia lædatur, qvod repetitur *c. 6. X. de donat. int. Vir. & Uxor.* Ex qvo infertur porrò, privilegia â principe conceſſa non debere vergere in perniciem & præjudicium aliorum *l. 7. C. de prec. Imp. off. l. 4. C. de emanc. libb. l. 43. ff. de ſubſtitut.* Scaccia *de judic. l. 2. c. 7. n. 582.* Marchiſell. *quæſt. 59. n. 2. 3.*

Cæterûm ex hoc & antecedente capitulo obſervo, nondum putaſſe eo tempore Pontifices, ad forum Eccleſiaſticum, cujus ipſi ſunt moderatores, pertinere cauſas ſeculares, præterqvam ſi de ſocordiâ aut deſidiâ judicis ſecularis conſtet. Aliàs enim titulo commiſſionis facilè excuſari potuiſſent literæ Pontificis, nec proinde opus fuiſſet irritas eas & inanes, ut ſubreptas, decernere, aut cauſam remittere ad judicem ſecularem, cûm & aliàs ſub qvocunqve prætextu ſatis tenaces ſint Pontifices in erroribus ſuis ſuſtinendis.

Ad cap. ſi diligenti 12.

Credebat Archi Epiſcopus Piſanus, licere Clerico renunciare foro ſuo Eccleſiaſtico, & Laicum ſibi judicem conſtituere. Id cum increpatione reprehendit Pontifex, & nec juramento qvidem tale qvid validari poſſe conſtituit.

Archi Epiſcopi rationes erant 1. qvia disertè conſtitutum eſt, valere tale pactum, qvo qvis non uſurum ſe fori præſcriptione propter Sacerdotii prærogativam promittit, *l. pen. C. de pact. l. 51. C. de Epiſc. & Clericis.* Idqve 2. in temporalibus ſaltem cauſis attentendum eſſe, præſertim 3. qvia adverſarii voluntas accedit, & ſic mutuo conſenſu pactum initum eſt; pacta autem ut ſerventur, & naturalis ratio jubet, & antiqvi canones, maximè 4. ſi juramentum interpoſitum fuerit, qvod, qvia non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, omninò ſervandum eſt.

Rationem decidendi petit Pontifex ex canonibus Conciliorum Milevitanenſis & Carthaginienſis, in qvibus, *uti referuntur can. 41. & 42. cauſ. 11. qv. 1.* conſtitutum ſit, ne Clerici clericos relicto ſuo Pontifice ad judicia ſecularia

laria pertrahant, additâ pœnâ, ſiqvis, tale qvid auſus fuerit. Has conſtitutiones ait pontifex eſſe juris publici, & qvidem, uti Barboſa *ad h. t.* primam dubitandi rationem diluit, poſterioris atqve hinc validioris eo, qvod jure civili conſtitutum fuerat. Huic juri publico nec pactis nec juramentis privatorum derogari poſſe contendit Pontifex, & hinc concludit, nec juratam qvidem Clerici renunciationem validam eſſe.

Hanc Pontificis deciſionem avidè ſemper arripiunt Clerici, in foro Pontificio, & hinc ſe Laicorum jurisdictione adeò exemptos notant, ut nec ſi maximè velint, vel unicam tantum cauſam, eamqve temporalem, eorum foro ſubjicere liceat.

Sed enim ſi dicendum, qvod res eſt, fortiores omninò ſunt rationes dubitandi, qvæ pro Archi Epiſcopo faciunt, qvàm rationes decidendi à Pontifice allegatæ. Ad concilia ſanè fruſtra provocat Pontifex. Primus enim canon prohibet, ne Clerici clericos relicto ſuo Epiſcopo ad ſecularia judicia pertrahant, h. e. ut interpretatur Barboſa, ne invitos compellant. Alter verò Clericorum levitatem & procacitatem coërcet, qvi poſt cauſam in Eccleſia pertractari cœptam, qvod notandum eſt, ſpretis & relictis judicibus Eccleſiaſticis, ſeculari ſe arbitrio judicioqve committunt, uti explicat Chriſtoph. Juſtellus *in Cod. canon. Eccleſ. African. can. 15.*

Neuter omninò textus agit de conventione, qvâ ſe obſtrinxit reus de ſubeundo foro ſeculari; nec dici ergo poteſt, qvod duo illi canones talem conventionem improbent. Qvod porro dicit Pontifex, conſtitutiones iſtas eſſe juris publici, cui pacto privatorum derogari non poſſit, in eo fucum facit, ut optimè obſervat Cujacius *ad h. l.* & textu juris civilis *in l. 38. ff. de pact.* abutitur, uti ſcribit idem Cujacius *ad d. l. 38.* imò ſtultitiam committit, notante eodem Cujacio *ad African. tract. 7. ad l. 23. ff. de O. & A.* Nec enim ſatis explicatum dedit, qvâ ratione privilegium fori, juris publici eſſe dicendum ſit, cum diverſimodè jus publicum & juris publici aliqvid eſſe dicatur Franzk. *tit. de juſt. & jur. n. 91. ſeq.* Putat qvidem Didacus Covarruvias *ad c. qvamvis de pact. in 6. part. 2. pr. n. 29.* privilegium fori propter res ſacras, qvæ à Clericis tractantur, ad jus publicum referri. Sed hoc non ſatis facit Barboſæ. Et ipſo etiam jure civili, qvæ de ſacris & Sacerdotiis conſtituta erant, ad jus publicum referebantur, nec tamen eo jure creditum fuit, derogari juri publico, ſi qvis ſacerdos fori præſcriptione ſe non uſurum promiſiſſet, uti patet *ex l. pen. C. de pact.* Ipſe igitur Barboſa ideò ad jus

N pu-

Digitized by Google

publicum refert, qvia non reſpicit privatam ſingulorum utilitatem, ſed publicum favorem totius ordinis. Conſimili verò modo argumentari liceret, Senatus conſultum Vellejanum publicum favorem totius ordinis muliebris concernere, privilegia nobilium publicum favorem totius ordinis reſpicere, privilegia militum toti ordini data eſſe, hinc ergo eſſe juris publici, nec vel fœminam vel nobilem vel militem renunciare privilegio ſibi conceſſo poſſe, qvod falſum eſt. Intereſt ſcil. utrum privilegium conceſſum ſit Collegio ut collegio, & tùm verum eſt, renunciari ei per ſingulos non poſſe, an verò conceſſum ſit univerſis & ſingulis, qvo caſu renunciari ſine præjudicio aliorum poteſt. Georg. Acac. Enenkel *de privileg. lib. 3. c. 16. n. 12.* ubi *n. 30.* admittit, renunciari poſſe privilegiis exemptionum, ſi ſine ſuperioris præjudicio fieri poſſit. Qvia igitur ſingulorum non eſt eadem ratio, qvæ univerſitatis, ſeqvitur privilegio univerſali nihil præjudicare, qvi eo uti non vult, & hinc renunciationem fieri ſine injuriâ aliorum Clericorum, qvibus in ſuis cauſis integra nihilominus manet præſcriptio fori. Qvo poſito, magis eſt ut dicamus, Clericum ita renunciantem non publico juri derogare, ſed privato, niſi publici juris vocabulum ultra proprium ſignificatum extendere velis. *Vid.* Vultej. *ad l. 1. C. de jurisd. n. 125.* Hillig. *in Donell. enucl. l. 17. c. 10. lit. T.* Plus adhuc peccat Pontifex, qvando ne juratam qvidem renunciationem admittit, cùm tamen hîc interſit jurantis tantùm, & nulla omnino ſubſit utilitas publica, qvo caſu omninò ſervandum eſt juramentum. Seraph. de Seraphin. *de juram. privil. 61. n. 13.* Eſt ergo jus, qvod in hoc cap. continetur, prorſus novum, nec ante Innocentium unqvam promulgatum. Et rectius feciſſet, poſtqvam uſurpare iſtam poteſtatem ſemel placuit, ſi novum qvid ſe conſtituere præmiſiſſet, & abſtinuiſſet prætextu veterum canonum, & incongruâ hâc ratione, qvod pactis privatorum juri publico derogari neqveat. Eſſe tamen hanc conſtitutionem verbo divino manifeſtè adverſam, oſtendit Hugo Donellus *lib. 17. c. 10.*

in temporalibus cauſis] qvæ ita dicuntur ab objecto, qvo id circa temporalia verſentur, aliàs cauſæ ſeculares.

juri ſuo] i. e. foro privilegiato, qvod habent apud Epiſcopum.

in Milevitanenſi] alii ſubſtituere malunt Concilium Toletanum tertium, in cujus canone 13. hæc verba habeantur, cum inter canones concilii Milevitani amplius non inveniantur. Sed animadvertendum eſt, non Milevitanæ

tanæ tantùm ſynodi, ſed Carthaginienſis etiam tùm primæ tùm ſecundæ canones, inter canones ſynodi Carthaginienſis tertiæ hodiè inveniri. *Vid.* Gerh. Joh. Voſſius *hiſtor. Pelag. lib. 1. cap. 45.*

ad judicia publica] i. e. civilia & ſecularia, ſenſu alio qvam dicuntur de jure civili.

habeantur extranei] Per hæc verba intelligunt Interpretes & minorem & majorem excommunicationem. Panormitan. *hîc n. 21. 22.* Roland. à Valle *volum. 2. conſil. 23. num. 14.* Qvæ pœna durior eſt, qvam ut commenſurari qveat culpæ. Tantum ſcil. piaculum eſt non uti velle privilegio pontificio.

ſi locum ſuum maluerint obtinere] Conſeqvens hinc eſt, retentionem loci ſive beneficii conſiſtere poſſe cum excommunicatione majore, qvod iterum videtur abſurdum, non eſſe in communione fidelium, & tamen beneficio tali fruiſci, qvod eſt in communione fidelium.

cum non ſit beneficium hoc perſonale] Nec tamen eſt merè reale, ſed mixtum, in qvo perſonalitas præponderat, qvalia ſunt omnia illa, qvæ ob qvalitatem ſeu conditionem officii vel dignitatis conceſſa ſunt. Franzk. *tit. de conſtitut. Pp. n. 43. 44.* it. hiſce talibus renunciare nihil prohibet, niſi conſtitutio hæc pontificia.

Ad cap. cum contingat 13.

Summa hæc eſt, in cauſa delicti à Clerico commiſſi judicem ordinarium eſſe Epiſcopum, non capitulum aut collegium, cui inſervit Clericus iſte, niſi ex indulgentia aut privilegio Pontificis, vel etiam conſvetudine aliud fuerit introductum.

Ratio dubitandi ex facto deſumitur. Affectabat ſcil. capitulum in delinqventes tales jurisdictionem, qvo ſchemate, non liqvet, fortè ſub eo prætextu, qvod ſibi inſervirent. Qvemadmodum enim patres familias in ſervos ſuos domeſticam habent jurisdictionem, ita ſimilis aliqva non videtur invidenda capitulo in clericos ſibi deputatos ut inſervirent.

Rationem decidendi petit pontifex ex regulâ, qvod ordinariè præter Epiſcopum nemo jurisdictionem habeat, ab eo igitur cauſas exceſſuum eſſe cognoſcendas & terminandas, niſi, qvod exceptionis loco addit, aliud obtineat vel per privilegium Pontificis, vel per conſvetudinem.

Digitized by Google

deputati ſervitio] ſive ad miniſteria ſacra, ſive ad alia ſervitia. Habuit enim etiam Eccleſia ſuos ſervos, uti patet *ex c. 3. & 4. X. de reb. Eccl. al.* Hic tamen qvia de clericis agitur, videtur intelligere illos, qvi deputati ſunt, & divino cultui miniſteria religionis impendant.

jurisdictionem] i. e. notionem & cognitionem ſimplicem ſine poteſtate coërcendi & exeqvendi, qvomodo & Ulpianus vocabulum juriſdictionis in edicto prætoris accipit *in l. 5. ff. de re jud.*

maximè] qvia tum concurrunt forum domicilii & locus delicti.

Ex hoc capitulo id inprimis notandum eſt, qvod etiam conſvetudine acqviratur jurisdictio, qvæ conſvetudo ut differat à præſcriptione videri poſſunt Matth. Stephan. *de jurisdict. l. 1. c. 38. n. 46. ſeq.* Hahn *ad Weſenbec. tit. de jurisdict. n. 9.*

Ad cap. poſtulaſti 14.

Caſus talis eſt: Clericus Eccleſiæ e. g. Osnabruggenſis, ubi & beneficium habet, & commoratur, ſive reſidet, commiſit in diœceſi Monaſterienſi, ubi domicilium & patrimonium habet, delictum, qvod beneficii privationem poſt ſe trahit: qværitur, qvis de crimine cognoſcere debeat, num Epiſcopus Osnabruggenſis, an verò Monaſterienſis?

Pro Epiſcopo Osnabruggenſi facit ratio dubitandi, qvod pœna ejus delicti ſit privatio beneficii. Qvia igitur delinqvens habet beneficium in Eccleſiâ Osnabruggenſi, non videtur ab alio vel privari vel privatio decerni debere, præterqvam ab Epiſcopo Osnabruggenſi, ad cujus inſpectionem beneficium pertinet.

Ratio decidendi ſumitur à competente foro, qvod hoc loco duplici ex ratione conſtituitur, qvia & domicilium habet delinqvens in diœceſi Monaſterienſi, & in eâ etiam delictum commiſit. Cujac. *ad hunc text.* Sed videtur tamen Pontifex primam rationem de domicilio non multum urgere, ſed unicum fundamentum ponere in loco, ubi delictum commiſſum fuit, ut maximè hîc ratio domicilii concurrat. Vult igitur illum Epiſcopum de crimine cognoſcere & ſententiam promulgare debere, in cujus diœceſi delictum commiſſum eſt. Sic enim etiam civili jure conſtitutum eſt, ut locus, ubi qvis deliqvit, forum ejus criminis competens fiat. Ratio autem ejus conſtitutionis eſt, qvia in loco delicti commiſſi facilior ejus eſt probatio. *Vid.* Hillig. *in Donell. enucl. lib. 17. c. 16. lit. L.* Ad rationem dubitandi reſpon-

Digitized by Google

ſpondet Pontifex, nihil eſſe abſurdi, ut alius privationem beneficii decernat, qvia ſcil. beneficium id perſonale eſt, & perſonam Clerici ſeqvitur: Joh. Bapt. Vivianus *hic*. Perſonam igitur dum condemnat judex, ſententiam ferre poteſt etiam de iis, qvæ perſonæ adhærent, ut tamen, ſi jura iſta adhærentia alienam diœceſin afficiant, iſtius diœceſeos Epiſcopus ſententiam ab alio latam exſeqvatur. Breviter: Prior ille delinqventem privat habitu, alter actu. Uterqve facit, qvod ſuum eſt, qvia neuter in alterius diœceſi jurisdictionem exercere poteſt.

reſidens in eâdem] Diſtingvere cœperunt Pontificii, qvod alia ſint reſidentiæ, alia non reſidentiæ. h. e. eſſe qvædam beneficia, qvæ non reqvirant aſſiduitatem aut præſentiam. Sed enim qvia beneficium datur propter officium, nihil eſt ab omni ratione alienius, qvam eos præfici Eccleſiis, qvi munus ſuum negligant. Franc. Duaren. *de SS. Eccleſ. miniſter. l. 8. c. 5.*

domicilium verò] novum hoc eſt, habere ibi domicilium ubi patrimonium eſt, nec tamen ibi commorari aut aſſiduè verſari, cùm alias ex eo ſolo, qvod qvis majorem bonorum partem alicubi habeat, non liceat domicilium arguere, niſi ibidem paterfamilias ſe inſtruxerit. Zanger. *de except. part. 2. c. 1. n. 26.* Carpzov. *2. Reſponſ. 22. n. 14.* Poteſt tamen fieri, ut domicilium qvis utrobiqve habeat, & ubi patrimonium ejus eſt, & ubi beneficium, ſi non minus hîc qvàm illic commoretur *l. 6. §. 2. l. 27. §. 2. ff. ad municipal.*

ſeu beneficii] beneficium Canoniſtis dicitur ſacrum ſtipendium, qvod Clerico in Eccleſia liturgiam exercenti datur. Complexum id dicunt ex officio ſacro & utili temporali, ita tamen ut cum olim Officium præcipuum fuerit, ſtipendium verò conſecutivum & acceſſorium, hodiè ſtipendium præcipuum ſit & principale.

Ex hoc textu notandum I. locum delicti commiſſi eſſe forum competens, qvo delinqvens judicari poteſt, qvod & civili jure obtinet. *l. 1. C. ubi de crim. ag. op.* Qvin videtur olim non alibi de crimine agi potuiſſe, qvam in loco, ubi delictum commiſſum fuerat. *l. 7. §. ult. l. ult. ff. de accuſat. l. 10. & l. 16. C. Theodoſ. eod.* Et hinc etiam reum alibi degentem ad forum iſtud remitti oportuit.

II. Poſſe ſententiam ab alio judice pronunciari, ab alio executioni mandari, qvod inter alia etiam tum contingit, qvando condemnatio attingit bona alibi ſita. Et tùm tenetur judex, qvi ſententiam tulit, judicem alte-

Digitized by Google

rum per literas mutui compaſſus reqvirere, ut ſententiam exſeqvatur. Berlich, *part, 1. concluſ. 79. n. 18. ſeqq.*

Ad cap. ex part. 15.

Facti ſpecies hæc eſt: Berengaria Angliæ Regina Richardo I. nupta, nunc vidua, ſpoliata fuerat per nobilem aliqvem caſtro, qvod dotalitii titulo ſe hactenus poſſediſſe referebat. Eâ de re cum interdicto unde vi agere conſtituiſſet, pontificem adit, & ab eo judices delegatos impetrat Nobilis reus exceptionem fori incompetentis opponit. Qværitur, num rectè.

Rationes nobilis ſunt (I) qvod ipſe domicilium ſuum habeat in aliâ planè diœceſi, atqve id ultra duas diætas â loco judicii remotum: eſſe autem expediti juris non poſſe qvemqvam trahi ad judicem extraneum ultra iter duorum dierum *c. 28. & 29. X. de reſcript.* (2) qvod locus controverſus ſit feudum, de qvo cognitio ad dominum feudi pertineat, non ad judicem Eccleſiaſticum, niſi dominus feudi negligentiæ convinci qveat, *cap. 6. ſuper.* Contendit igitur nec domicilii ratione, nec ratione rei ſitæ, qvæ hîc ſingularem qvalitatem continet, Eccleſiaſticum hoc judicium forum eſſe competens, cui addit (3) qvod reſcriptum pontificium ad falſa narrata fuerit impetratum: extare non in literis ſupplicibus, caſtrum controverſum eſſe dotalitium Reginæ, idqve falſum eſſe.

Regina ad hæc omnia reſpondet & qvidem ad primum, habere reum in ipſa illa diœceſi, in qva caſtrum controverſum ſitum eſt, caſtrum aliud non ultra duodecim leucas aut unius diei iter â Turonibus diſtans, atqve ibi qvandoqve exiſtere eum aut commorari ſolere. Duplex igitur domicilium duplex etiam forum facere, & proinde nobilem non minus hîc, qvam illic conveniri poſſe. Ad ſecundum: eſſe ſe viduam, & ſub ſingulari Eccleſiaſtici judicis tutelâ, qvippe ad qvem ſpectet viduas defendere, poſſe igitur ſe irreqviſito feudi domino detentorem caſtri apud Eccleſiaſticum judicem ſuum defenſorem convenire. Ad tertium: caſtrum controverſum â marito Richardo qvidem ſibi dotalitii nomine non fuiſſe conceſſum, ſed iſtud tamen â Johanne fratre & ſucceſſore Richardi cum aliis rebus dotalitii nomine â Richardo acceptis permutatum fuiſſe, atqve ſic naturam & qvalitatem earum induiſſe, ſeqve caſtrum iſtud diu dotalitii titulo poſſediſſe. Et qvanqvam de jure Johannis replicaſſet nobilis, eumqve pro inva-

vaſore habendum contendiſſet, non pertinere tamen iſta ad judicium poſſeſſorium, cenſuit Regina.

Qvibus ita diſcuſſis reſpondet Pontifex, nobilem fori incompetentis exceptionem non rectè opponere, ſed cauſam apud judices Eccleſiaſticos delegatos eſſe continuandam, poſito ſcil. & reum domicilium habere in Andegavenſi diœceſi, ibiqve interdum commorari & eam diœceſin ultra duas dietas à Turonibus non diſtare, & in eâdem diœceſi eſſe caſtrum controverſum. His enim rationibus decidendi nititur reſponſum Pontificium. Prima & ſecunda totam rem conficit. Tertia autem non ſatis clara eſt. Non enim removet rationem dubitandi à qvalitate feudali deſumtam, niſi dicere velis, Pontificem in ea fuiſſe ſententiâ, licere de poſſeſſione feudi apud judicem loci ordinarium experiri, qvam tuentur adhuc multi. Vultej. *de feud. l. 2. c. 2. n. 40.* Roſenthal *de feud. cap. 12. concluſ. 12. n. 70. ſeq.* qvorum tamen ſententia â plerisqve rejicitur, *vid.* Gothofr. Anton. *diſp. feudal. 14. n. 1. lit. C.* Struv. *exerc. feud. 16. n. 4.* Sed ſtante eâ, manet nihilominus dubium *ex cap. 11. ſupr.* qvod vidua laicum coram judice Eccleſiaſtico convenire non poſſit, niſi ſuper cauſa Eccleſiaſtica vel in defectum judicis ſecularis. Videtur igitur hîc â deciſione iſtius canonis receſſiſſe Pontifex, & ſaltem in caſu ſpolii viduæ permiſiſſe, judicem Eccleſiaſticum directò compellare, idqve novum eſt, & antea inauditum.

Johannis Papæ] legendum: Innocentii III.

diœceſi Rodonenſi] lege Rhedonenſi. *Vid.* Cujac. *hîc.*

duas dietas] Dieta eſt iter unius diei. *Vid.* Lindenbrogg. *in gloſſar. eod. leg. antiq.*

ultra duodecim leucas] h. e. nondum unius diei iter. Leuca enim finitur mille & qvingentis paſſibus. Vicena millia paſſuum autem in ſingulos dies dinumerantur. *l. 1. ff. ſi qvis caut. Vid.* Cujac. *hîc.*

in donationem propter nuptias] Dotalitium, uti hodiè jure Saxonico conſtituitur, ſpecies eſt donationis propter nuptias, nec per omnia æſtimari poteſt ſecundum regulas juris civilis. *Vid.* Weſenbec. *paratit l. de jur. dot. n. 11.* Beuſt. *de dot. n. 9. 10.*

in poſſeſſorio] Poſſeſſorium judicium contradiſtingvitur petitorio, qvod illic de poſſeſſione tantùm, hîc de domino aut qvaſi aut alio jure in re qvæſtio ſit *Vid.* Hiltrop. *de proceſſ. part. 1. tit. 4. n. 73. ſeq.*

Ex

Digitized by Google

Ex hoc textu conficiunt Doctores communiter, perſonam miſerabilem re ſuâ ſpoliatam interdicto recuperandæ agere poſſe directò apud judicem Eccleſiaſticum, ut maximè reus fuerit Laicus & ipſa etiam res temporalis. Qvibus tamen contradicit Cavarruvias pract. qvæſt. *cap. 6. n. 1.* & textum hunc intelligit de caſu, qvo negligentiæ ſuſpicio eſt in judice ſeculari, ita ut extra eam adire judicem Eccleſiaſticum non liceat. Sed nî fallor, difficulter id ex textu probabitur, & convenientior videtur verbis Pontificis explicatio Doctorum. Notat tamen Covarruvias *d. l.* communem hanc Canoniſtarum opinionem in praxi receptam non fuiſſe, & apud Regia tum Galliarum tum Hiſpaniarum prætoria riſui fore, ſi qvis eam allegare velit. In noſtro etiam foro ea nullius eſt uſus.

Notandum I. etiam in cauſis ſolam poſſeſſionem concernentibus fundandum prius eſſe judicium, anteqvam in cauſa procedatur.

II. Etiam illuſtres fœminas viduitatis gaudere privilegiis & miſerabilibus perſonis accenſeri. Diverſum tamen obtinet in foro Electorali Saxonico, teſtante Carpzovio *lib. 2. reſp. 19. n. 27.*

III. Judicium poſſeſſorium qvàm ociſſimè eſſe terminandum, & exceptiones graviores petitorio eſſe reſervandas.

Ad cap. conqveſtus 16.

Caſus talis eſt: Habebat Eccleſia Bononienſis temporalem jurisdictionem in qvibusdam caſtris & villis: in eâ cum turbata eſſet per magiſtratum Bononienſem, negocium defert ad Pontificem, qvi judici Eccleſiaſtico delegato mandat, ut turbatores ad ſatisfactionem & abſtinentiam per cenſuras Eccleſiaſticas compellat. Qvæſtio tota vertitur in eo, utrum cognitio de ejusmodi turbatione ad judicem Eccleſiaſticum pertineat?

Ratio dubitandi eſt, qvia actor ſeqvi debet forum rei. Non igitur judex Eccleſiaſticus adiri debet, ſed ſecularis, cujus jurisdictioni ſubeſt Poteſtas & communitas Bononienſis. Præſertim ſi vera eſt ſententia Doctorum, de poſſeſſione & ſpolio rei ſpiritualis cognoſcere poſſe etiam Laicum judicem. *Vid.* Alvar. Valaſc. *conſultat. 93. num. 5.* Anton. Teſſaur. *deciſ. 82. & 117.* Gvid. Pap. *qvæſt. 1.* Nicol. Anton. Gravat. *ad Octav. Veſtrii prax. lib. 5. cap. 1.*

Rationem decidendi ſumit Pontifex ex naturâ & fine rerum Eccleſiaſticarum, qvod illæ ab Eccleſia poſſideantur in remedium peccatorum; aut

ad

ad negocia ſpiritualia conficienda; non igitur illas applicandas eſſe dicit aliis uſibus id verò ſi qvis fecerit, reum eſſe dicit ſacrilegii, anathemate feriendum, & hoc pertinere ad judicem Eccleſiaſticum. *Conferri hîc poſſunt ea, qvæ dixi ſupra ad cap. 8.*

Poteſtas] i. e. Magiſtratus *vid. l. 215. ff. de V. S.* & ibi Gœddeus.

plenojure] i. e. ſine diminutione. Mart. *de clauſul. part. 1. clauſ. 92. n. 5. Add.* Panormitan. *hîc n. 4.*

qvaſi poſſeſſione] Incorporalia enim non verè, ſed qvaſi poſſidentur. *Vid.* Biccius *ad l. 3. ff. de acq. vel am. poſſ. pag. 12.*

tanqvam ſacrilegi] *vid. qvæ dixi ſupra ad cap. 8. & add. can. 3. & 5. cauſ. 12. qvæſt. 2.*

de præteritis damnis] i. e. qvanti Eccleſiæ intereſt, ſe vi dejectam non fuiſſe *l. 1. §. 41. ff. de vi & vi arm.*

appellatione remotâ] Clauſula hæc non removet omne appellationis genus, nec omnem appellandi cauſam. *Vid.* Petr. Gregor. *de appell. l. 2. c. 20.* Auguſt. Barboſ. *de clauſul. n. IX.*

Ex hoc textu nota, Eccleſiæ qvæ dicata ſunt, aliis uſibus applicari non debere. De qvâ re videri inprimis poterit Hoornbek. *ad bull. Innocent. X. p. 64. & multis ſeqq.*

Cæterùm ratio decidendi, qvam ab remedio peccatorum Pontifex ſumpſit, erroneo hoc fundamento nititur, qvod per bona opera qvis remiſſionem peccatorum mereri poſſit, id qvod hæreticum eſt in Theologiâ. Nec magis verum eſt, ſacrilegium committere, qvi jurisdictionem Eccleſiæ temporalem uſurpat; temporalis enim qvia eſt & ad ſpiritualitatem nihil facit, ſacra dici propriè neqvit. Per conſeqvens etiam anathematis pœna acerba nimium eſt, & minus proportionata. Ut tamen cauſa talis in Eccleſiaſtico judicio ventiletur, Eccleſiæ favor poſtulat.

Ad cap. dilecti 17.

Species facti talis eſt: Epiſcopus qvidam Dunelmenſis in Angliâ cum Romæ negocia Eccleſiæ ſuæ ageret, à civibus Romanis mutuò accepit pecuniam, factâ promiſſione, Pariſiis eam ſe reſtituturum. Cives, ut eo facilior eſſet conventio, à Pontifice Rom. literas impetrant, qvibus cauſæ cognitionem committit Abbati cuidam Pariſienſi. Debitor interim diem obit. Cumqve creditores ſucceſſorem ejus in Epiſcopatu coram Abbate

Digitized by Google

delegato conveniſſent, ille exceptionem fori, declinatoriam opponit, adducendo privilegium Pontificium, ſecundum qvod Anglicorum nemo ultra mare in judicium trahi poſſit. Sed reſpondet Pontifex ab Epiſcopo conſultus, privilegio iſto non obſtante, cauſam apud Abbatem eſſe terminandam, niſi in foro domicilii creditores Epiſcopum convenire malint.

Ratio dubitandi petitur ex iſto privilegio, qvod violat, qvi Epiſcopum Anglicanum in judicio Pariſienſi convenire nititur.

Rationem decidendi ſumit Pontifex ex figurâ contractus, qvia ſcil. promiſit Epiſcopus Dunelmenſis, Lutetiæ Pariſiorum ſe reſpondere vel ſolvere velle. Eâ promiſſione privilegio eum renunciaſſe intelligit. In arbitrio igitur creditorum eſſe utrum in Angliâ eum convenire velint, ubi domicilium habet, an verò Lutetiæ, qvo loci ſolutionem ille promiſerat.

Genevefæ] Eſt hæc Pariſienſium dea tutelaris, qvam duriſſimis temporibus impensè adorant & colunt. *Vid.* Sleidan. *lib. 9. p. 250.*

citra mare] h. e. ut non poſſint evocari, & in judiciis ultramarinis conveniri.

& moderatis] Moderatio hæc & laxatio expenſarum fieri debet à judice, ſi iniqvæ videantur & exceſſivæ. Nec enim permittendum eſt litigatori, ut voluptuarias, qvas fecit, recipiat expenſas, ſed eas tantùm, ſine qvibus ſuum obtinere non potuit.

damnorum] damni nomine venit omne id, qvod intereſt Treutler *vol. 2. diſp. 23. th. 2. lit. A.* qvâ in re etiam perſonæ qvalitas attendenda eſt, veluti ſi fuerit artifex, qvi victum diurno labore qværit, cui proinde damnum cauſa litis illatum ab adverſario refundi debet. Anton. Perez. *Cod. de fruct. & lit. expenſ. n. 10.*

uſuris] qvæ jure Canonico prorſus profligatæ ſunt & prohibitæ, ut nec favore piæ cauſæ admittantur. *c. 4. X. de uſur. & ibi Henr. Caniſius.*

Ex hoc textu notandum I. Succeſſorem in officio obligari, ſi qvid ab anteceſſore ratione officii vel dignitatis actum geſtumve fuerit. *Vid.* Tabor *ſingulari tractatu de obligat. ſucceſſ. in offic.* *Conf.* Franzk. *l. 3. reſolut. 1. num. 150. ſeqq.*

II. Poſſe à ſuperiore concedi privilegium de non evocando, qvâ ratione talis privilegiatus ne qvidem per ſubſidium ab alio judice citari poteſt.

III. Eum

Digitized by Google

III. Eum qvi ita fuit obligatus, ut in Galliâ ſolveret, ſi in Angliâ habeat domicilium utrobiqve poſſe conveniri & hîc & ibi *l. 19. §. ult. ff. de judic.* Si tamen extra locum ſolutioni deſtinatum actio inſtituatur, loci illius facienda eſt mentio, ne in pluris petitionem incidat actor. *§. 33. Inſt. de act.*

IV. Moroſum debitorem teneri etiam ad damna & expenſas, qvas creditor fecit.

Notant inſuper ex hoc textu Canoniſtæ, privilegium ſimpliciter conceſſum hominibus alicujus loci, comprehendere etiam clericos illius loci, dum tamen eo uti velint. Uti enim eos poſſe ſtatuto vel conſvetudine Laicorum, ſed non teneri. Sed iſta aſſertio præſupponit omnimodam exemptionem Clericorum, qvam non unis vicibus perſtrinximus & inter βδελύγματα tyrannidis papalis recenſuimus.

Ad cap. Significaſti 18.

Summa hæc eſt, Clericos non poſſe prorogare jurisdictionem judicis, niſi is fuerit Eccleſiaſticus, neqve aliter niſi cum conſenſu Epiſcopi ſui.

Ratio dubitandi nititur jure communi, qvo unicuiqve licet cum adverſario ſuo jurisdictionem judicis non competentis prorogare. Eſt enim prorogatio nihil aliud, qvam jurisdictionis extra fines ſuos conſenſu privatorum facta productio, *l. 1. & 2. ff. de judic.*

Ratio decidendi petenda eſt à Clericorum exemptione, qvia enim etiam communi jure prorogatio eſſe neqvit, niſi inter eos, qvi communi imperio, & uni ſummo capiti ſubjecti ſunt, Clerici autem cum Laicis uni communi capiti in foro Canonico non ſubjiciuntur, facilè hinc patet Clericos jurisdictionem judicis Laici prorogare non poſſe. Arnold. Vinnius *de jurisdict. c. 10. n. 2.* Ratio autem cur ad prorogationem Clericorum, qvam in judicio Eccleſiaſtico faciunt, etiam reqvirendus ſit conſenſus Epiſcopi diœceſani, nulla omninò ſufficit Barboſæ *ad hoc cap.* qvi id ferè concludit, ideò reqviri, qvia ita voluerit Pontifex. Ego id ad imitationem prorogationis Laicæ introductum arbitror, qvippe qvæ fieri non poteſt, invito eo qvi jurisdictionem habet, poſtqvam jurisdictio facta fuit patrimonialis, ne is qvi jurisdictioni præeſt cogatur carere fructibus ſuæ jurisdictionis.

ad petitionem] Verbum hoc de petitione, qvæ citationem præcedit, accipit Barboſa. Mihi id non videtur, qvia ſubjectio ad petitionem partis adver-

ſæ promiſſa dicitur, poſtqvam terminus ſolutioni deſtinatus fuerit elapſus. Videtur igitur dubitaſſe ipſe judex, cujus jurisdictio prorogata fuit, utrum citare partes ſibi liceret.

inqviſitioni tuæ] i. e. qvæſtioni.

jurisdictioni præeſſe dignoſcitur] qvi alias dicitur magiſtratus. Nullus enim datur magiſtratus, qvi non aliqvam habet jurisdictionem.

Notandum hîc. I. jurisdictionem prorogatam à privatis qvodammodo tribui, ſine qvorum conſenſu jurisdictionem certis terminis limitatam, in tali cauſa, qvæ terminis iſtis incluſa non eſt, exercere non liceret. Acceſſit tamen confirmatio legis ſine cujus autoritate nec privati id poſſent Et hinc principale robur ſententiæ talis, & cur ei ſtandum ſit, ex lege petendum eſt.

II. Privatorum hunc conſenſum non poſſe tribuere jurisdictionem ei, qvi nullam omninò habet, & hinc ſemper reqviri, ut in qvem conſenſum eſt, aut tribunali præſit, aut aliam jurisdictionem habeat. *l. 1. ff. de judic. l. 3. C. eod.* Et hinc vulgo dicitur, privatos non poſſe jurisdictionem dare non habenti, poſſe tamen eam habenti prorogare.

III. Clericos jure Canonico Laicorum jurisdictionem nullo modo agnoſcere poſſe, ne qvidem ſi Epiſcopi acceſſerit conſenſus. De qvâ exemptione, qvid ſentiendum ſit, jam ſæpè dixi.

Obſervat tamen & concludit Fernandus Vaſqvius *de ſucceſs. reſolut. lib. 1. §. 9. n. 94. 95.* poſſe Clericum, jure ſpeciali alicui prælato, qvi Epiſcopo inferior eſt, ſubjectus, in ipſum Epiſcopum conſentire, qvòd hac ratione res ad priorem ſtatum revertatur. Ego verò invito iſto prælato id fieri non poſſe arbitror, tùm qvod judex immediatus præteriri non poſſit, tum qvod fructibus illum jurisdictionis carere oporteret, qvod jus ipſi invito auferri neqvit.

Ad cap. propoſuiſti 19.

Summa hæc eſt, privilegium aut mutationem fori poſt præventionem contingentem non proficere prævento, ut imperium judicantis declinet. Eſtqve hoc capitulum concinnatum ad mentem *legis 7. ff. de judic.* ex qvo textu etiam verba aliqva petita & retenta ſunt.

Caſus talis eſt: Titius civis oppidanus per citationem ad Prætorem urbanum in jus vocatur. Poſt eam citationem mutat ille forum & fit Aca-

de-

Digitized by Google

demicus, miles &c. Qværitur, num mutatio iſta facere poſſit, ut cauſa m. apud judicem Academicum aut militarem poſthac peragere oporteat. Similis caſus eſt *in l. 19. ff. de juriſdict.*

Ratio dubitandi eſt, qvia forum Rei ſeqvendum, & cauſa apud competentem judicem ventilanda eſt. Mutatio igitur ex perſona Rei, qvæ contingit, cum eum â prioris judicis juriſdictione liberet, videtur hoc efficere, ut etiam cauſa & actio jam inſtituta ad novum judicem pertineat, ibiqve terminari debeat. In qvam rem allegari poterit *l. 12. ff. ſi qvis caut, & l. 4. §. 5. ff. de re militar.*

Rationem decidendi ſumit Pontifex ex præventione. Qvia enim citatio eſt fundamentum judicii, *§. fin. Inſt. de pœn. tem. litig.* per citationem juriſdictio prævenitur & perpetuatur reſpectu illius cauſæ, ita ut deinceps ubi acceptum eſt ſemel judicium, ibi & finem accipere debeat *l. 30. ff. de judic.* Hillig. *in Donell. lib. 17. c. 18. lit. C. D.* idqve favore & bono publico introductum eſt, ne in rei poteſtate ſit, actoris intentionem intervertere & eludere, neve litigia per judiciorum mutationem multiplicentur. Per mutationem fori igitur non liberatur reus â juriſdictione prioris judicis in iis cauſis, qvæ jam cœptæ ſunt. Nec obſtat *l. 12. ff. ſi qvis caut.* qvam & Cujacius & Ruſſardus de alio, qvam fori privilegio interpretantur; Neqve *l. 4. §. 5. ff. de re militar.* qvia illic mutatio fori non fit ex privilegio militari, ſed ex delicto & crimine militari, qvod reus poſtulatus crimini civili adjunxit, dum in reatu capitali conſtitutus militiæ nomen improbè dedit.

legitime citatus] i. e. obſervatis omnibus citationis reqviſitis, nempe ut fiat ad inſtantiam partis & mandato judicis competentis, ut contineat nomen & cognomen judicis ac citati, tum & cauſam & locum & diem.

ad cauſam] i. e. dicendam vel peragendam.

revocandi forum] Revocare forum vel domum, eſt fori exceptione uti, allegare ſe ibi judicium ſuſcipere minimè teneri, atqve alibi conveniri debuiſſe, breviter: judicem recuſare *l. 2. §. 3. & 4. ff. de judic. l. 5. l. 7. ff. eod.*

Ex hoc textu noto I. citationem debere fieri ad inſtantiam partis. *Vid.* Petr. Frider. *de proceſs. lib. 1. cap. 1. n. 6. ſeq.* Gail. *l. 1. obſ. 50. n. 4.*

II. Per ſolam libelli productionem aut oblationem non induci præventionem, ſed accedere debere citationem. Carpz. *2. reſponſ. 46.*

III. Ad hoc, ut dicatur juriſdictio præventa reqviri inprimis, ut reus legitimè ſit citatus. Zanger. *de except. p. 2. c. 1. n. 14.* Citatio enim qvæ nulla

 eſt

eſt non perpetuat juriſdictionem. Ant. Gabriel. *lib. 2. tit. de citat. concluſ. 3.* Vaſq. *lib. 2. contr. 24. n. 6. 7. 8.*

Ad cap. licet 20.

Videtur hæc decretalis compoſita ad æmulationem juris civilis, qvo ſimiliter Romæ generale erat forum conſtitutum, ita ut omnes ibi inventi conveniri potuerint, niſi jus revocandi domum habuerint, *l. 2. §. 4. & l. 24. ff. de judic.*

Caſus talis eſt: Venerat Epiſcopus exteræ nationis Romam, & ibi apud ſedem Apoſtolicam à Creditore ſuo conveniebatur. Id indignè ferebant, ſive capitulares, ſive coëpiſcopi ejusdem provinciæ, & apud Pontificem animi ſui ſenſa literis exponebant. Reſpondet Pontifex, forum iſtud non fuiſſe incompetens, & juſte Epiſcopum Romæ fuiſſe conventum.

Ratio dubitandi petitur ex enumeratione modorum, qvibus qvis forum ſortitur, qvorum cum nullus adplicari ad præſentem caſum poſſit, qvod nec delicti, nec contractus, nec domicilii, nec rei ſitæ ratione Romæ conventus is Epiſcopus fuerit, forum Romanum hactenus pro incompetente erit habendum.

Rationem decidendi ſumit Pontifex ab illuſtri Romanæ Eccleſiæ dignitate, propter qvam ea hoc obtinuit privilegium, ut competens fieret forum, ſicubi qvis ibi inventus actione pulſatus fuerit. Tacitè igitur innuit, eſſe in ratione dubitandi inſufficientem enumerationem partium, cum præter illos modos reſtet adhuc alius, qvem in hoc capitulo exponit, ex mente ipſius Pontificis, niſi fallor, irregularis, & extraordinarius.

mater eſt eadem] Eccleſia Romana non poteſt dici mater omnium Eccleſiarum, ſive maternitas accipiatur ratione doctrinæ ex eâ alibi propagatæ, ſive ratione poteſtatis. Priore ſignificatu ſoli Hieroſolymitanæ Eccleſiæ hoc debetur encomium. Poſteriore matrem inter Eccleſias planè nullam agnoſcimus. Inter plures enim Eccleſias particulares eſt relatio & unio non per modum ſuperioritatis & ſubjectionis, ut inter matrem & filiam, dominam & ſubjectam, caput & membra, ſed per modum paritatis collateralis, ut inter plures ſorores ejusdem familiæ. Licet igitur ſoror altera alteram ætate aut virtute anteire poſſit, non tamen dominationem in illam, qvatenus ſoror eſt, habet. Hinc igitur concidit ratio decidendi, qvam Pontifex à ſuperioritate Romanæ Eccleſiæ ſumit. Non enim uti imperi-

um

Digitized by Google

um civile ex Urbe Româ dependet, ita & inter Eccleſias tale aliqvod conſtituere licet.

& magiſtra] Magiſterium hoc Eccleſiæ Romanæ concedendum haudqvaqvam eſt. Etſi enim primis temporibus Eccleſia Romana magni ſemper æſtimata fuerit in cauſis fidei aſſerendis, illius tamen aſſertionibus propter ſe & ut principio fidei creditum fuiſſe nullibi legimus.

juſta & neceſſaria cauſa] Exceptio hæc etiam de jure civili locum habet *l. 2, §. 3. ff. de judic*, ubi tales cauſæ referuntur, veluti ſi legatus ſit, ſi teſtimonii dicendi cauſa Romæ reperiatur, aut ſi judicandi munus ei impoſitum ſit, &c. *Vid.* Franc. Duaren, *tit. de judic.*

allegaſſet] Exceptiones omnes, etiamſi notoriæ ſint, allegare oportet. Treutler *vol. 2. diſp. 26. th. 7. lit. C. & ibi* Bachovius. Ut maximè igitur à judice incompetente citatus qvis fuerit, comparere tamen is debet, & exceptionem fori declinatoriam allegare, niſi & ipſi judici notorium ſit, citatum non eſſe ſub ſua jurisdictione, Zoeſ. *tit. de judic, n. 69.*

revocandi domum] *de hâc phraſi dixi ad cap. antecedens.*

Ex hoc textu noto I. poſſe reum diverſa nanciſci fora, in qvibus conveniri poſſit, non obſtante, qvod unius tantum ſit ſubditus.

II. Poſſe reum propter eandem cauſam in diverſis foris aut judiciis conveniri, ſed electivè, ita ut præventioni locus ſit. Qvâ ratione Epiſcopus Romæ conventus non tenetur de eâdem cauſa in loco domicilii aut contractus reſpondere.

III. Ut in foro generali, qvale fuit olim Urbs Roma, qvis conveniri qveat, multum referre, qvam ob cauſam qvis ibi ſit, cum juſtæ & neceſſariæ cauſæ exceptionem dent, qvâ declinare iſtud forum permittitur.

AD TIT. DECRETAL. 3. de LIBELLI OBLATIONE.

Ad cap. 1.

Videtur mihi hoc capitulum non tàm de libello actionis, qvam de alio qvocunqve qvalecunqve deſiderium continente ex origine ſuâ explicari debere. A Pontifice tamen huc translatum eſt, ut libel-

Digitized by Google

libelli in judicio exhibendi neceſſitatem ſtabiliret. Occaſio ejus hæc fuit. Ebbo Archiepiſcopus Rhemenſis, qvod in Ludovicum Imperatorem multa iniqve ſtatuiſſet, ejusqve ab imperio dejiciendi autor fuiſſet, ſeipſum Epiſcopatu abdicaverat, eiqve poſt aliqvot annos Hincmarus nobili Francorum ortus proſapiâ ſuffectus fuerat. Sed cum idem Ebbo deinceps Lotharii Imperatoris operâ per Synodum comprovincialium Epiſcoporum reſtitutus fuiſſet, complures in eâdem Eccleſiâ Clericos ordinaverat Qvod cum indignè ferret Hincmarus, poſt obitum ejusdem Ebbonis, qvos ille ordinaverat, recipere noluit, eaq; de cauſa Synodum Sueſſionenſem apud S. Medardum, coëgit, in qva Clerici ab Ebbone ordinati ſuccuberunt, & loco moti fuerunt. Franc. Long. à Coriolano *In ſumm. concil. ad ann. 833. ſeqq.* Conqverentibus ergo in Synodo his Clericis reſpondit Hincmarus, hujusmodi qverelam per libellum expoſtulantium manu ſubſcriptum Synodo inſinuandam eſſe.

Ratio dubitandi eſt, qvia oretenus qvæ proponi poſſunt, qvid opus eſt, ut ſcripto exhibeantur? cùm vivâ voce clarius omnia, & diſtinctius atqve ad captum audientis explicatius exponi qveant.

Ratio decidendi petitur ex auctoritate Eccleſiaſticâ, ſecundum qvam ſcripto exhibenda erant, qvæ concilio proponebantur, eaqve latius exponitur à Gratiano *c. legum 2. q. 1.* Videtur autem iſta autoritas non tàm legibus ſcriptis qvam conſvetudine niti, qvemadmodum etiam in verbis concilii hujus conjunguntur legum Eccleſiaſticarum conſvetudo & autoritas. Et videtur iſta conſvetudo, ut ex ſcripto omnia peragerentur, in Galliâ maximè recepta fuiſſe, uti notat Franciſcus Florens *in diſſertat. cap. 2. pag. 40.*

apud S. Medardum] Nomen id eſt Monaſterii in Urbe Sveſſionenſi, & Concilium ipſum habitum eſt anno Chriſtianæ ſalutis DCCCLIII.

Ignarus] Legendum: Hincmarus, Vir in aulicis Regni negociis verſatiſſimus, & propter peritiam Canonum, qvos acriter defendebat, Pontifici Nicolao I. maximè exoſus. Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp lib. 4. c. 6. num. 1.*

reclamationis] ita dicitur, qvod non tantùm indignè ſe loco motos conqvererentur Clerici, ſed etiam ipſius Hincmari ordinationem ſollicitarent, eamqve uti facta fuerint expeterent. Reclamarunt igitur inſtitutis Hincmari.

libel-

Digitized by Google

libelli ſerie] Libellus hîc idem eſt, qvod ſcriptura. De vocabuli variâ ſignificatione videri poterit Georg. Obrecht. *de concip. libell. cap. 1. n. 10.*

Ex his conficiunt I. Libellum in omni negocio, qvo inter partes judicio contenditur, neceſſarium eſſe. Qvod concedo, ſi libellus accipiatur pro qvâcunqve expoſitione & relatione negocii, de qvo in judicio diſceptari debet. Ut enim in omnibus cauſis artificiosè ſemper libellus concipiatur, nec paupertina litigantium conditio admittit, nec judicis æqvitas.

II. Libellum in ſcriptis eſſe offerendum. Ratio eſt, ut ex eo qvovis tempore conſtare poſſit, qvid in judicium deductum ſit, utqve poſt tractum temporis ſententia libello conformis pronuncietur. Rationes alias reddit Nicolaus Calvolus *in praxi §. libellus concluſ. 1. n. 2.* ut ſcil. actor perſiſtere teneatur in actione propoſita, deinde ut reus poſſit deliberare, cedere an velit, an contendere. Sed & hoc axioma non aliter locum habet, qvàm in longioribus judicii proceſſibus. Breviorem autem qvæ poſtulant expeditionem in illis ſufficit oralis relatio, & qvalis qvalis petitio. Hâc enim ratione expediri voluit audientiam Epiſcopalem Juſtinianus. *Novell, 83. pr.*

Cæterùm cùm Doctores à neceſſitate libelli liberent & immunes reddant cauſas ſummarias, & qvæ celerem expeditionem deſiderant, multam plerumqve inſumunt operam, ut cauſarum iſtarum exactum conſcribant indicem. Nobis nunc ea res curæ non eſt. *Vid.* Calovius *d. l. concluſ. 4.* Jacob. Schultes *obſervat. 3.* Joh. Bapt. Aſinius *in prax. §. 4. c. 3.*

III. A partibus ſtylum Curiæ eſſe obſervandum, qvippe in qvem conſentit ille, qvi judicio contendere ſecum conſtituit.

Ad cap. ſignificantibus 2.

Idem hoc capitulum cum pleniore inſcriptione totidem verbis habetur *in cap. 49. X. de appell.* Caſus talis eſt: Coram judicibus à Pontifice delegatis inſtituta erat actio realis ſuper fundo aliqvo. Cumqve plures fundos poſſideret reus, neqve ex libello appareret, de qvo lis mota eſſet, eum ſibi ut perſpicuè deſignaret actor, reus in judicio poſtulabat. Judices verò actorem ad id compellere nolebant. Hinc igitur provocavit reus ad Pontificem, & ab hoc cauſa delegata fuit judicibus aliis, ut de cauſa cognoſcerent, & ſi qvid poſt appellationem interpoſitam attentatum fuiſſet, revo-

Digitized by Google

carent. Summa huc redit, actione reali inſtitutâ certum eſſe debere in judicio, & qvidem individualiter, qvid petatur.

Ratio dubitandi ex parte priorum judicum objici poſſet iſta, qvod reus non negaverit, fundum, qvi ad actorem ſpectaret, ſe poſſidere; ſine dubio igitur illum ſatis ei jam cognitum eſſe, nec proinde reqviri ampliùs, ut ab actore ſpecificè deſignetur, præſertim qvando hic ejus nullam planè habet notitiam, uti qvidem contingere aliqvando poteſt.

Ratio decidendi eſt, qvia juſtè petiit reus, fundum ſibi deſignari. Si enim in rem qvis agere velit, debet deſignare rem, & fundum petiturus, nomen ejus, & qvo loci ſit dicere debebit. *l. 6. pr. & fin. ff. de R. V.* Et poterit dubitare reus, utrum rem, qvæ petitur, poſſideat, qvo caſu tenetur utiqve actor eam ſpecificè deſignare, ut deliberet ille, cedere an contendere velit. Petr. de Ferrariis *in prax. tit. 2. gl. 7. n. 9.*

Innocentius III.] Inſcriptionem hanc plenius exhibet textus *in c. 49. X. de appell.* & adhuc plenius Antonius Auguſtinus *in antiq. collect. 3. c. 7. h. t. his verbis*: Idem Magiſtro G. Archidiacono, & Willelmo Normanno, & G. de Crethes Canonicis Sveſſionenſibus.

Apoſtolatui] i. e. Sedi Romanæ, qvæ Apoſtolicam mentitur integritatem & ſucceſſionem, cum in eâ Apoſtolici amplius nihil ſit. Et Apoſtolici appellatio olim non Pontifici tantùm Romano ſed aliis etiam Epiſcopis tributa fuit. Caſaub. *exercitat. 14. num. 4.*

tractiſuiſſent in cauſam] qvæſtio verteretur, dicitur infra *c. 49. de appell.* haud paulò elegantius.

à judicibus poſtularunt] ut ſcil. illi compellerent actorem ad ſpecialem fundi deſignationem.

denegarent] Apud Ant. Auguſtinum hæc inſuper adduntur verba: *necutrum hoc deberet eis concedi, vellent per ſententiam definire.*

ad noſtram audientiam] Ita dicta fuit olim cognitio Epiſcopalis, ne qvis judicium inde conficeret formatum. Epiſcopi enim juriſdictionem non habebant, qvia nec forum legibus habebant, nec apparitionem, nec executionem. Cujac. *ad tit. Cod. de Epiſc. aud.*

attentatum] ita dicitur, qvod fit lite ſeu appellatione pendente in contemptum judicis & præjudicium partis. Rob. Lancellott. *de attentat. in præfat.* Qvæ vero omittuntur hîc verba ſeqventia, ex antiqvâ collectione talia ſunt: *Audiatis cauſam, & appellatione remot â fine debito terminetis.*

Ex his notandum I. In rei vindicatione ab actore rem certam deſignari de-

debere. Id enim ſi non fiat, & reus plures tales res poſſideat, uti libellus incertus eſt, ita incerta etiam ſeqvetur ſententia, & qvomodo tùm fiet executio? Non enim propter reum tantùm deſignari res debet, ut ſecum deliberet, cedere an contendere velit, ſed etiam propter ipſum judicem, ut ſciat, qvid in judicium deductum ſit, & de qvo ſententia concipi debeat. *Conf.* Oldendorp. *de act. claſſ. 3. act. 2. in practic. n. 2.*

II. Si talis facta non fuerit deſignatio, non eſſe qvidem invalidum libellum, niſi â parte opponatur, *l. fin. C. de annal. except.* A Gail. *l. 1. obſ. 62. n. 11.* Ilico Ummius *de proceſs. diſp. 6. n. 70.* Sed poſſe tamen & debere per deſignationem ſupervenientem declarari. Ita in hoc textu nòn arguitur aut culpatur libellus, ſed culpatur judex, qvod id excipientem & poſtulantem reum non audiverit. Qvod ſi vero de incertitudine & obſcuritate libelli ſimpliciter excepiſſet reus, nec declarationem petiiſſet, ſimpliciter etiam ab inſtantiâ abſolvi debuiſſet. Gail. *d. l.*

III. Jure Canonico appellare licere non tantùm â ſententiâ definitivâ, ſed etiam ab interlocutoriâ & à qvocunqve alio gravamine, ſive præſente jam, ſive qvod metuitur, futuro, etiam extrajudiciali: Et in hoc differentiam eſſe inter jus civile & canonicum. *Vid.* Jac. Cujacius *ad cap. 5. & 12. X. de appell.* Rob. Marauta *tit. de appell. num. 354.* Hillig. *in Donell. enucl. l. 28. c. 6.*

IV. Judicem appellationis ſemper alium eſſe debere à judice primæ inſtantiæ, neqve committentem judicibus delegatis prioribus à qvibus appellatum eſt, cauſam eandem in ſecundâ inſtantiâ diſceptandam delegare poſſe. *Vid. l. 6. C. de appellat.*

V. Pendente appellatione nihil debere innovari, per conſeqvens, ſi vel appellans vel appellatus, vel etiam judex qvid attentaverit, dummodo in continenti id probari qveat, à judice appellationis id revocandum & cauſa in ſtatum eum, qvo tempore appellationis interpoſitæ fuit reſtituenda eſt, anteqvam in appellationis negocio ulterius procedatur, *c. 1. de appell. in 6.* Carpzov. *l. 3. reſponſ. 101.* Dn. D. Nicolai *in proceſſ. l. 2. cap. 11. n. 6. ſeq.*

Ad cap. dilecti 3.

Textus hic ferè ſimilis eſt antecedenti. Ille in reali, hic in perſonali actione qvomodo formandus ſit libellus occupatur. Convenerat actor reum ex debito, & cauſam debendi non addiderat libello. Reus eam ſibi exprimere petebat ſeqve niſi id fieret, ad reſpondendum non teneri aſſeverabat. Hanc exceptionem cum attendere judex nollet, Reus ad Pontifi-

Digitized by Google

cem appellat, qvi perinde ut in caſu antecedente alii judici cauſæ cognitionem committit.

Ratio dubitandi eſt, qvia reus non negat ſe debere, ſed ait tantum, ſe reſpondere non debere, eò, qvia actor cauſam debendi libello non inſeruerit. At ſufficere videbatur, debitum non negari, ut maximè de cauſa ejus non conſtaret; & propterea frivola videbatur hæc rei tergiverſatio. Aut enim debebat, aut non debebat; & qvia neq; illud neqve hoc reus reſpondere, & ſic neutrum aſſerere volebat, anteqvam actor cauſam debendi ederet, videbatur judiciali autoritate cogi debere, ut directè, qvid ſentiat, reſponderet.

Ratio decidendi eſt, qvia exceptio & petitio rei non caret fundamento. Qvia enim ideò libellus editur reo, ut ille deliberet ſecum cedere an contendere velit, fieri poteſt, ut actor eam cauſam referat, ex qvâ reus illi obligatus ſit, eoqve cedere velit: vel ut eam dicat, ex qvâ nihil illi debeat, & ita cum eo jure experiri conſtituat. Cumqve ex pluribus cauſis aliqvis alicui obligatus eſſe qveat, dubitare etiam reus poſſit, utrum qvicqvam debeat, vel hoc nomine conducibilius erit, cauſam narrationi addere, ut & judici & reo conſtet, qvid in judicium deducatur, & faciliùs reo, qvid actum ante hac fuerit, in memoriam redeat.

autoritate Apoſtolica] Autoritas illa collata erat judici â Pontifice delegato. Verba enim hæc oſtendunt commiſſarium etiam in priore inſtantiâ conſtitutum fuiſſe

nollent exprimere] Verba hæc oſtendunt, monitos fuiſſe actores, ut exprimerent cauſam debendi, ad dubietatis & obſcuritatis declarationem, nec idcircò libellum propter hunc defectum nullitatis vitio illicò notatum fuiſſe.

libello conventionali] Libellus conventionis dicitur *in l. ult. C. de annal. except.* h. e. civilis, in civili cauſa oblatus. Ei opponitur criminalis. Et dicitur conventionalis eâ forte ex ratione, qvia in conventionibus & contractibus locum habet.

revocato in irritum] Addenda hîc ſunt verba ſimilia ſuperioribus in fine cap. anteced. hoc ſenſu: *revocato in irritum ſi qvid poſt appellationem hujusmodi noveritis attentatum, audiatis cauſam & appellatione remotâ fine debito terminetis.*

Ad hunc textum obſervandum eſt I. Obligationem ſeu Inſtrumentum cau-

cauſam debiti non exprimens paratam executionem non habere, & ei obſtare exceptionem doli, *l. 2. §. 3. ff. de doli mal. except.* ut maximè ſtipulatio intervenerit *l. 25. §. ult. ff. de probat.* Atqve hinc poterit, qvi ſine cauſa obligatur incerti condictione conſeqvi, ut liberetur *l. 3. ff. de condict. ſin. cauſ.* Ratio eſt, qvia talis ſtipulatio vel promiſſio pura & ſimplex eſt contractus vel obligatio nimis generalis, qvæ poteſt interponi ſuper pluribus cauſis tàm juſtis, qvàm injuſtis. Unde meritò reqviritur cauſa ut conſtet, an debeat valere, an non. Anton. Gomez *tom. 2. reſol. cap. 11. n. 3.* Carpzov. *p. 1. c. 17. def. 39.* Non tamen prorſus inutile tale erit inſtrumentum, ſi cauſa à Creditore deinceps probetur *d. l. 25. §. ult. ff. de probat. c. 14. X. de fid. inſtrum. & ibi* Auguſtinus Barboſa. Joh. Gutierrez. *de juram. confirm. p. 1. cap. 47. n. 6.*

II. In actione perſonali cauſam obligationis in libello exprimendam eſſe, & qvidem proximam. Doctores vulgo, dum obligationem vident eſſe cauſam proximam actionis perſonalis, contrarium aſſerunt, nempe in actionibus perſonalibus cauſam remotam, in realibus proximam eſſe exprimendam. A. Gail. *l. 1. obſ. 61.* Andr. Vallenſ. *ad h. t. n. 6.* Sed enim qvia actio non generalis aliqva inſtituitur in judicio, ſed ſpecialis, etiam cauſa ejus ita determinanda eſt, ut ſciatur, qvalis actio inſtituatur. Cauſa enim actionis perſonalis ad hoc & nunc reſtrictæ non eſt obligatio abſtractivè talis & à circumſtantiis individuantibus præciſa, ſed concretè conſiderata & cum reflexione ad ſua principia propria & genuina. Atqve hinc differentia perſonalium & realium actionum non in eo conſiſtit, qvod in illis cauſam remotam exprimere ſufficiat, in his proximam dare neceſſe ſit, (alias enim etiam ſic rectè ageretur: peto decem ex contractu) ſed in hoc magis qvod in illis cauſam ſpecialem allegare oporteat, in his ſufficiat generalis cauſæ expreſſio. Sufficit ergo in reali actione dicere ſe dominum, etſi non adjiciatur, ex donato, legato aut ſimili cauſa; in perſonali vero actione adjicienda eſt cauſa ſpecifica: peto decem ex mutuo, ex empto, ex locato &c. *Vid.* Bachov. *in diſp. miſcell. c. 14.* Arn. Vinn. *ad §. 2. I. de act. n. 16.*

III. Cauſa tali in libello omiſſa ſuſtineri nihilominus libellum, ſi petitio apta & talis ſit, ut ex eâ intentionem & jus actoris judex intelligere poſſit. Gail. *d. obſ. 61. n. 13.* Hillig. *in Donell. l. 23. c. 4. lit. J.* imò etſi cauſam colligere ſufficientes non licet, ſi tamen reus propter obſcuritatem eum non prorſus rejiciat, ſed declarationem petat, adhuc ſuſtinendum eum cenſeo. *Conf. cap. anteced. notab. 2.* præſertim cum eum is habeat effectum, ut præſcriptionem interrumpat *l. ult. C. de annal. except.*

Digitized by Google

AD TIT. DECRETAL. 4.
de
MUTUIS PETITIONIBUS.

MUtuæ hæ petitiones communiter hodiè nomine reconventionis veniunt. Utrumqve vocabulum enucleatè exprimit id qvod agitur. Actor convenit reum & petit in judicio. Reus viciſſim convenit actorem & petit in eodem judicio; Sed ita, ut tùm invertantur nomina, & ille, qvi in actione prius intentatâ actor fuerat, in reconventione rei partes ſuſtineat, reus verò actoris. Videntur tamen mutuæ petitiones dari, qvæ reconventionis nomen gerere non poſſunt. Ut ecce, qvi compenſat, mutuò petere dicitur. *l. 6. l. 9. C. de compenſat.* reconvenire tamen minus propriè dicetur, eò qvod nullam tùm actionem intentet, niſi petitionis vocabulum tam latè ſumas, ut ad qvasvis exceptiones extendi qveat. *Vid.* Sichard. *ad l. 14. C. de ſentent. n. 12.*

Ad cap. 1.

Caſus talis eſt: Plebanus & Clerici Maturenſes delegatos judices ſive Commiſſarios impetraverant à Pontifice, & coram eis actionem adverſus Abbatem & fratres Monaſterii Maturenſis propoſuerant. Hi apud eosdem Commiſſarios ſuam qvoqve adverſus illos actionem intentabant, & ſic reconventionem inſtituebant. Negabant illi, Plebanus ſcil. & Clerici, reſpondere ſe in hoc judicio debere, & ad ſuum provocabant judicem, qvi eſt Ordinarius loci, ſive Epiſcopus. Conſultus eâ de re Pontifex mutuas has petitiones rectè inſtitui, & ab eodem judice terminari debere reſpondit.

Ratio dubitandi ex parte Clericorum eſt, (1) qvia actor ſeqvi debet forum rei. (2) Qvia judex delegatus uni tantùm cauſæ cognoſcendæ deſtinatur, neqve hinc competens eſſe videtur ad aliam ei non commiſſam.

Rationem decidendi petit Pontifex ab abſurdo. Indignum penitus, inqvit, & abſurdum videtur, ut memorati Plebanus & Clerici Abbati & fratribus de iis, qvæ adverſus eos proponunt reſpondere non debeant, cum

cum ſibi ex ipſis juſtitiam poſtulant exhiberi. *in antiq. collect. 1. cap. 2. h. t.* Cujus enim in agendo obſervat arbitrium, eum habere & contra ſe judicem in eodem negocio non dedignetur. *l. 14. C. de ſentent. & interloc.* Ex hâc ratione reſpondetur ad rationem dubitandi primam, judicem conventionis competentem eſſe in reconventione. & hinc actoris qvoqve judicem fieri, ſicubi rei partes ſuſtinere debeat. Ad ſecundam, reconventiones eſſe favorabiles, & hinc commiſſiones, qvæ aliàs ſtricti juris ſunt, propter liberam actoris electionem extendi ad cauſam reconventionis. Sichardus *d. l. n. 6. 7.* Datus enim judex ad cauſam conventionis ad reconventionem etiam datus intelligitur. Frid. Hiltrop. *in proceſſ. p. 2. tit. 11. n. 29.*

ut Plebanus] Plebanus dicitur, qvi curam exercet animarum in plebaniâ habente ſub ſe plures Eccleſias vel Capellas. Sic dictus â plebe vel populo, qvi ſub ejus curâ regitur & habet ſe plebanus cum cæteris curatis unius plebis, ſicut ArchiEpiſcopus cum ſuffraganeis provinciæ ſuæ. Nec differt â parocho, niſi qvod parochus plerumqve uni præeſt Eccleſiæ, plebanus pluribus. Aug. Barboſ. *de off. paroch. part. 1. c. 1. n. 4. ſeq.*

Clerici Maturenſes] *In cap. 19. X. de teſtib.* qvod de eodem agit proceſſu, dicuntur Clerici ſanctæ Mariæ de Martura.

qvæ adverſus eos proponunt] per modum reconventionis. Aliàs enim ſi per modum exceptionis propoſita fuiſſent, dubium non eſt, Clericos elidere ea per modum replicationis debuiſſe.

incontinenti] anteqvam de plebani & Clericorum actione ulterior fiat diſceptatio. Adeò ut actori reſpondere renuenti audientia in cauſa conventionis denegari debeat. Hillig. *in Donell. enucl. l. 17. c. 18. lit. M.*

utriusq; negocium] ſimul, & vel per transactionem vel per ſententiam eandem.

Notetur hinc I. Per reconventionem judicem aliàs incompetentem fieri competentem, ita ut ab actore reconvento non poſſit exceptio de foro incompetente opponi. Per reconventionem enim fit qvædam prorogatio jurisdictionis, adeò ut reus conventus apud judicem non ſuum ſic cum poſſet incompetentiam jurisdictionis allegare, reconvenerit actorem apud eundem judicem, hoc ipſo jurisdictionem ejus prorogaſſe intelligatur. Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 1. defin. 39.* Atqve hinc neqve reconventus judicem ut incompetentem, imò ne qvidem, ut ſuſpectum, recuſare poteſt. Carpzov. *p. 1. conſt. 7. def. 3.* Jac. Schultes *obſerv. 38.*

II. Re

Digitized by Google

II. Reconventionem etiam coram delegato judice inſtitui poſſe, non obſtante, qvod delegatio tantùm ad unam conventionis cauſam facta fuerit. Negat qvidem hoc Petrus Friderus *de proceſſ. lib. 3. cap. 6. num. 20. ſeq.* ubi reconventionem concedit tantùm eo caſu, qvando cauſa eſt connexa cauſæ conventionis, ſecus, ſi diverſa fuerit & alterius ſpeciei. Apertius negat Bachov. *in Treutl. vol. 1. diſp. 25. th. 13. lit. E.* Sed diſſentientibus aliis plerisqve omnibus, inter qvos ſententiam affirmativam eo usqve extendit Fridericus Hiltrop. *in proceſſ. part. 2. tit. 11. n. 22.* ut reus volens actorem reconvenire non poſſit impetrare reſcriptum delegationis ad alios judices, qvam ad eos, coram qvibus ab actore fuerit conventus. *Conf.* Bernh. Urſin. *de reconvent. cap. 19. num. 12. ſeqq.* Ilico Ummius *ad proceſs. diſp. 10. num.* 11. Cæterùm reconventio coram delegato inſtitui poteſt, etſi cauſa ejus demum poſt reſcriptum commiſſionis impetratum orta fuerit. Berlich. *pag. 1. concluſ. 22. n. 38.*

III. *In utroqve hoc reqviri, ut judex ſuper reconventionis cauſâ jurisdictionem competentem habeat.* De qvâ enim cauſâ judex per modum conventionis cognoſcere non poteſt, de eâ neqve per reconventionis modum judicare poterit. Fac ergo, judicem ſuper qvæſtione ſtatûs nullam habere cognitionem, fortiter hinc concludam, neqve in reconventione eum cognoſcere poſſe; niſi qvæſtio ſtatûs incidens fuerit, *per l. 3. C. de judic.*

IV. *Reconventiones cauſam in ipſo litis exordio, & ante litis conteſtationem in cauſa conventionis proponendam eſſe. Clement. ſæpè verſ. verum de V. S.* Putat verò Speculator *lib. 2. part. 1. tit. de reconvent. §. 3.* ex hoc noſtro textu contrarium evinci poſſe, reconventionem ſcil. etiam poſt lit. conteſt. admitti debere, eò qvod dicat Pontifex, reſponſione factâ, qvæ litis conteſtationem innuat, compellendos eſſe alteros, ſuper qvæſtionibus reconventionis ut reſpondeant. Huic enim rectè reſpondet Zangerus *de except. p. 2. cap. 1. num.* 38 ſ. ex ipſo textu apparere, qvod qvæſtiones reconventionis Epiſcopo jam ante porrectæ fuerint, qvam lis conteſtata fuit in conventione, & ordo tantùm procedendi hîc præſcribatur à pontifice qvi eſt ut ſimultaneo proceſſu utraqve cauſa finiatur. Alii vero non ante litem conteſtatam tantùm, ſed etiam illicò poſt eam inſtitui reconventionem poſſe contendunt. Atqve ſic etiam conſtitutum eſt *in ordinatione Camerali part. 3. art. 30.* Sunt adhuc alii, qvi in qvovis litis articulo usqve ad concluſionem in cauſa eam

Digitized by Google

eam admittunt, eamqve in rem adducunt *cap. 3. de reſcript. in 6.* Sed enim non malè reſpondit Ilico Ummius *d. diſp. 10. num. 19.* ex eo, qvod dicat Pontifex, eodem durante judicio reconventionem admitti, non ſeqvi, qvod qvocunqve judicii tempore & in qvocunqve articulo admitti debeat. Et ut maximè ita alicubi obſervetur, atqve qvovis judicii articulo reconventio admittatur, ceſſat tamen tùm præcipuus reconventionis effectus, qvod ſcil. ſimultaneo proceſſu utraqve cauſa terminari debeat. Ex qvâ ratione nonnulli reconventionem talem dicunt impropriam. Frid. Hiltrop. *in proceſs. part. 2. tit. 10. n. 8. 9. Vid.* Rittershuſ. *ad Novell. part. 9. c. 17. n. 6.*

V. *Cauſam conventionis & reconventionis ſimultaneo proceſſu peragi debere.* Sed hoc ita, ut actoris, qvi in cauſa conventionis prior fuit tempore, prior qvoqve per ſingulas partes habeatur ratio. Fiat igitur primo litis conteſtatio ſuper libello actoris, poſtea ſuper libello reconventiois. Inſtruantur probationes tum ad illum, tum ad hunc. Et judex tandem ubi cauſam utramqve plenè cognoverit, ſimul unâ ſententiâ definiat, ordine tamen hoc ſervato, ut materia conventionis præmittatur. Sed hîc duæ communiter addi ſolent limitationes, ſecundum qvas conventio & reconventio pari paſſu ambulare neqveant. (1) Si diu poſt litem conteſtatam fiat reconventio, poſtqvam in cauſa conventionis longius jam partes progreſſæ fuerint. (2) Si de alterutra cauſa prius conſtet, qvam de altera, tunc enim in cauſa liqvida pronunciandum eſſe, nec expectandum, donec altera peracta fuerit. Prima limitatio ad eam reconventionis ſpeciem pertinet, qvæ impropria Doctoribus dicitur, & reconventionis nomen in hoc officio amittit. Secunda magis controverſa eſt, & acerrimè oppugnatur à Jacobo Thomingio *deciſ. 16.* qvi tamen hoc videtur admittere, *num. 1.* poſſe qvidem judicem cauſam conventionis jam nunc liqvidam priore loco dijudicare, ſed præciſè non teneri. Cum eo facit Ilico Ummius *d. l. n. 21.* non ſine ratione, ſi jura civilia & Canonica attendas. Jure noſtro Saxonico ſimultaneus ille proceſſus non obtinet, neqve reconventio ante inſtitui poteſt qvàm conventio fuerit plenè finita. Sed nec reconventio eo jure inſtitui poteſt, niſi ex cauſa connexa. Unicus hic effectus manſit, qvod apud eundem judicem utraqve actio inſtituatur.

VI. *Tentari ante omnia à judice debere amicabilem inter partes compoſitionem.* Qvæ & injuncta eſt judicibus in ordinatione proceſſus Saxonicâ *tit. 1.* ad

Digitized by Google

evitandas longioris proceſſus ambages, faſtidia hinc naſcitura, inimicitias conſecuturas, & animorum rancores oborituros. Omiſsâ tamen ex parte judicis amicabili compoſitione proceſſus inſecutus propterea non eſt nullus, non qvidem ex eâ ratione, qvod ſvaſoria tantum iſta ſit lex, non compulſiva neqve ulla ejus ſit obligatio, uti putat Carpzovius *d. l.* (verba enim legis Saxonicæ, *wollen wir ernſtlich ermahnet haben/* obligationem inducunt) ſed qvod tractatus illi de amicabili compoſitione non faciant ad ſubſtantiam proceſſus, aut judicii, ſed extrinſecus adveniant, atqve ſeparatum qvoddam negocium conſtituant, nec ad judicium ſed ad officium judicis pertineant.

Ad cap. prudentiam 2.

Titius actor commiſſionem impetraverat ſub hâc clauſulâ, ne appellare à judice delegato liceret. Cajus reus actorem Titium reconvenerat apud eundem judicem. Titius in hoc reconventionis judicio condemnatus appellationem interpoſuerat. Qværebatur, utrum admitti ea deberet. Negat Pontifex, & in tali caſu parem actoris & rei eſſe debere conditionem reſcribit.

Ratio dubitandi eſt, qvia commiſſiones ſunt ſtricti juris nec ad reum extendi debet, qvod in favorem actoris conſtitutum eſt, præſertim cum tempore impetratæ commiſſionis de bonâ actoris causâ delegans ſufficienter inſtructus fuerit, non verò ita inſtructus fuerit de bonitate reconventionis. Nec igitur ad non cogitata extendi debet, qvod de re ſibi benè cognita diſpoſuit committens.

Rationem decidendi petit Pontifex ex eo, qvod actoris & rei in judicio eadem debeat eſſe conditio. Hanc illuſtrat in antiqvâ collectione ratione aliâ petitâ ex principiis juris naturæ, eodem ſcil. jure unumqvemqve uti debere, qvod ipſe ſtatuerit in alium. Et hanc regulam non in Scripturâ tantùm ſacrâ reperiri dicit, ſed etiam in legibus juris civilis.

Ad rationem dubitandi reſpondet Johannes Parladorius *lib. 2. rer. qvotid. cap. fin. part. 5. §. 10. num. 16.* appellationem non ſolius actoris favore remotam fuiſſe, neqve in dubio id præſumi debere, cum ſit res maximi præjudicii, ex qvâ ſumma inter actorem & reum inæqvalitas introduceretur, ſed etiam rei reconvenientis hîc ſubeſſe favorem. Rectè. Ex qvo enim reconventio lege introducta eſt, atqve iſta etiam coram delegato judice inſti-

Digitized by Google

inſtitui poteſt, non poteſt à delegante qvicqvam circa cauſam conventionis ſtatui, qvod locum non habeat etiam in cauſa reconventionis. Sic enim nec terminari poſſet judicium ſimultaneo proceſſu & eâdem ſententia, ſi ex parte hæc à viribus rei judicatæ ſuſpendi, ex parte non ſuſpendi poſſet.

appellatione remotâ] i. e. ita ut â ſententia lata appellare non liceat.

appellationis obſtaculum] Dicitur ita, qvod obſtet qvo minus ſententia in judicatum transeat.

eadem ſit conditio] qvoad proceſſum, ne detur plus uni, qvàm alteri.

in ſuâ juſtitiâ] h.e. in cauſa, qvam ille ex ſua parte juſtam reputat.

Notandum hinc I. A judice inferiore in cauſa dubia relationes fieri debere ad principem. Sæpè enim dum dubitat judex, qvod vel æqvitas juri ſcripto contrariari videatur, vel interpretatio legis à principe petenda, vel alias judicium principis reqvirendum ſit, relatio ſive conſultatio ita fieri debet, ut omnem omninò cauſam comprehendat. Ejus olim exemplum litigatoribus edebatur, ut ſi cui minus plena aut contraria videretur, is refutationem adderet, & utraqve conjunctim unà cum actis ad principem mitteretur, qvi ad eas reſcriptum aut reſponſum emittebat, qvod retractari deinceps nullo modo poterat. *Vid.* Jac. Gothofred. *ad tit. Cod. Theodoſ. de relat.*

II. A judice inferiore ad ſuperiorem regulariter appellare licere; ſed aliqvando non licere, vel propter privilegium de non appellando, qvale hodiè aliqvibus principibus Germaniæ competit, & olim competebat Præfecto prætorio, *l. 1. §. 1. ff. de offic. præf. prat. l. 17. ff. de min. l. 19. C. de appell.* vel ex tenore commiſſionis *l. 1. §. 4. ff. â qvib. app. non. lic.* vel ex conventione partium *l. 1. §. 3. ff. eod. Vid. qvæ dixi exercitat. 8. de jur. majeſt. num. 26. ſeq.*

III. Communem Doctorum ſententiam, qvod per clauſulam *appellatione remotâ*, frivola tantum appellatio prohibeatur, non ea, qvæ momentum aliqvod habeat, parum convenire intentioni committentis. Diverſæ ſententiæ patrocinium præbent textus *in c. 53. X. de appell. & c. 5. eod. in 6.* cùm & aliàs ſine tali clauſulâ omnis frivola appellatio prohibita cenſeatur. Beſold. *de appellat. c. 2. n. 18.*

IV. *Per clauſulam appellatione remotâ*, non prohiberi ſupplicationem, *l. un. C. de ſentent. præf. prætor.* neqve qverelam nullitatis. Gail. *1. obſ. 135.* Seb. Vant. *de null. proc. rubr. qvis poſſ. dic. de null. n. 33. ſeq.* Auguſt. Barboſa *clauſ. 9.* Qvid autem differat ſupplicatio & appellatio, videri poterunt Robertus Maranta

ta *in ſpec. pag. 577.* Cæſ. Contard. *de moment. poſſeſſ. q. 8.* Anton. Perez. *Cod. de ſent. præf. præt.*

V. Actori non licere, qvod reo denegatur. *l. 41. ff. de R. J. c. 32. de R. J. in 6.* Et vice verſa qvod conceditur actori, reo etiam conceſſum intelligi. Hæc verò æqvalitas in medio litis & flagrante proceſſu maximè ſervanda eſt, cùm aliàs freqventer fallat. *Vid.* Barboſa *in axiom. cap. 24. n. 8.* Jacob. Gothofred. *ad l. 41. ff. de R. J.*

AD TIT. DECRETAL. 5.
& Cap. un. de
LITIS CONTESTATIONE.

PRæmittendum eſt, litis conteſtationem olim dictam fuiſſe à teſtibus, qvos coram judice ad actum præſentem, qvo ex utraqve parte narratio facta fuerat, vocabant partes Jac. Cujac. *lib. 9. obſ. 21.* atqve ſic vel ideo, qvod de re controverſa utrinqve conteſtatio fieret per narrationem actoris & contradictionem rei, Obrecht *de lit. cont. c. 1. n. 19. & c. 5. n. 21.* vel, qvod utraqve pars olim denunciaret in perendinum diem, ut ad judicem datum veniret, & in eam rem teſtes vocaret obvios, qvi tribunali adſiſtebant Bernh. Sutholt *de jurisdict. n. 308.* vel qvod poſt dilatorias exceptiones remotas & confutatas actor atteſtaretur, ſe ſtatim intentionem ſuam probaturum, & è contrario reus conteſtaretur, exceptiones ſuas ſe probaturum, poſtqvam actor intentionem ſuam veram eſſe docuiſſet. Joh. Parlador. *lib. 1. rer. qvotid. c. 14. n. 4.* Hodiè cum teſtes non adhibeantur amplius, litis conteſtatio eſt negocii, hinc inde apud judicem facta narratio, continens petitionem actoris, & ad eam rei conventi reſponſionem.

II. Poſitiones eo tempore *introductas eſſe*, qvo litis conteſtatio generalis, *nego narrata prout narrantur*, magno cum juſtitiæ naufragio in judiciis recepta fuit. Brunneman. *in proceſs. 17. n. 3.* Sunt autem poſitiones breves qvædam & articulatæ narrationes facti ſeriem continentes ſub juramento dandorum adverſario in judicio exhibitæ, ut ille ſub juramento reſpondendorum categoricè ad eas reſpondeat, eum in finem, ut ſi fieri poſſit, confeſſio adverſarii eliciatur, & ponens ab onere probationis relevetur. Et tales poſiti-

Digitized by Google

ſitiones non ab actore tantùm, ſed à reo etiam, tùm propter exceptiones peremtorias, tum propter dilatorias fieri ſolent, ita tamen ut verbis aſſertivis ubiqve concipiantur, non interrogativis, eò qvod ponens ipſe, qvod ponit, confiteri debeat, ſi velit confitentem habere adverſarium, ut & ille ab onere probandi hactenus relevetur. Hiltrop. *in proceſſ. part. 3. tit. 5. n. 43.* Earum differentia ab articulis in primis hæc eſt, qvod (1) ponens hanc habeat intentionem, ut eliciat confeſſionem adverſarii, ne probare teneatur; articulans verò, ut id qvod negatum eſt, probet, (2) ponens omnia ea confiteatur & ut vera aſſerat. qvæ ponit, cum articulans non aſſerat ea, qvæ in articulis comprehendit. Gail. *1. obſ. 79. n. 6.* (3) qvod poſitiones præcedere, articuli ſeqvi debeant.

Caſus talis eſt. Mota fuerat controverſia inter Epiſcopum Novienſem & Capitulum Sancti Qvintini ſuper qvibusdam injuriis & rebus aliis. Qvibus apud judicem ab actore expoſitis partes mox ad poſitiones & reſponſiones, tùm & alia in judiciis exerceri ſolita progreſſæ fuerant, omiſsâ qvantumvis litis conteſtatione, qvæ præcedere debuiſſet. Pontifex cauſa ad ſe delata, irritum declarat iſtum proceſſum, & omninò nullum.

Ratio dubitandi eſt, qvia ex poſitionibus actoris, & rei ad easdem reſponſionibus, tùm & aliis, qvæ partes propoſuerunt, judici jam ſatis conſtare poterat de eo, qvod eſſet in lite. Cumqve lis conteſtata videatur tùm, qvando judex per narrationem negocii cauſam audire cœpit, *l. un. Cod. de lit. conteſtat.* non eſt, qvod de litis conteſtatione in præſenti caſu factâ dubitemus, qvippe, qvod cauſa jam ex utrâqve parte per narrationem audita fuerit.

Ratio decidendi petitur ex eo, qvod litis conteſtatio nondum facta inveniatur. Hæc enim fieri ſolet per petitionem in jure propoſitam & reſponſionem inſecutam. Atqve hinc litis conteſtatio facta intelligitur tum, qvando hinc inde poſt narrationes in judicio factas, additasqve petitiones & his oppoſitas contradictiones judicium ſuſcipitur, & utraqve pars eo animo eſt, qvod circa petitionem ad præmiſſum factum ab actore propoſitam litigare atqve contendere & ſententiam â judice expectare velit.

Ad rationem dubitandi primam reſpondet Pontifex, litis conteſtationem non induci per poſitiones & factas ad eas reſponſiones. Poſitiones enim & reſponſiones, etſi ſuper pluribus vel omnibus articulis litis in judicio factæ ſint, ſunt tantùm diſputationes de facto ultro citroqve propoſitæ.

tæ. Nec poſitiones hunc finem habent, ut per eas litis conteſtatio fiat, ſed ut qvoad factum, rei confeſſio eliciatur, ad faciliores reddendas probationes, cùm nec actor eadem, qvæ ponit, illicò petere cenſeatur. Ad ſecundam rationem dubitandi, *ex l. un. C. de lit. cont. petitam* reſpondetur, non intelligi illic debere ſimplicem facti narrationem, ſed ſimul ad factum & ex facto ortum jus congruam reſponſionem.

Noviensem] fortaſſe Novionenſem, qvi eſt ſuffraganeus Archi Epiſcopi Rhemenſis.

& qvibusdam aliis articulis] Jure enim communi Creditor unum eundemqve debitorem actionibus & numero & ſpecie diverſis, vel iisdem ſpecie, ſed diverſis numero ſibi obligatum unico libello convenire poteſt. *l. fin. C. de annal. except. l. 25. §. 3. & 4. fam. ercisc.* Carpzov. *p. 1. c. 2. def. 4.*

auditis etiam] iis ſcil. qvæ ultra poſitiones & reſponſiones factas à partibus propoſita fuerunt.

ad examen Apoſtolicum] h. e. papale. Ita enim ſe & ſua dici vult Papa. Remiſſa autem ideò eſt cauſa, qvia Papa hoc juſſerat. Sæpè mandatur judicibus, ut inſtruant litem, & ordinent omni ex parte atqve informent, deinde ita inſtructam remittant ad mandatorem. Cujac. *ad h. t.*

de fratrum noſtrorum] h. e. Cardinalium in Conſiſtorio congregatorum. Singulares autem ſive ſingulos Cardinales Papa filios vocat, non fratres, exceptis iis, qvi ſemper præſto ſunt ad latus Pontificis, qvales ſunt ſex iſti: Hoſtienſis, Portuenſis, Sabinenſis, Albanus, Præneſtinus & Tuſculanus.

Notandum hinc I. Libellum conſiſtere poſſe, ut maximè in eo plures actiones diverſarum rerum nomine cumulentur Obrecht *de libell. cap. 21. n. 6.* In foro tamen Electorali Saxonico non niſi tres, qvæ inter ſe connexæ non ſunt, jungi poſſunt, niſi lis agatur in concurſu creditorum, aut de operis ruſticorum diſceptetur. *Ord. proceſſ. tit. 5.* von der Klage.

II. Litis conteſtationem tàm eſſe neceſſariam, ut omitti plane neqveat, neqve eâ omiſsâ judex ſententiam pronunciare poſſit. Qvod ſi pergatur vel â partibus vel à judice nullâ intercedente litis conteſtatione ipſe totus proceſſus nullus erit. A. Gail. *l. 1. obſ. 74. n. 14.*

III Conſeqvitur hinc, neqve partes ex conventione eam omittere poſſe, licet ipſe etiam judex conſentiat. Hiltrop. *in proceſſ. p. 3. tit. 1. n. 6.* Ratio eſt, qvia ante litis conteſtationem judicium propriè cœptum dici neqvit, neqve

qve cauſa principalis in judicium deducta. Gail. *l. obſ. 75.* Nec poteſt judicari lis, qvæ nondum conteſtata eſt.

IV. Litis conteſtationem veram tùm demum intelligi factam, qvando ad id, qvod libello comprehenſum eſt, & inprimis ad petitionem actoris reſponſio à reo interpoſita eſt.

V. Poſitionum non hunc eſſe ſcopum, ut per reſponſionem ad easdem litis conteſtatio fiat, qvæ proinde nec fieri tali modo poteſt, ſed ut eliciatur confeſſio adverſarii ad minuendum onus probationis.

Sed hîc obſervetur porrò

I. Non in omnibus cauſis neceſſariam eſſe litis conteſtationem, ſed totum hoc capitulum de proceſſu ordinario intelligi debere. Excipiuntur igitur cauſæ ſummariæ, in qvibus reſponſio qvaliscunqve ſufficit, qvæ controverſiæ ſtatum declarat. Carpzov. *in proceſs. tit. 10. art. 2. n. 18. 25.* Brunneman. *in proceſs. cap. 14. n. 3.*

II. Non excuſari Pontificem, ſi ex actis oblatis de meritis cauſæ conſtitit, qvod propter defectum litis conteſtationis proceſſum irritum declaraverit, rectiusqve facere Cameram Imperialem, qvod nullitates iſtas non attendat. Nullitas enim qvæ committitur propter ordinem omiſſum, eſt juris poſitivi, neqve partium vel cauſarum merita concernit, ſed tantùm ad qvendam juris rigorem conſervandum inducta eſt. Gail. *l. 1. obſ. 75. num. 5. ſeq.* Qvi juris rigor in Conſiſtorio Principis meritò negligitur. Heigius *p. 1. qv. 10. n. 40.* Octavian. Cacheran. *deciſ. 34.*

Ad Tit. Decretal. 6.

Lib. 2.

Ut lite contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam.

Qvia lis non intelligitur, niſi poſtqvam utrinqve conteſtata eſt, *uti tit. anteced. diximus*, nec produci aut recipi poterunt teſtes ante litem inſtructam. Ad qvid enim proderit examen teſtium, qvando incertum adhuc eſt, utrum lis futura ſit. Tenenda igitur hæc eſt regula,

Digitized by Google

la, ante litis conteſtationem teſtes recipi non debere. Deficiente enim initio & fundamento, nihil omninò agit, qvi in conſeqventia ire & inædificare velit. Ergò ut ſubſiſtat probatio, præmittendum eſt id, cui probatio inniti debet, litis videlicet conteſtatio. Qvia verò nulla eſt regula, qvæ non habeat exceptiones, etiam ſub hoc titulo nonnullæ tales continentur, de qvibus ſuo loco.

Ad cap. Ad hoc. 1.

Uxor accuſaverat maritum, à qvo diſceſſerat, de adulterio, ut ſepararetur à thoro, & dotem reciperet. Procurator mariti poſt multas tergiverſationes, cum libello reſponſurus crederetur, reſtitutionem Uxoris petiit, ſimulqve nî id fieret, appellavit. Negavit mulier, redire ſe velle, tùm qvia in domo ejus coacta fuerat ſe adulteratam cum pluribus confiteri, tum qvia meretricem ille publicè retinebat, uti dicitur in antiqvâ Collectione. Noluit etiam procurator mariti de impunitate cavere. Judices igitur, cum neqve copiam ſui amplius faceret rei procurator, teſtes mulieris receperunt, & examine peracto, cum de ſententiâ convenire non poſſent iſti, qvos in hanc rem conſuluerant, negocium ad Pontificem deferunt. Reſpondet ille, teſtes recipi non debuiſſe, ſed debuiſſe reum contumacem excommunicatione coerceri.

Ratio dubitandi eſt qvia in cauſis matrimonialibus ordo judiciarius non usqvoqvaqve eſt ſervandus, ſed in illis procedendum eſt ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu judicii & figurâ. *clement. diſpendioſam de judic.* præſertim poſtqvam in præſenti caſu ſiſtere ſe amplius noluerit rei procurator. Neqve enim prætendere ille poteſt, qvod in eventum, ſi non reſtitueretur Uxor, appellationem interpoſuerit, qvia appellatio illa vel omninò locum invenire non potuit, vel ſaltem recipi non debuit ideò, qvod mulier Viro ſuſpecto reſtitui non debet, niſi præſtitâ cautione de impunitate.

Rationem decidendi ſumit Pontifex ex jure communi, ſecundum qvod teſtes non ſunt recipiendi, anteqvam lis conteſtata fuerit, & hanc rationem etiam huic cauſæ applicare debere docet, non attento, qvod cauſæ matrimoniales inter ſummarias referantur, & ſine judicii figurâ communiter expediatur; non enim de fœdere matrimonii hic agi, ſed de ſeparatione conjugum, qvæ ſimilem in judiciis favorem non habet. Contumaciam autem

tem rei alio modo puniri potuiſſe ait, nempe per ſententiam excommunicationis. Sed neqve iſtam excuſationem admittit Pontifex, qvod dubium fuerit, num appellatio interpoſita recipi debuiſſet, an minus; qvia ſive deferendum, ſive non deferendum ei fuiſſet, ad ſententiam tamen definitivam neutro caſu procedendum fuit.

auctoritate Apoſtolicâ] Factum id fuerat non immediatè â Pontifice ipſo, ſed uti in antiqvâ Decretali habetur ab Apoſtolicæ ſedis legato.

accuſabat] agebat potius. Accſatio enim vindictæ publicæ cauſa fiebat, qvam hîc non intendebat Uxor, ſed civiliter actionem inſtituerat.

inducias] h. e. dilationes. Sic enim dicuntur *c. 2. X. de dilat.*

appellando] ex capite denegatæ juſtitiæ, ſicubi ſuper articulo hoc præjudiciali nulla ſententia interlocutoria inſecuta fuerit. Tùm enim à ſententiâ iſtâ appellari potius debuiſſet.

ſuſpectum] propter vim illatam & domi retentam pellicem.

impunitate] i. e. ſecuritate, & amabili converſatione.

vel etiam procuratoris] hæc verba non habentur in antiqvâ decretali, ſed à compilatore ideò inſerta fuerunt, qvod hîc per procuratorem egerit reus.

innodari] Freqvens & qvaſi appropriatum hoc eſt vocabulum in jure Canonico ad materiam excommunicationis, qvemadmodum & nexi dicuntur illi, qvi excommunicationis ſententiam paſſi ſunt.

Notetur hinc I. Sufficientem eſſe divortii cauſam adulterium, & cum fœminis impudicis inhoneſtam converſationem, non de jure tantùm Canonico, ſed etiam civili *per l. 8, C. de repud.* ut maximè adulterium hoc jure non niſi cum nuptâ committatur. *l. 6. ſ. 1. ff. ad L. Jul. de adult.*

II. Jure Canonico, ſicubi coram judice Eccleſiaſtico de adulterio cauſa inſtituatur, non niſi civiliter agi poſſe, ad ſeparationem ſcil. thori & repetitionem dotis. *Conf. cap. 5. X. de procur.*

III. Poſſe hoc jure procuratorem intervenire, cum aliàs coram ſeculari judice, ſi criminaliter agatur, procurator non admittatur *d. c. 5. de procur.*

IV. Jure Canonico nunqvam ſolvi matrimonium qvoad vinculum, ſed tantùm qvoad thorum & menſam. *c. interveniente 1. & c. Apoſtolus 3. cauſ. 32. qvæſt. 7.* contra ſententiam Salvatoris *Matth. V, 32. & c. XIX, 8. 9.*

V. Dilationes petitas à judice concedi debere, ſed providè, ne illuſio hinc fiat judicis & eluſio judicii.

VI. Spoliatum qvidem ante omnia reſtitui debere, nec cogi poſſe, ut ante reſtitutionem ad actionem intentatam reſpondeat, ſed id fallere in cauſa adulterii *c. 4. X. de divort.* & ſi maritus Uxori cautionem de ſecuritate præſtare nolit. *c. 8. & c. 13. X. de reſtitut. ſpol.*

VII. Jure Canonico ab omni onere appellari poſſe *c. 1. de appell. in 6. Clementin. 5. eod.* Atqve hinc etiam appellari poſſe à judice, qvi cùm reqviſitus fuerit, negligit impartiri officium ſuum. *Nicol.* Calvol *in prax. ſ. appellatio concluſ. 5. n. 13.*

VIII. Non poſſe cogi Uxorem, qvæ culpa mariti diſceſſit, ut ad eum redeat, niſi ille præſtiterit cautionem de ſecuritate. *d. c. 8. & c. 13. in fin. X. de reſtit. ſpol.* Carpzov. *in Ip. Conſiſtor. lib. 2. defin. 218. ſeqq.*

IX. Cauſas matrimoniales eſſe ſummarias, qvando ſcil. de jungendo matrimonio agitur, non qvando agitur de eo dirimendo.

X. Appellationem interpoſitam à judice inferiore non debere reſpui. *l. 21. C. de appell. Novell. 126. c. 3.* Sed ſi deferendum non putet, relationem eâ de re ad ſuperiorem dandam eſſe, *l. 6. ff. de appell. recip.* Nic. Ant. Gravat. *ad Octaviani Veſtrii prax. lib. 7. cap. pen. num. 67.*

XI. Contumaciam procuratoris poſt litem conteſtatam nocere domino, ante litem conteſtatam commiſſam non nocere, niſi ſciens eam dominus non purgaverit. Goffredus *in ſumm. ad h. t. n. 10.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. diſp. 9. th. 12.* Caſp. Manzius *de procurat. num. 294. ſeqq.*

Ad c. accedens 2.

Factâ collatione ex antiqvâ decretali caſus talis eſt: Uſurpaverat plebanus Eccleſiæ S. Marci apud Venetos jura parochialia in Eccleſiâ Tyrenſi longius â ſe diſſitâ. Archi Epiſcopus Tyrenſis petebat reſtitutionem ejus Eccleſiæ impetratis ſub clauſulâ *appellatione remotâ* Commiſſariis Epiſcopis Aconenſi, Berytenſi, & Tiberianenſi, qvorum duo priores ſuffraganei erant Archi Epiſcopi Tyrenſis. Vocatis in judicium partibus plebanus Venetus comparere ab initio noluit. Secundùm citatus comparuit qvidem, ſed ad actionem intentatam reſpondere cum recuſaſſet, ad Pontificem provocavit. Judices hoc non attendentes & teſtes receperunt, & ſententiam tùm excommunicationis, tùm definitivam, qvâ Eccleſiæ Tyrenſis poſſeſſionem cum omnibus juribus Archi Epiſcopo adjudicaverant, pronun-

nunciarunt. Re ad Pontificem delatâ totus iſte proceſſus pro nullo declaratus eſt reſtituto plebano Veneto in priſtina ſua jura.

Pro Commiſſariis videbatur facere 1. qvod legitimè à Pontifice fuerint delegati, 2. qvod delegatio ſub clauſulâ appellatione remotâ facta fuerit, atqve hinc appellatio interpoſita recipi non debuerit. 3. qvod aliqvoties vocatus plebanus comparere in judicio & ad intentatam actionem reſpondere noluerit. 4. qvod teſtium dicta pro Archi Epiſcopo facerent.

Sed Pontifex rationem decidendi ſumit ex eo ſolo, qvod proceſſus non fuerit legitimè ordinatus, nec litis conteſtatio facta fuerit.

Ad rationes dubitandi reſpondet Pontifex (1.) Commiſſarios qvidem legitimè fuiſſe conſtitutos, ſed hoc ignoraſſe committentem, qvod duo ex illis ſuffraganei eſſent Archi Epiſcopi, cum qvo lis erat. (2) proinde non attendendam fuiſſe clauſulam, appellatione remota, ſed imò deferendum fuiſſe, appellationi, qvod recuſari poſſit judex ſuſpectus. 3. propter contumaciam ſententiam qvidem excommunicationis pronunciari potuiſſe, non verò definitivam ante litis conteſtationem. (4) teſtium dicta hactenus omninò nihil probare, qvod fundamento ſuo, nimirum litis conteſtatione deſtitueretur proceſſus.

& Archiepiſcopo Caſſenenſi] legendum eſt *Cæſarienſi.* Differt autem Archi Epiſcopus â Patriarchâ ut inferior à ſuperiore.

Archiepiſcopus Tirenenſis] legendum *Tyrenſis* â Tyro civitate Phœniciæ celeberrima.

appellatio tenebat] propter clauſulam, *appellatione remotâ,* qvæ tenori commiſſionis inſerta fuerat.

poſſeſſionem] actum igitur fuit interdicto poſſeſſorio recuperandæ, integro manente petitorio.

reſtituentes in integrum] non per medium reſtitutionis extraordinarium, ſed ordinarium ex interdicto.

literas ipſas] literas has Venetis conceſſas fuiſſe, dicitur in antiqvâ decretali. Et ex hoc dubius redditur ſenſus, qvales intelligendæ fuerint literæ, præſertim cùm â prædeceſſoribus Papæ conceſſæ dicantur. Mihi videtur Archiepiſcopus Tyrenſis non per teſtes tantùm, ſed etiam per documenta probare voluiſſe intentionem ſuam, & inter iſta documenta has etiam literas fuiſſe.

Achonienſis] ſive potius *Aconenſis.* Acon enim dicebatur iſtud oppidum

Digitized by Google

ſive Acæ, aliqvando Ptolemais. *Vid.* Lipſ. *in epiſt. centur. ad Germ. &* [illegible] *epiſt. 36.*

legitimè appellaſſe] qvod non attenderetur exceptio recuſationis.

Notandum hinc I. Judicem, ut ſuſpectum, recuſari poſſe. *c. quod ſ*[illegible] *ſtli 3. q. 5. l. 16. C. de judic.* Ratio fundatur in jure naturæ, qvia nemo cog[illegible] pati judicem, qvi ſibi ſit adverſus, ſuſpectus & inimicus.

II. Recuſationem iſtam in limine judicii & ante omnes alias excep[illegible]nes eſſe interponendam, ne ſi id non fiat, conſenſiſſe in judicem iſtu[illegible] dearis. Didac. Covarruv. *pract. qvæſt. c. 26. n. 2.* A. Gail. *l. 1. obſ. 33. n. 11.* [illegible] durante proceſſu ſuſpicionis cauſa primùm orta fuerit, aut in notitiam [illegible]gantis tùm primum pervenerit. Zanger. *de except. p. 2. c. 4. n. 5.* Joh. [illegible] Coſta *de retrotract. c. 9. caſ. 12.*

III. Poſt recuſationem interpoſitã ſuſpenſam eſſe judicis ſuſpecti jur[illegible]ctionem, & propterea nullum omninò eſſe, qvod in cauſa deinceps eg[illegible] Joh. Petr. de Ferrariis *in prax. tit. 3. gloſſ. 5. n. 2.* Sebaſt. Vant. *de nullit. ex* [illegible] *jurisdict. ord. n.* 140. Caſp. Caballin. *milleloq. 864.* Neqve attendo hîc, q[illegible] aliqvi faciunt, differentiam inter jus civile & Canonicum, ita ut hoc ju[illegible] proceſſus non ſit nullus, niſi appellatum fuerit, uti ſtatuit Ant. Gabrie[illegible] *concluſ. 5. de judic.* Capell. Tholoſan. *deciſ. 479.* Joh. Aloyſ. Ricc. *deciſ.* 1[illegible] Dum enim jus Canonicum qvieſcere interim jubet judicem, qvoad de c[illegible]ſa ſuſpicionis plenè ab arbitris res deciſa fuerit *c. 41. §. ult. X. de appella*[illegible] *verb. tunc demum autoritate ſuâ judex utetur*, utiqve ante deciſionem uti eâ n[illegible] poterit. Neqve ullam hîc agnoſcit differentiam Robertus Lancello[illegible] *de attentat. part. 2. c. 6. n. 4.*

IV. Juſtam recuſandi cauſam eſſe, qvando ſubditus in cauſa do[illegible] ſui conſtituitur judex Stephan. Aufrer. *de recuſat. num. 12.*

V. Eum, qvi recuſat judicem ut ſuſpectum, ſi non audiatur, appel[illegible] poſſe.

VI. Per clauſulam *appellatione remotâ* non intelligi ſublatam aut pro[illegible]bitam recuſationem judicis ſuſpecti, *c. 36. X. de appellat.* Aug. Barboſ. *de cl*[illegible] *hoc tit. n. 30.* Sig. Scaccia *de appellat. qvæſt. 16. limit. 1. n. 91.* adeò ut clau[illegible] illâ non obſtante appellare poſſit, qvi, dum judicem dicit ſuſpectum, n[illegible] auditur, cùm clauſula illa ad cauſam, qvæ committitur, non ad præpa[illegible]toria judicii, qvibus ipſum totum judicium declinatur, pertineat.

VII. C[illegible]

Digitized by Google

VII. Contra teſtium perſonam duplici tempore excipi poſſe, primo cùm à probaturo nominantur & producuntur, deinde cum jam ſunt examinati, & eorum dicta publicata, *auth. ſi teſtis C. de teſtib.* Sichard. *ibid.* Nec enim eo tempore, qvo decretalis hæc edita eſt, videtur etiam edita jam fuiſſe decretalis altera *in c. 31. X. de teſtib.* qvæ non admittit exceptionem contra perſonas teſtium poſt publicata atteſtata, niſi præceſſerit proteſtatio, aut præſtitum fuerit juramentum malitiæ.

VIII. Judicium poſſeſſorium non præjudicare petitorio, & ſeparatim hoc poſt illud inſtitui poſſe. E contrario vero petitorium inſtitutum abſorbet poſſeſſorium. Menoch. *remed. recup. 15.* Carpzov. *1. reſponſ. 71. 72.*

IX. In omnibus reſcriptis clauſulam de jure Canonico ſub intelligi, *ſi preces veritate nitantur, c. 2. X. de reſcript.* Jure civili clauſula iſta diſertè inſerenda erat, *l. ult. C. de diverſ. reſcript.*

X. Reſcriptum ſub & obreptitiè impetratum perdere vires ſuas, ſi vitium obreptionis ſeſe exſeruerit. Etſi verò aliqvi diſtinctionem faciant inter ſubreptionem & obreptionem, illamqve per ſuppreſſionem veri hanc vero per allegationem falſi committi dicant; rectius tamen ſentiunt illi, qvi nominis tantùm & ſoni aliqvam differentiam ſtatuunt. Sic enim pro iisdem habentur duo iſta vocabula *in l. 1. Cod. ſi nupt. ex reſcript pet.* & Ulpianus per obreptionem celari conditionem ait *in l. 10. §. 2. ff. de in jus voc.* Joh. Bapt. Leonell. *de ſubrept. reſcript. q. 1. art. 3.* Potior hic nobis cura eſt de effectu, circa qvem diſtinctio videtur eſſe facienda inter reſcripta juſtitiæ & gratiæ.

Hæc propter vitium obreptionis ipſo jure nulla ſunt. Illa ope exceptionis enervantur. Ratio differentiæ eſt, qvia ea qvæ gratiæ vocantur, propter vitium ambitionis in illis latens odioſa magis ſunt.

Sed hîc animadvertas velim

I. Malè cauſam poſſeſſionis & proprietatis, jus in re & ad rem, aliaqve vocabula rebus competentia adaptari miniſteriis Eccleſiaſticis. Hæc non ita ſunt in commercio, ut propria dici qveant, utqve proceſſus perinde ac ſuper aliis rebus patrimonialibus inſtitui & admitti debeat.

II. Malè Pontificem in hoc caſu proceſſum ordinarium reqvirere. Summariè enim tractanda ſunt illa omnia, qvæ celerem expeditionem reqvirunt. At qvæſo, ubi celeriore opus erit expeditione, qvàm in cauſis illis,

Digitized by Google

qvæ curam animarum concernunt, uti hic eſt cauſa de jure parochiali. Sed verò miniſteria apud Pontificios ex præbendis, reditibus & proventibus æſtimantur, non ex eo, qvod in ſe ſunt, & propter qvod inſtituta ſunt.

III. Cum aliàs duo beneficia curata ſint incompatibilia, ita ut per adeptionem ſecundi prius vacet ipſo jure, *c. 28. X. de præbend.* malè feciſſe Pontificem, qvod plebanum Venetum in poſſeſſionem parochiæ Tyrenſis reſtituerit, qvod & longius diſſita ea eſſet, atqve aliqvot centenis milliaribus remota, & in alienâ planè provinciâ. Neq; hic locum habere poterit diſpenſatio Pontificis, cum neqve neceſſitas Eccleſiæ Tyrenſis, neqve magna ejus utilitas hanc diſpenſationem flagitent, & diſpenſatio ipſa in hoc negocio juri naturæ non ſatis conveniens ſit H. Zoeſ. *ad tit. de præbend. num. 59.*

Ad c. tuæ fraternitatis 3.

Habetur in hoc capitulo, & pleniùs adhuc *in cap. ult. h. t.* deciſio qvæſtionis, qvomodo procedendum ſit adverſus reum contumacem, qvi litem nondum conteſtatus eſt. Adverſus eum, qvi poſt litem conteſtatam eremodicium contrahit, & comparere recuſat, proceſſus talis eſt, ut ſententia feratur definitiva *l. 13. §. 3. C. de judic. C. 4. X. de dol. & cont.* Num verò hoc eodem damno coërceri debeat ille, qvi in judicium nondum venit, qviqve litem adhuc tùm conteſtatus non eſt, dubitare meritò licet, Pone cauſam; Titius convenitur rei vindicatione, & bis terve citatus in judicio non comparet, num cadet ille cauſa, & num per ſententiam definitivam condemnandus erit, an qvâ aliâ viâ contumacia hæc coërcebitur? Pontifex ait, vel miſſione in bonorum poſſeſſionem, vel cenſurâ Eccleſiaſticâ compelli eum debere.

Ratio dubitandi eſt, qvia per ſententiam definitivam videtur contumax eò adigi poſſe, ut appellaturus ſaltem ſe ſiſtat in judicio. Sic enim dicitur in antiqva decretali apud Antonium Auguſtinum: *ut idem affectus tædio appellaturus ſaltem ſe judicis conſpectui repræſentet.* Nec ei per ſententiam definitivam aliqva videtur injuria inferri, cùm dignus ſit, ut damnum litis ſentiat, qvi litem inſtruere noluit.

Ratio decidendi ſumitur ex regulâ, qvæ hujus tituli conſtituit rubricam, lite non conteſtata ſententiam definitivam ferri non poſſe; debere igitur alium coërcitionis modum excogitari, & vel actorem in poſſeſſionem bonorum mitti, vel reum per cenſuras Eccleſiaſticas compelli.

fra-

Digitized by Google

fraternitatis] Epiſcopos à Papa Rom. fratres vocari patet *c. 6. X. de crim. ex falſ.*

abſentat] vocabulum ſuo ſeculo dignum, in qvo ſcil. barbaries orbem literatum penè totum oppreſſerat.

petitarum rerum] qvod intelligo tam de realibus, qvàm perſonalibus actionibus, ſecundum methodum *c. ult. h. t.* præſcriptam.

nequeat intromitti] E. g. in actione finium regundorum, ſi citatus non compareat, fieri non poteſt miſſio rei ſervandæ cauſa, qvia res qvæ petitur, ut ſcil. ponantur termini, id non patitur. Sic etiam qvando minor adiit hereditatem multo ære gravatam, & reſtitutionem petit in integrum, non poterit fieri miſſio. Idqve etiam contingit in cauſis criminalibus & ſpiritualibus.

Notandum hinc I. Neminem propriâ autoritate rem ſuam, qvæ apud alium eſt, occupare poſſe *l. 13. ff. qvod met. Cauſ. l. 7. C. unde vi.*

II. Contumaciam committi, qvando trinis vicibus *l. 9. C. qvom. & qvand. jud.* vel ſemel peremptoriè vocatus *l. 70. ſeq. ff. de jud.* præſentiam ſui facere contemnit, *l. 53. de re jud.* item qvando malitioſè qvis ſe ipſum occultat, & fraudationis cauſa, ne adverſarius copiam ſui habeat, latitat, *l. 2. §. 1. l. 7. §. 1. ff. qvib. ex cauſ. in poſſ. eat.* & qvando impedit, ne poſſit ad ſe citatio pervenire. *c. ult. §. porrò X. h. t.*

III. In actione reali miſſionem fieri in rem petitam, in perſonali in poſſeſſionem omnium bonorum ſecundum menſuram debiti. *cap. ult. X. h. t. Novell. 53. cap. 4.*

IV. Præmittendam eſſe à judice aliqvalem cauſæ cognitionem, ut conſtet, eum, in cujus bona fit miſſio & contumacem & debitorem eſſe, *l. 9. C. de bon. aut. jud. poſſ.*

V. Intelligendum eſſe hunc textum de miſſione, qvæ fit ex primo, uti vocant Doctores decreto, qvo cuſtodia tantùm & pignus tribuitur, eum in finem, ut tædio hujus detentionis affectus reus, veniat ad reſpondendum *l. 3. §. ult. ff. de acq. poſſ. l. 12. ff. qvib. ex cauſ. in poſſ. l. 26. ff. de pign. act. c. pen. X. de dol. & cont.*

VI. Miſſionem hanc non dejicere dominum *l. 15. §. 20. ff. de damn. inf.* ſed utrumqve & dominum & immiſſum ſimul rem tenere.

VII. Miſſum ex hoc decreto fructus non facere ſuos, ſed ſi qvos percipit,

Digitized by Google

pit, vel in ſortem imputare, vel reſtituere teneri, *l. 9. pr. l. 14. §. 1. ff. de jud. poſſ.*

VIII. Multum hîc Doctoribus ſermonem eſſe de primo & ſecun creto; Sed ſecundum decretum extra cauſam damni infecti planè ab Antonino Matthæo de auction. *lib. 1. c. 10. n. 29.* & Joh. Jac. Wiſſe *tit. de damn. inf. n. 15.* Nimis confidenter. Cùm etiam *in l. 2. ff. qu cauſ.* agatur de eo, qvi fraudationis cauſâ latitat, uti patet ex §. 1.

Ad c. accedens 4.

Caſus talis eſt: Inter maritum & Uxorem, qvæ ideò, qvod ſangvi junctos diceret, diverterat, Commiſſarii conſtituti erant, qvi de im mento matrimonii cognoſcerent. Omnes illos ut ſuſpectos recuſ maritus. Primum qvidem, qvod conſangvineus eſſet inimici ſui, ad Uxor confugerat, ſecundum, qvod eſſet inimici illius commenſalis meſticus: tertium, qvod Uxoris eſſet conterraneus. Potiſſimùm qvod ad locum commiſſionis non eſſet acceſſus tutus, cum in terra in illius ſui cauſam agere oporteret. Judices delegati interim exception non attendentes, nec appellationem propterea interpoſitam reſpect teſtes receperunt. Re ad pontificem delatâ, alii conſtituuntur Co ſarii, & in irritum revocantur ea omnia, qvæ à prioribus geſta erant, turqve Uxor ad maritum revertere, & tum demum cognitio ſuper c principali ſuſcipi mandatur.

Ratio dubitandi eſt, qvia & vana videtur eſſe ſuſpicio de judicibus gatis, & inanis metus de lo non tuto. Huic remederi & conſuli poſ ſalvum conductum. Illos extra ſuſpicionem eſſe, (præſertim cùm uno ſint,) qvod non partis adverſæ; ſed alterius & tertii alicujus co gvinei & domeſtici exiſtant, qvi etſi mulierem recepiſſet, & marito ip tremè infeſtus eſſet, odium tamen propterea ſuum in alios non tran deret. Nec tantùm reputari debere inter conterraneos affectum, q dicis officium contaminare, eumqve in transverſum rapere poſſet.

Ratio decidendi eſt, tùm qvod contumax dici neqveat, qvi judice cuſat, tùm qvod propter appellationem interpoſitam judex proce non debeat, tùm deniqve qvod teſtes ante litem conteſtatam illegitin ceptifuerint.

Digitized by Google

ſub diſtrictu] Diſtrictus eſt locus jurisdictione munitus, intra qvem homines diſtringuntur.

de conductu] h. e. ſalvum conductum, qvi conſiſtit in ſecuritate à perſonali offenſione, injuria, rerumqve damnis & pace publica. Thom. Maut. *de jur. conducendi tit. 3.*

Ex hoc cap. notandum I. Recuſari poſſe judicem ſuſpectum, neqve hinc injuriæ reum eſſe recuſantem, Dav. Mev. *p. 1. deciſ. 51.* etſi cauſa minus juſta allegata fuerit. Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 1. def. 34.* niſi vel calumniandi animus manifeſtè appareat, vel verbis injurioſis recuſatio facta fuerit. Joh. Bapt. Bajard. *ad* Jul. Clarum *§. injuria num. 27.* Carpzov. *part. 4. c. 42. def. 8.*

II. Juſtam recuſationis cauſam eſſe inimicitiam, ſive judex mihi inimicus ſit, ſive inimicus alicui ex cognatis meis, ſive amicus inimici mei, *l. 9. ff. de lib. cauſ. c. 41. in f. X. de app.* Carol. de Graſſis *except. 24. num. 24.* Joſeph. Maſcard. *concluſ. 952. n. 19.* Franc. Milanenſ. *lib. 1. deciſ. 15. n. 5. & 9.* Fulv. Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 40. in not. lit. C.* Et ſunt, qvi inimicitiam ad conſangvineos & conjunctos usqve ad gradum ſeptimum dilatari volunt Joh. Aloyſ. *Ricc. deciſ. 1612.*

III. Juſtam eſſe exceptionem loci non tuti. Dicitur autem locus non tutus, non tantùm, qvando qvis in loco judicii multos habet inimicos capitales aut eorum amicos, aut ibidem timet periculum aliqvod aut qvandam injuriam, ſed etiam qvando in locis intermediis, per qvæ tranſiturus eſt, ta.e aliqvid timet. Zanger. *de except. p. 2. c. 5. n. 5.* Et hic dicitur caſus perhorreſcentiæ. Joh. Bapt. Coſta *de remed. ſubſid. cap. 60. illat. 1.*

IV. Ad locum non tutum citatum comparere non teneri, licet judex literas ſalvi conductus miſerit. Bernh. Greven. *concluſ. 52. conſid. 1. n. 5.* qvod intelligo, ſi ab alio, qvam à judice periculum metuatur.

V. Judicem ſuſpectum meritò removeri & alium ſubſtitui, qvod tamen de jure Canonico multo difficilius & operoſius, qvàm jure civili, contingere ſolet, qvia cauſæ ſuſpicionis primum examinandæ ſunt, qvas allegare de jure civili neceſſarium non eſt.

VI. Contumacem non eſſe, qvi juſtam abſentiæ allegat cauſam, nec in ejus præjudicium qvicqvam ſtatui poſſe.

VII. Nullitatem committere judicem, qvi in cauſa pergit, poſtqvam recuſatus eſt. Sebaſt. Vantius *de nullit. ex def. jurisd. ordinar. n. 140.* Joh. Petr.

S de

Digitized by Google

de Ferrariis *in prax. tit. 3. gloſſ. 5. n. 2.* ſive appellatum fuerit, qvod præcisè de jure Canonico reqviri nonnulli volunt, Anton. Gabriel. *concluſ. 5. de judic.* Capell. Tholoſ. *deciſ. 479.* ſive non, uti rectius ſentit Robert. Lancellottus *de attentat. p. 2. cap. 6. n. 4.*

VIII. Contra matrimonium difficilius qvid ſtatui, qvàm pro matrimonio. Qvâ de cauſa neqve juramentum qvidem contra matrimonium admittitur facilè. Carpzov. *in Ip. Conſiſtor. lib. 3. def. 44. 45.*

IX. Spoliatum qvidem ante omnia eſſe reſtituendum, & qvidem plenariè; Sed utrum id fieri debeat in caſu, qvo aliqvod inter conjuges cauſatur conſangvinitatis impedimentum, meritò dubitari, tùm qvod poſſeſſorii & petitorii judicii ſubtilitates in cauſis matrimonialibus, qvas Canoniſtæ pro meris ſpiritualibus habent, locum vix inveniant; tùm qvod conſcientiæ magis conſulendum ſit, qvam utiqve dubiam habet, cui tale impedimentum objectum eſt; At peccat ille, qvi contra conſcientiam dubiam qvicqvam agit; tùm qvod ſatius fuerit, interim dum de impedimento diſceptatur, conjuges qvoad thorum & menſam, ſeorſim agere.

Ad cap. qvoniam 5.

Agitur in hoc cap. de exceptionibus, qvibus lite nondum conteſtatâ teſtes recipi qveant, & qvidem primò, qvando teſtimonia in perpetuam rei memoriam facienda ſunt, qvæ ita dicuntur, qvod valere debeant ſuo tempore, qvodqve alias petitura ſint, niſi de præſenti teſtes recipiantur.

Rationem dubitandi conſtituit regula hactenus tradita, qvod lite non conteſtata teſtes recipi non debeant.

Rationem decidendi ſuggerit periculum in certis caſibus, & metus, ne teſtimonia pereant, & probationis copia fortuitis caſibus ſubtrahatur, puta, qvando teſtes ſenes ſunt, aut valetudinarii, aut peregrè profecturi &c. tùm enim recipi poſſunt teſtes, ſed ita, ut vel receptionem teſtium adverſario denunciet actor, vel intra annum deinceps actionem inſtuat, cùm, ſi hoc factum non fuerit, vim ſuam prorſus amittant talia teſtimonia.

Idem] Pontifices ſæpè non conſultos jura condidiſſe, notat Cujacius *ad cap. ult. X. de ſentent. & re jud.* Talis etiam hæc videtur Conſtitutio.

abſentia diuturna] ſive neceſſaria ea fuerit, ſive voluntaria.

ſenes] Apud Mediolanenſes Sexagenarius, in Camerâ Imperiali etiam qvinqvagenarius pro ſene habetur, Scaccia *de judic. l. 2. c. 8. n. 252.*

& va-

& valetudinarii] qvando ſcil. infirmitas veriſimiliter creditur eſſe lethalis. Atqve hinc examinari nolunt eum, qvi levi febriculâ aut veteri qvartanâ laborat. Scaccia *d. l. n. 267.*

ex aliqva rationabili causâ] ut ſi contagium fuerit, aut teſtis in prælium iturus.

ſive ſit abſens] addi poteſt, ſive actor agere adhuc impediatur, præſente licet reo, vel qvod nondum de jure ſuo ſatis inſtructus ſit actori vel qvod extrinſecus propter belli fortè calamitates agere prohibeatur, vel qvòd reus circa litis conteſtationem moram faciat.

ex qvo conveniri] ita ut annus ille ab initio ſit utilis.

Notandum hinc I. Teſtimonia in perpetuam rei memoriam non debere promiſcuè concedi, ſed juſtâ ex causâ & cum aliqvali cauſæ cognitione. Nec tamen tùm opus eſt ſententiâ interlocutoriâ, uti vult Scaccia *d. l. n. 199.* Camill. Borell. *tom. 2. deciſ. 1. n. 5.*

II. In perpetuam rei memoriam teſtes recipi tantùm in civilibus cauſis ex parte actoris. In criminalibus ex parte accuſatoris locum non habere, qvia pœnarum executiones favorabiles non ſunt. Hartm. Piſtor. *l. 1. q. 39. num. 10.*

III. Reo & in civilibus & criminalibus cauſis circa hanc receptionem teſtium plus favere judicem oportere. *Vid. Ord. proceſſ. Saxon. tit. 27.* Ratio eſt, qvia non eſt in poteſtate rei, qvando conveniatur. Ne ergò exceptionum probationes intereant, teſtes promiſcuè omnes recipiendi ſunt, non habita ratione, num ſenes & valetudinarii ſint, an minùs. Qvid vero ſi exceptio talis ſit, qvæ per viam actionis in judicium deduci poſſit? Non admittendam tùm receptionem teſtium dicit Gail *1. Obſ. 92. n. 10.* rectius Hartmannus Piſtor. *d. q. 39. n.* 16. adhuc admitti debere contendit. *Add.* Rutger. Ruland. *de Commiſſar. part. 2. l. 1. cap. 3. num. 6. ſeqq.* Ilico Ummius *diſp. 16. num. 46.*

IV. Alterutrum ſufficere, vel ut actor denunciet adverſario teſtium receptionem, vel ut intra annum actionem inſtituat. Illud ſi factum fuerit, annuum iſtud ſpacium præcisè obſervandum non eſt. Hartm. Piſtor. *d. q. 39. in fin.* In foro Saxonico primum illud omninò neceſſarium eſt, qvo facto liberum deinceps eſt, actionem qvandocunqve inſtituere. *Vid. Ord. proceſſ. tit. 27.*

Digitized by Google

V. Integrum eſſe actori, utrum teſtes ita examinatos examinari denuo velit, ſi poſt litem conteſtatam ſuperſtites adhuc fuerint, neceſſariam verò talem repetitionem non eſſe. Caſp. Caballin. *milleloq. 925. num. 3.* & hoc jure nos uti in foro Saxonico. *Vid. Ordin. proc. 4. l.*

Ad §. porrò & ſeq.

In hoc & ſeqventibus §§. agitur de matrimonio duplici, ſpirituali ſcil' Epiſcopi cum Eccleſiâ, & carnali, mariti cum Uxore. Utrobiqve certis caſibus teſtes ante litem conteſtatam recipi poſſe oſtenditur. Qvod matrimonium ſpirituale attinet, intereſt, utrum Epiſcopus, qvando controverſiâ ipſi ſuper electione movetur, ex contumacia, an vero aliâ ex cauſa abſit. Priore caſu non teſtes tantùm recipi debere ait Pontifex, ſed & ſententiam ferendam eſſe, ſi de cauſa liqveat. Poſteriore caſu, intereſſe porrò dicit, utrum de conjugio ſpirituali agatur jam contracto an adhuc contrahendo, ſi illud, obſervandos eſſe canones antiqvos, qvi volunt, ut ſi electus confirmatus intra ſex menſes culpâ ſuâ, ceſſante impedimento conſecratus non fuerit, electionis jure excidat; ſi hoc, electum itidem expectandum eſſe per ſpacium ſex menſium, latius etiam aut anguſtius pro arbitrio ſuperioris.

Qvod priorem caſum contumaciæ attinet, ratio dubitandi peti poſſet ex ordinario adverſus contumaces proceſſu, qvi eſt, ut adverſarius in poſſeſſionem Eccleſiæ mittatur; Sed qvia talis miſſio vel propter inhabilitatem ſubjecti immittendi, vel propter actum ipſum ſcandaloſa eſſe cenſetur, majus adhuc oritur dubium, qvatenus procedendum ſit.

Sed Pontifex pergendum eſſe ait in proceſſu, recipiendos eſſe teſtes, & ſi de cauſa liqveat, etiam ſententiam ferendam, ex hac unica ratione decidendi, ne propter longam moram in ſpiritualibus & temporalibus patiatur Eccleſia læſionem. Qvæ ratio cum ſalutem publicam concernat, non minus in Eccleſiâ atqve in Rep. non unam facit in regulis aliàs communibus & ordinario procedendi modo exceptionem.

caſualiter] i. e. in certo caſu, & pro re natâ.

copulâ maritali] i. e. conjunctione, eâqve ſive contrahendâ ſive contractâ, dum is qvi abeſt contumax ſit; ut diſtingvatur hic caſus ab eo, de qvo agitur *§. ſeq. ſi autem.*

per-

Digitized by Google

peremptoriâ citatione] qvæ ita concipitur, ut præciſam comparationem citato imperet, ulteriori omni citatione denegata. Ilico Ummius *diſp. 5. num. 65.*

maximè confirmatâ] *τὸ maximè* abundat. Ex ſententiâ enim Canoniſtarum conjugium ſpirituale contractum dicitur, poſt electionem & confirmationem *c. 2. §. ſicut enim X. de translat, epiſc.*

in ſacris canonibus] *d. c. 2. & c. qvoniam diſt. 100.*

Ad hoc cap. notandum I. Conjugium ſpirituale Epiſcopi & Eccleſiæ à Canoniſtis cum injuriâ Salvatoris adſtrui. Eccleſia qvidem Sponſa alicubi in Scripturis dicitur, ſed Chriſti. Epiſcopi miniſtri tantùm ſunt, non ſponſi aut conjuges.

II. Dandam eſſe operam, ut miniſterium in Eccleſiâ vacans qvantocyus reſtituatur, ne illa in ſpiritualibus damnum ſentiat.

III. Proceſſum in contumaciam providè & circumſpectè eſſe dirigendum, neqve pro contumaci illicò habendum, qvi qvacunqve ex cauſa abſens eſt.

Ad §. Si autem.

Agit jam Pontifex de conjugio carnali, & qvidem antevertit dicere *in §. præced.* de eo, qvi in cauſa matrimoniali abſens eſt ex contumaciâ, poſſe ſcil. non teſtes tantum recipi, ſed & definitivè pronunciari. Agit nunc de caſu, qvando nulla ſubeſt contumacia, & tamen alteruter conjugum abſens eſt, nec citari poteſt. Et conſtituit, expectandum eſſe ejus reditum, donec de ipſius obitu veriſimiliter præſumatur.

Ratio dubitandi eſt, qvia pars qvæ præſens eſt, uſtulationibus tentari, & in fornicationis periculum facilè incidere poteſt.

Ratio decidendi eſt, qvia contumax haberi non debet, qvi nullâ ſuâ culpâ, aut non malitioſa voluntate abeſt. Et ad rationem dubitandi reſpondetur, qvod alii plures ſint caſus, qvibus continere conjuges oporteat.

de carnali conjugio] Ita dicitur à Canoniſtis ad differentiam Conjugii ſpiritualis. Cave tamen inde facias conjugium eſſe ſtatum impurum, in qvo homo pius Deo grata obſeqvia præſtare non poſſit. *Vid.* Gerhard. *Loc. de conjug. n. 28. & n. 49.*

Notandum hîc I. Ad mortem conjugis probandam non ſufficere præſum-

Digitized by Google

ſumptiones, ſed vel teſtimonia reqviri, vel ſaltem juramentum. *Vid.* Carpzov. *Jp. Conſiſt. l. 2. def. 167. ſeqq.*

II. In eum, qvi ex malitiâ abeſt, & ſe occultat, deſertionis proceſſum decernendum eſſe.

III. Maritum militiæ aut negociationis cauſa abſentem, pro deſertore non eſſe habendum. *Vid.* Gerhard. *d. l. n. 628.*

IV. Circa abſtinentiam conjugum obſervandum eſſe monitum Pauli *1. Cor. VII, 5.*

Ad §. Sunt &c.

Notandum hîc I. in inqviſitionis proceſſu teſtes examinari poſſe, nullâ omnino præviâ litis conteſtatione. Examen tamen illud eſſe ſummarium, ut de delicto conſtet. Examen enim teſtium ad articulos tùm demum inſtituitur, cùm reus de crimine, qvod commiſiſſe dicitur, articulatè reſpondit.

II. Verba de teſtium publicatione hîc eſſe obſcura. Panormitanus ſingularem hîc facit ſpeciem examinis in perpetuā rei memoriam, in qvâ ſcil. & receptio teſtium & publicatio teſtimoniorum illico fieri debeat. Noviſſimè Antonius Dadinus Alteſerra *ad h. t.* differentiam facit inter publicationem & receptionem teſtium, & ita qvidem, ut utraqve ad examen pertineat. Ego hîc intelligo caſum, qvando jus agendi nullum competit, niſi prius examinatis & publicatis teſtibus, uti fit in cauſa teſtamenti, qvando tale aliqvod confectum eſſe nondum ſatis conſtat, aut etiam, qvando obligatio eſt conditionalis, & metus eſt, ne teſtes exiſtente conditione mortui inveniantur, de qvo utroqve caſu agit Hartmann. Piſtor. *l. 1. q. 39. num. 12, 13.*

Ad Lib. II. Decretal.

Tit. X.

de

ORDINE COGNITIONUM.

Ad

Digitized by Google

Ad cap. I.

CASus talis eſt: Mulier, qvæ deſponſata, ſed nondum domum deducta erat, judicio petitorio ſibi maritum vindicabat, & jam teſtes ad probandum induxerat. Anteqvam teſtes iſti examinarentur, maritus de impedimento conſangvinitatis exceptionem movebat, eamqve probare paratus erat. Qværebatur utrius probationes proferri in ordine proceſſus deberent.

Ratio dubitandi eſt, qvia regulariter non ante eſt probanda exceptio, qvam actor probaverit intentionem ſuam. *l. 19. C. de probat. L. 9. C. de except. l. 9. C. de præſcript. long. temp.*

Ratio decidendi eſt, qvia exceptio oppoſita eſt præjudicialis, cujus natura hæc eſt, ut actor interim repellatur ab agendo, donec de puncto præjudiciali conſtet. Et dicitur præjudicialis ideò, qvia ſententia in eâ lata præjudicium facit in cauſa principali & primitus inſtitutâ. Sive, ut hîc dicitur, qvia exceptione probatâ, qvæſtio principalis perimitur. Exempla colligit Aymo Cravetta *conſil. 280.* Petrus Friderus *in proceſs. lib. 3. cap. 10. n. 24. ſeqq.* Cumqve exceptio conſangvinitatis talis ſit, ut etiam poſt ſententiam opponi qveat, & ſententiam pro matrimonio latam prorſus evertat. Brunnemann. *de proceſs. cap. 16. n. 4.* Satius erit, eâ citius oppoſita qvieſcere interim & ſilere judicium de matrimonio contracto, qvàm judicium hoc nullitatibus imminentibus exponere.

in virum] h. e. ut vir eſſet, & ſibi adjudicaretur. Judicium ergò hoc erat petitorium, non poſſeſſorium ut reſtitueretur. Qvia ſi mulier in qvaſi poſſeſſione matrimonii fuiſſet, & nunc ſpoliata ad reſtitutionem ageret, non obſtante exceptione conſangvinitatis, reſtitui maritus deberet. *c. 4. X. ut l. non cont. c. 10. & 13. X. de reſtit. ſpol.*

pars viri] barbarè, pro Viro ipſo. Die andere Parthey auff Seiten des Mannes.

metuens] metus hic erat vanus & inanis, cùm uti dixi etiam poſt ſententiam excipi poſſit de impedimento conſangvinitatis, niſi forte de judicis dexteritate dubitatum fuit, non admiſſurum ſcil. eum hanc exceptionem, niſi poſt executionem ſuæ ſententiæ, & cohabitationem plenè factam.

Hinc

Digitized by Google

Hinc notandum I. ſtudioſè cavendum eſſe judici, ne nullitas aut actus fruſtraneus committatur.

II. Cauſas præjudiciales ſemper præmitti debere, cum ſententia ſuper iis lata oſtendat, qvid in principali pronunciari debeat.

III. Non eſſe neceſſe, ut ſuper exceptione tali, qvæ ad factum principale perimendum proponitur, diſertè & expreſſe pronuncietur, ſed ſufficere, ſi pronuncietur ſuper principali, qvod judex ſcil. declaret reum non eſſe maritum. Qvò pertinet textus *in l. 1. C. de ord. judic.* Ratio eſt, qvia in effectu hoc ipſo, qvo ſententia fertur ſuper principali, tacitè fertur ſuper hâc exceptione, qvandoqvidem propter exceptionem probatam reus abſolvitur. Andr. Vallenſ. *ad h. t. num. 3.* Sichard. *ad d. l. 1. C. de ord judic.*

IV. Non eſſe neceſſe, ut cum Cujacio hîc in ſpecie facti ſtatuamus, virum confeſſum fuiſſe, qvod mulier in judicium duxerat, cùm diſertè dicatur in textu, mulierem probationes jam inſtruxiſſe, qvibus opus non fuiſſet, ſi reum habuiſſet confeſſum.

Ad c. cum dilectus 2.

Infeſtatus fuerat Abbas qvidam à nonnullis nobilibus, qvi irruptione in caſtrum monaſterii factâ animalia abegerant, ſegetes combuſſerant, homines interfecerant, & damna dederant alia. Actione apud commiſſarios Pontificis intentata nobiles rei de alio Spolio excipiebant, qvod ſcil. dolo & violentiâ Abbatis ex caſtro ſuo Sirati ejecti fuiſſent, qvodqve propterea reſpondere ad actionem intentatam non teneantur prius, qvàm reſtituti eſſent. Qværebatur, qvorum cauſa potior eſſet, qvæqve in ordine cognitionis præcedere aut præmitti deberet? Reſpondet Pontifex, nobilium cauſam ſibi potiorem videri, poſito ſcil. per modum exceptionis ſpolium ab Abbate commiſſum in judicium deductum fuiſſe; qvod ſecus eſſet, ſi in modum actionis ſpolium objectum diceretur.

Rationes ex parte Abbatis proponuntur iſtæ. (1) Audiendum eſſe prius eum, qvi prior egerit, *arg. l. 29. ff. de judic.* atqve hinc ei primitus reſponderi debere. (2) Neminem re ſuâ temerè privandum eſt, cùm nobiles negare neqveant, caſtrum Sirati ad monaſterium ſuum pertinere. (3.) Nec ſe ſpolium iſtud commiſiſſe, nec proinde exceptionem de ſpolio tertii ſibi opponi poſſe. (4) Dominum, ad qvem res ſua ab alio poſſeſſa revertitur, retentionis jure gaudere, nec ad reſtitutionem obligari. (5) Damna, ſi qva data-

Digitized by Google

data eſſent ſpecialem exigere actionem, nec remorari actionem ex ſuâ parte intentatam, cùm & potior videatur ratio damnorum in caſtro cœnobii datorum, ſaltem ex ordine & prioritate intentatæ qverelæ. (6.) Capitula de reſtitutione loqventia non habere locum, niſi in criminalibus, & adverſus ipſum ſpoliatorem. *Vid. textus ipſe in antiq. collect. 3. h. t. apud* Anton. Auguſtinum.

Sed ex adverſo nobiles firmiter inſiſtebant regulæ reum ſpoliatum non eſſe obligatum ad reſpondendum libello oblato, niſi ipſi prius res ablata reſtituatur. Se igitur, qvi per modum exceptionis ſpolium in caſtro ſuo antehac commiſſum objeciſſent, prius audiendos eſſe, ſpolioqve hoc probato parati erant, niſi reſtituti fuerint, exceptionem hanc, ut litis ingreſſum impedientem, perpetuo obſtituram.

Pontifex hanc rationem ut fortiorem ſeqvitur, ex hypotheſi ſcil. qvod per modum exceptionis ſpolium objectum fuerit. Pro actore reſpondiſſet, ſi per modum actionis ad reſtitutionem petendam nobiles ſpolii qvæſtionem moviſſent. Tùm enim mutuæ adinvicem inſtitutæ fuiſſent actiones, & qvæ prius tùm fuiſſet propoſita, prius qvoqve tractanda, ſed utraqve nihilominus conjunctim unâ ſententiâ terminanda fuiſſet.

Non obſtant, qvæ pro Abbate mota fuerunt dubia. Ad (1.) audiri debet prior, qvi prior egit, ſi mutuæ inſtitutæ ſunt petitiones, qvod non negat Pontifex. Ad (2.) non temerè privatur poſſeſſione rei ſuæ, qvi per ſpolium commiſſum eâ ſe indignum fecit. Ad (3.) actori non poteſt opponi exceptio de ſpolio tertii, niſi ipſe ſpolium hoc mandavit, aut ratum habuit. Berlich. *1. concluſ. 21. n. 36.* At in textu dicitur, nobiles per dolum & violentiam Abbatis poſſeſſione caſtri excidiſſe. Ad (4.) ex dominio ſolo nullum oritur jus retentionis, & dominii exceptio ſpoliato objici haudqvaqvam poteſt. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 7. n. 134. ſeq.* Andr. Fachinæ. *lib. 1. c. 10.* Ad (5.) damna data ex ſpolio exceptionem ſpolii pariunt, non ad reſtitutionem, qvem in finem per modum actionis judicium inſtitui oportet, ſed ad id, ne teneatur, reus ad actionem intentatam reſpondere. Ad (6) in criminalibus qvidem reſtitutioni locus eſt, non tamen hinc conficiendum eſt, in cauſa civili talem reſtitutionem locum non invenire.

Addit Pontifex effectum hujus exceptionis, non facere ſcil. eam ad reſtitutionem impetrandam, qvia nec de poſſeſſione reſtituendâ reus directò egit, ſed de vi tantum excepit repellendi actoris gratiâ, ne teneatur ipſe a-

Digitized by Google

ctori reſpondere; qvem etiam repellit hactenus, donec actor ultrò eam reſtituat, & ſic reum ad reſpondendum adigat.

Illuſtrat hoc Pontifex exemplo teſtis, qvi propterea, qvod ejus teſtimonium reprobatum, aut ipſe de crimine aliqvo per modum exceptionis convictus fuerit, nec pœna ordinaria puniri debet, nec infamiam incurrit. Qvod aliter ſe haberet, ſi directò de crimine accuſatus & convictus fuiſſet.

ſub formâ exceptionis] litis ingreſſum impedientis. Talis enim exceptio excuſat reum & immunem eum præſtat à litis conteſtatione, neqve omitti poteſt à judice, ſed ſuper ea neceſſariò pronunciandum eſt. Ant. Fab. *Cod. lib. 8. def. 5.*

petentes prius reſtitui] ſive potius, ſe reſpondere non teneri, anteqvam reſtituti fuerint. Nec enim reſtitutio directè peti potuit, ſiqvidem exceptio vim excluſionis habere debuit.

in continenti] Hoc verbum non præciſè ad momentum aliqvod temporis reſtringendum eſt, ſed intelligitur ſuam habere latitudinem pro qvalitate negocii & ex arbitrio judicantis. Anton. Theſſaur. *deciſ. 77. num. 3.* Tabor *ad Barboſ. axiom. lib. 9. c. 24.* Berlich. *p. 1. concluſ. 84. n. 85. ſeqq.*

minimè contingentes] ut maximè contingentes fuerint. Separatus enim adhuc utriusqve eſt proceſſus, & in utraqve ſpecialis litis conteſtatio, ſpecialesqve probationes reqviruntur.

Qvi prior appellat, prior agat] Nihil hoc facit ad mutuas petitiones, ſed agit textus *in l. 29. ff. de judic.* de appellante, qvod qvi appellavit ad judicem ſuperiorem, actoris partes ſuſtineat. *Vid.* Cujac. *hic.*

Notandum hinc I. Intentionem actoris qvalemcunqve retundi per exceptionem ſpolii ab actore commiſſi, ſive de eâdem re agatur, in qvâ ſpolium commiſſum eſt, ſive de diverſa & ſeparata. Zanger. *de except. part. 2. cap. 18. num. 5.* Berlich. *part. 1. concluſ. 21. num. 35.* Alvar. Valaſc. *conſultat. 88.*

II. Exceptionem ſpolii etiam â prædone objici poſſe, qvia etiam prædo reſtituendus eſt. *c. 5. X. de reſtit. ſpol.*

III. Regulariter non poſſe hanc exceptionem opponi tertio, qvi non ipſe ſpoliavit, etiamſi is ſciens rem ſpolio ablatam poſſideat. Hartm. Piſtor. *obſerv. 135.* opponi tamen poſſe tùm, qvando tertius ille mandavit, ut ſpolium

Digitized by Google

lium fieret, aut factum ratum habuit. Jacob. Schultes *obſervat. 25. numer. 11.*

IV. Exceptionem ſpolii regulariter ante litis conteſtationem opponi debere, niſi poſt litis conteſt. ſpolium factum ſit, aut tùm primum in notitiam rei pervenerit. Carpz. *p. 1. c. 6. def. 6.*

V. Exceptionem hanc teſtibus & documentis probari oportere, & juramento actoris committi non poſſe. Carpz. *d. l. def. 3. & 10.*

VI. Spoliatorem non audiri, etſi in continenti ſuum probare velit dominium, niſi factâ prius reſtitutione. Achill. Perſonalis *de adipiſc. poſſ. num. 260.* Petr. Barboſa *ad l. 33. ff. de judic.* Spolians enim ſciens ſibi jus competere contra ſpoliatum etiam ſcire debet, qvod jus ſibi propriâ autoritate dicere non debeat, nec poſſidentem ſua privare poſſeſſione. Rot. Rom. *part. 3. deciſ. 260. n. 5.*

VII. Exceptiones hujus effectum eſſe, non ut reſtituatur reus in re ſpoliatâ, ſed ut non teneatur reſpondere reus, nec condemnari qveat, ut litem conteſtetur, anteqvam reſtitutus fuerit. Omnis enim exceptio hoc operatur, ut abſolvatur reus, non etiam ut aliqvid conſeqvatur. Zanger. *de except. p. 3. c. 26. n. 30.* Garſ. Maſtrill. *deciſ. 14. n. 22.*

VIII. Cautos hîc debere eſſe advocatos, ne de ſpolio excipientes ad reſtitutionem ſpolii concluſionem faciant, ſed potius actorem non audiri debere petant, priusqvam reus reſtitutus ſit. Hartm. Piſtor. *lib. 4. q. 18. n. 18.* Dan. Moller. *ad p. 1. conſt. 6. n. 2.*

IX. Reſtitutionis verbum plenariam reſtitutionem denotare, non rei tantum principalis, ſed omnium etiam damnorum & fructuum qvi percepti ſunt & percipi potuerunt. Regner. Sixtin. *inter Conſil. Marpurg. conſ. 9. vol. 3.*

X. Mutuas petitiones ſimul ambulare, & uno proceſſu unâqve ſententiâ terminari. *Vid. tit. de mut. petit.*

XI. Teſtem ex hoc, qvod ejus teſtimonium per exceptionem reprobatum fuerit, etſi de perjurio convictus ſit, infamem tamen non fieri. Ratio eſt, qvia ſententia contra producentem, non contra teſtes fertur. Marq. Freher. *de exiſtim. lib. 3. cap. 5. n. 18.*

Digitized by Google

Ad cap. tuam 3.

Caſus talis eſt; Alexin regina Cypri vindicabat ſibi comitatum Campaniæ in Galliâ, transmiſſum ſcil. ad ſe, per matrem ejusdem nominis ab aviâ Iſabellâ Hieroſolymorum & Cypri Reginâ, poſtqvam hæc Henrico II. Comiti Campaniæ nupſiſſet. Poſſeſſor Comitatus Theobaldus VI. per modum exceptionis, legitimationis qvæſtionem movebat, & de natalium origine diſputare incipiebat, ideò qvod avia Iſabella â marito, cui juncta erat, temerè diſceſſiſſet, ut Henrico II. nuberet. Nec poſſe igitur, dicebat reus, legitimos eſſe vel filiæ vel neptis natales, & debere adeo eas â ſucceſſione in Comitatu omninò excludi, & hinc meritò qvæſtionem hanc prius ventilandam & determinandam eſſe, anteqvam in cauſa principali circa comitatum Campaniæ aliqvid ſtatuatur.

Ratio dubitandi eſt, qvia cùm in diverſis judiciis tractetur actio & exceptio, illa ſcil. in Galliâ apud Regem, hæc Romæ apud Pontificem, & utrumqve judicium ſuos habeat proceſſus, atqve per ſe ſtet, neutrum eorum impediri debet, & utrumqve hinc continuari eodem tempore poteſt.

Ratio decidendi eſt, qvia cauſa ſucceſſionis â cauſa natalium dependet, & hæc illi præjudicium facit. *add. c. 5. X. qvi filii ſint legit.* Succeſſionis igitur cauſam dependentem definire & decidere prius, qvam natalium cauſa determinata fuerit, nihil aliud eſſet, qvàm diverſis proceſſibus intricare negocium & confuſione qvâdam judicii ordinem perturbare.

dependentem ex illâ] non qvod poſterior inſtituta ſit, ſed qvod ex deciſione ſuper natalibus præjudicium fiat cauſæ ſucceſſionis. Joh. Guttierrez. *de juram. p. 1. c. 2. n. 13.*

incipere] eo ſcil. cognitionis modo, ut feratur ſententia. Aliâs enim inchoata jam tùm erat actio de ſucceſſione coram. Philippo Rege anteceſſore & patre Ludovici VIII. Auguſtinus Barboſa *ad h. t.*

Notandum hinc I. in plerisqve regnis & imperiis hoc obſervari, ne ſuccedant, niſi qvi ex juſto & legitimo conjugio nati ſunt, qvanqvam inter barbaros natalium diſcrimen ſæpè non obſervatum fuerit. *Vid.* Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 7. n. 12.*

II. Qvod ſi de natalibus controverſia moveatur, de his prius agendum eſſe, qvàm de ſucceſſione qvicqvam ſtatuatur.

III. Cau-

Digitized by Google

III. Cauſas matrimoniales ad forum pertinere Eccleſiaſticum. Qvod tamen cum grano ſalis eſt accipiendum. Si enim de facto diſceptetur, utrum tale inter Titium & Cajam aliqvando initum fuerit matrimonium, tùm cauſa in foro ſeculari tractari debet. Thom. Sanchez. de matrimon. *lib. 3. diſp. 54. n. 4.* Joh. Papon. *lib. 1. tit. 4. areſt. 4.* Si verò de jure diſceptetur, de ſubſtantiâ ſcil. vinculo & validitate matrimonii, ad judicem id pertinet Eccleſiaſticum. Carpzov. *in Jp. Conſiſtor. lib. 2. def. 1.* Vincent. de Franchis *p. 1. deciſ. 36.*

Ad cap. ultimum.

Finge, Titium ſpoliatorem conveniri propter ſpolium commiſſum, & eum actori per modum reconventionis litem ex vendito movere. Qværitur an mutuæ hæ petitiones uno judicio terminari debeant? Reſpondet Pontifex, reconventionem hanc attendi non debere, ſed de ſpolio prius cauſam finiendam eſſe.

Ratio dubitandi eſt, qvia jure civili & Canonico cauſæ etiam diverſæ & ab invicem omninò ſeparatæ per modum mutuarum petitionum in eodem judicio ſimul inſtitui & terminari poſſunt.

Rationem decidendi petit Pontifex ex ſpecialitate actionis de ſpolio, qvippe cujus hoc eſt privilegium, ut ipſam intentans non cogatur ante reſtitutionem ſpoliatoribus reſpondere.

Excipit verò Pontifex caſum, qvando mutua petitio ſive reconventio itidem ſuper qvæſtione ſpoliationis inſtituta fuerit. Sed hîc rectè monet Alvarus Valaſcus *conſultat. 88. n. 3. & 4.* diſtingvi debere, an qvis reconveniatur de ſpolio â ſe facto in alia re diverſa, & tunc benè admitti reconventionem ideo qvia utraqve cauſa æqvè privilegiata eſt, qvoad hoc, ut confeſtim res ablatæ reſtituantur; an verò reconventio fiat de ſpolio ejusdem rei ſed antiqviore, & ex intervallo factâ, & tùm non admitti reconventionem, ſed prius debere illam ultimam violentiam purgari, cùm non liceat ſpoliato ſuum dejectorem ex intervallo turbare & expellere.

Addit Pontifex, exceptionis de ſpolio commiſſo oppoſitæ hunc eſſe effectum, ut actorem ab agendo repellat, qvoad ſpoliatus reſtitutus fuerit. Qvod intelligo etiam eo caſu locum habere, qvando actio de ſpolio intentata eſt, dum tamen exceptio fiat de ſpolio alterius rei. Valaſcus *d. l. n. 4. in fin.*

Digitized by Google

Et hinc igitur notandum I. Ejuſdem rei nomine utrumqve litigantium ad recuperandam poſſeſſionem ſimul & eodem tempore agere non poſſe. Ratio eſt, qvia diſcerni haud poteſt, uter eorum actor ſit vel reus, cum uterqve ſibi poſſeſſionem reſtitui petat, cùm tamen actor & reus relata ſint, qvæ ex naturâ oppoſitorum eidem, ſecundum idem ad idem eodem tempore tribui nòn poſſint. *Vid.* Bernhard. Urſinus *de reconvent. cap. 10.*

II. Spolii actionem inſtitutam non admittere reconventionem, niſi ea fiat propter ſpolium in aliâ re commiſſum.

III. Reconventionem hanc de ſpolio non ſuſpendere conventionem, ſed utramqve pari paſſu ambulare, unoqve judicio & ſententiâ terminandam eſſe.

IV. Admitti poſſe qvod ſtatuit Petrus Friderus *de interdict. comment. 24. n. 28. ſeq.* exceptionem ſpolii ita opponi poſſe, ut etiam petitionem contineat, ſed admitti vix poſſe, qvod ſtatuit porrò, *num. 71.* exceptionem taliter propoſitam præter effectum reſtitutionis etiam habere vim repulſæ & ſuſpendere actionem intentatam. *Conf.* Did. Covarruv. *l. 1. reſol. cap. 16. num. 13.*

Ad Lib. II. Decretal.

Tit. XII.

de

CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

Ad cap. 1.

CAſus ex ipſis Gregorii Magni epiſtolis, unde hoc fragmentum deſumptum fuit, talis eſt: Homines Eccleſiæ Syracuſanæ prædia nonnulla Felicis cujuſdam, Viri, ut videtur, inter Laicos clariſſimi occupaverant. Johannes ejus Eccleſiæ Epiſcopus eâ de re cognoſcere & litem dirimere volebat, ſed judicium ejus recuſabat Felix, & deciſionem ab ipſo Pontifice flagitabat. Hic verò inauditâ parte alterâ definire qvicqvam

Digitized by Google

qvam renuebat, jubens, ut ab utrâqve parte cognitores eligerentur, qvi de poſſeſſione primùm, deinde de proprietate judicium peragerent. Ex fragmento autem, qvod hîc habetur, id præcipuè in Controverſiam venit, an judicium utrumqve, poſſeſſorium & petitorium, penes rudem judicem tractari debeat.

Ratio dubitandi eſt, qvia proprietas nihil commune habet cum poſſeſſione *l. 12. §. 1. ff. de acq. poſſ.* nec ergo actiones ex illis natæ. In poſſeſſorio enim de poſſeſſione, in petitorio autem de proprietate aut dominio rei diſceptatur. Ex diverſitate igitur objectorum naſcitur diverſitas judiciorum, ex diverſitate judiciorum argumentari licet ad diverſitatem judicum.

Rationem decidendi petit Pontifex ex autoritate juris civilis, qvod ita per conſtitutiones Principum ordinatum ſit, uti id conſtat *ex l. 10. C. de jud. & l. 13. C. de R. V.* Ratio autem harum legum eſt iſta, qvia utriusqve judicii poſſeſſorii & petitorii una eſt continentia ſive connexitas. Et talis continentia toties contingit, qvoties una lis, una cauſa, plures qvæſtiones, plures ſpecies ſeu plura capita continet inter ſe connexa ſeu contigua. Ratio rationis eſt, qvia qvæ connexa ſunt, faciliore proceſſu & feliciore exitu apud eundem judicem peraguntur, cùm unius cognitio faciat ad cognitionem alterius. Joh. Bapt. Vivian. *in rational. ad h. t.*

Alterum hujus fragmenti thema eſt, non debere judicem ad unius partis relata cauſam decidere. Cujus ratio dubitandi poſſet eſſe iſta, qvod ex relatis ſufficienter inſtrui poſſit judex. præſertim ſi relator homo magni nominis fuerit, cujus fidem in dubium vocare difficile ſit. Sed perſtat Pontifex in ſententiâ & rationem decidendi facit iſtam, qvod cauſa definiri neqveat, niſi plenè cognita fuerit; plenè autem cognita dici non poteſt, niſi pars altera audita ſit.

Legali proviſione] i. e. lege civili, qvæ providet & diſponit de judicio ordinando.

tam momenti] Dicitur ita cauſa poſſeſſionis, vel qvia celeriter, remota omni exceptione, compenſatione & appellatione expediri debet: Vel qvia ad momentum qvoddam i. e. ad tempus illud, qvoad de proprietate in petitorio judicio cauſa diſceptata eſt, durat. *Vid.* Cæſ. Contard. *ad rubr. l. un. C. ſi de momentan. poſſ.* Vultej. *ad l. un. C. ubi de poſſeſſ. agi op. n. 29.*

proprietatis cauſam] qvæ ad judicium petitorium pertinet, qvo nempe non de poſſeſſione amplius, ſed de proprietate & dominio rei diſceptatur.

No-

Digitized by Google

Notandum hinc I. Ex jure civili eſſe, qvicqvid præclarum eſt in jure Canonico, nec puditum tempore Gregorii M. Romanis Pontificibus fuiſſe, ad leges Cæſareas provocare, aut ab iis jura addiſcere.

II. Cauſas connexas non debere dividi, aut in diverſis judiciis tractari. Carpzov. *l. 1. reſponſ. 74.* Petr. Frider. *de proceſſ. lib. 3. cap. 5. n. 38.* Frid. Hiltrop. *de proceſſ. p. 2. tit. 14.* A. Gail. *l. 1. obſ. 32. n. 11.* cujus tamen *ſub n. 12.* addita limitatio, qvod nimirum diviſio parte non opponente fieri posſit, meo judicio admittenda non eſt, propter pœnam qvæ ſancitur *in l. 10. C. de judic.*. Atqve hinc neqve cum Cujacio facere poſſum, qvi *lib. 2. obſ. 35.* putat, poſſe qvidem judicem de utraqve cauſa cognoſcere, ſed non teneri. *Vid.* Ilico Ummius *diſp. 4. n. 23.*

III. Dividi tamen cauſas poſſeſſorii & petitorii poſſe, imò debere, ſicubi jurisdictio judicis non utrobiqve fuerit competens. Sic enim in cauſis rerum Spiritualium de poſſesſione judicare poterit judex laicus, ſed in cauſa petitorii non niſi Eccleſiaſticus Andr. Vallenſ. *ad h. t. n. 5.* Aug. Barboſa *n. 4. 5.* Gœddæ. *ad c. 1. X. de ſeqveſtrat.* Competentiam autem tantum ad cauſas reſtringo, non ſimul extendo ad perſonas, uti volunt, qvi diviſionem admittunt, ſi actor & reus non ſint ejusdem fori. Sufficit enim hîc continentia cauſa, qvæ utrumqve litigantem eidem foro ſubjicit.

IV. Judicem plenè cauſam cognoſcere oportere, anteqvam ſententiam ferat, aut qvicqvam definiat.

Ad c. ad ultimum 2.

Qværitur, ſi poſſeſſorum cum petitorio cumulatum, & utrumqve ſimul in judicium deductum fuerit, an judex præmiſſo petitorio ſuper ſolo poſſeſſorio pronunciare posſit?

Ratio dubitandi eſt, qvia judex de totâ causâ ſententiam ferre debet, h. e. de omni eo, qvod in judicium deductum eſt. *l. 19. §. 1. ff. de recept. l. 2. & 3. C. Theodoſ. de ſentent. ex peric. rec.* H. Donell. *ad l. 1. ff. de re jud.* Qvo facit, qvod Pontifex *c. 4. h. t. ex l. 74. ff. de judic.* urget, debere judicem, de qvâ re cognovit, pronunciare. Et ſunt qvi putant, ſententiam definitivam, qvæ non decidit totam controverſiam in judicium deductam, non valere, ne qvidem qvoad eam partem, qvam definit. Sig. Scaccia *de ſentent. & re jud. gloſſ. 14. qvæſt. 4.* At non poſſeſſorium tantum, ſed etiam petitorium in judicium deductum eſt.

Ra-

Rationem decidendi reddit Pontifex iſtam, qvia jure civili id permiſſum eſt. Et remittit gloſſa Lectorem *ad l. 13. C. de R. V. l. 3. C. de interdict. l. 35. ff. de acq. poſſ. l. 37. ff. de judic.* Sed enim textus iſti ad ſtatum controverſiæ, uti ſupra formatus eſt, parum faciunt. Hoc tantùm probant, poſſeſſorium prius abſolvendum eſſe, qvàm inſtituatur petitorium, qvam rationem etiam reddit J. Bapt. Vivianus *ad h. t.* Sed non præſupponunt caſum de facta cumulatione poſſeſſorii & petitorii, qvippe qvæ jure civili licita non eſt, *per dict. leg. & l. 11 C. de agric. & cenſit. lib. XI. l. ult. C. qvor. bon.* Ut maximè ergo de jure civili oporteat poſſeſſorium prius abſolvi, qvam inſtituatur petitorium, qvia nempe poſſeſſorium prius inſtituendum eſt; non tamen perinde id locum inveniet, ubi poſſeſſorium cum petitorio cumulatur, qvam cumulationem admittit Pontifex.

Fortior igitur eſt ratio dubitandi. Nec proinde licitum erit judici hoc caſu, qvo utrumqve judicium cumulatur, in alterutro pro arbitrio ſuo definire, poſito qvod in utroqve probationes abſolutæ fuerint. Aut, ſi omnino alterutrum eligere licitum fuerit, in petitorio potius ſententia ferenda erit, qvàm in poſſeſſorio, qvia petitorium abſorbet poſſeſſorium.

ut de poſſeſſione] Videtur deputatio non ad id præcisè facta fuiſſe, ut ſimultaneo proceſſu petitorium & poſſeſſorium tractetur, ſed hoc forte ex arbitrio deputatorum ſtatutum fuit, eum in finem, ut parceretur ſumptibus.

prius audiant] Vocabulum *audiant* h. l. idem ſignificat, qvod diſcutiant, examinent &c. Sumitur enim hîc in alio ſenſu, qvâm illo, qvem habuit paulo ante.

Notandum hîc I. in praxi obtinuiſſe, ut cumulato licet petitorio cum poſſeſſorio (qvod ex jure Canonico receptum eſt) judex tamen, ſi ipſi ita viſum fuerit, petitorio prætermiſſo ſuper ſolo poſſeſſorio pronunciare valeat. *Vid.* Hartman. Piſtor. *part. 1. q. 45. 13.* Carpzov. *lib. 1. reſponſ. 71.*

II. Judicem in proceſſibus operam dare debere, ut qvoad fieri poteſt, ſumptus minuantur.

Ad c. cum Eccleſia 3.

Habetur hîc exemplum ſententiæ, qvâ Pontifex Rom. in uno contextu & poſſeſſorii & petitorii cauſam ſimul abſolvit, unam tamen poſt aliam, initio facto â poſſeſſorio, *ſecundum cap. 6. infr. eod. Vid.* Vaſq. *controverſ. cap. 86.*

Caſus talis eſt: Vacante Eccleſiâ Sutrinâ Canonici Eccleſiæ iſtius Cathedralis alium ſibi Epiſcopum elegerant. Clerici conventualium Eccleſiarum ejusdem loci, qvod ad actum electionis adhibiti non fuiſſent, indignè ferentes, electionem iſtam impugnabant, atqve ſe, qvi jam ante trium Epiſcoporum electionibus ſuffragia ſua addidiſſent, injuſtè nunc excluſos fuiſſe contendebant. Pontifex cognita cauſa primùm in poſſeſſorio pro conventualibus, & mox eodem ſententiæ tenore pro Canonicis in petitorio pronunciat.

Triplex autem hîc occurrit qvæſtio: (1) Utrum Pontifex utrumqve judicium, poſſeſſionis ſcil. & proprietatis, ſimultaneo proceſſu potuerit abſolvere, (2.) cur in poſſeſſorio pro conventualibus, & (3) cur in petitorio pro Canonicis ſententiam dixerit. Prima præcipuè ad hunc tit. pertinet, reliqvæ ex relatione veniunt, & ex ſpecie facti.

Prioris qvæſtionis ratio dubitandi eſt, qvia perplexa & ſibi ipſi adverſa videtur ſententia, ſi eodem tempore & de poſſeſſione & ſimul de proprietate judicetur, hinc pro actore, ut is poſſeſſor pronuncietur, illinc pro reo, ut is declaretur dominus. Et qvid enim juvat actori poſſeſſionem adjudicari, qvam illicò in eodem momento amittit, dum reo adjudicatur dominium? Utiqve reſpectu poſſeſſorii planè eluſoria videtur eſſe ſententia.

Rationem decidendi petit Pontifex ex proceſſu inſtituto, qvia utraqve, ſcil. cauſa poſſeſſorii & petitorii agitata utrinqve fuit. neqve ſpecialiter hoc actum inter litigantes eſt, ne qvæſtio proprietatis in judicium veniret. Qvæ tamen ratio non ſufficeret, niſi juris Canonici principium hoc eſſet, cumulari poſſe in proceſſu ſimultaneo judicium poſſeſſorium & petitorium. Sed qvam parum inter ſe illa conveniant, diſci jam poteſt ex ratione dubitandi, & dicetur infra plenius.

Secundæ qvæſtionis rationem dubitandi præbuerunt probationes Canonicorum, qvæ duplices fuerunt. Aliæ enim hoc intenderunt, Canonicis ſolis competere jus eligendi Epiſcopum; aliæ verò, Conventualibus tale jus non competere. Sed cum accuratius utrasqve examinaſſet Pontifex, neutras ſufficientes eſſe judicavit, priores ideò, qvia teſtes variaverant, poſteriores autem, qvia per eas negativa adſtrui debuit, cujus per rerum naturam probatio nulla eſt.

Ratio igitur decidendi ex probationibus Conventualium Clericorum deſumpta eſt, qvippe per qvas demonſtratum fuerat, qvod trium Epiſco-

po-

porum ultimorum electionibus ipſi non interfuerint tantùm, ſed ſuffragia etiam dederint, qvodqve hinc in qvaſi poſſeſſione juris eligendi conſiſtant.

Tertiæ qvæſtionis ratio dubitandi eſt, qvia Clerici Conventuales probatum dederant, ſe tres jam Epiſcopos ultimos immediatè & continua ſerie ſuccedentes una cum Canonicis elegiſſe. Ex qvibus actibus ſufficienter probata videtur conſvetudo jus faciens & ſimilem formam actibus futuris præſcribens.

Rationem decidendi petit Pontifex ex defectu temporis præſcriptionem inducentis, qvæ aliàs juvare potuiſſet Conventuales, inprimis verò ex juris Canonici ſtatuto, qvod Electiones Epiſcoporum regulariter ad Cathedralium Eccleſiarum Clericos pertineant. Sed & hæc ratio decidendi tam ſolida non eſt, ut rationem dubitandi ſuperet, qvod infra plenius docebitur.

Archiepiſcopo] legendum eſt *Epiſcopo.* Eccleſia enim Sutrina nunqvam habuit Archiepiſcopum.

paſtore] i.e. Epiſcopo.

à ſede Apoſtolica] i.e. Pontifice Rom. qvia ſcil. Sutrium pertinet ad provinciam Romanam, & ejus Epiſcopus immediatè ſubeſt Pontifici Rom. Aliorum Epiſcoporum confirmationes ab Archi Epiſcopis ſeu Metropolitanis petendæ ſunt.

conventualium Eccleſiarum] i.e. Collegiatarum, in qvibus ſunt perſonæ regulares ſub uno priore conventuali. *Vid.* Petr. Gregor. *c. 10. n. 15.*

Auditorum] i.e. judicum, qvi cauſas audiunt & examinant. De auditoribus Rotæ *vid.* Octavianus Veſtrius *& ad eum* Nicolaus Gravatius *in prax. lib. 2. cap. 17.*

Canonicorum] ſic dicuntur à canone vel regula, qvam obſervant, & intelliguntur hîc Canonici Eccleſiæ cathedralis.

qvaſi poſſeſſionem] Res incorporales propriè non poſſidentur, qvoniam earum apprehenſio & detentio talis, qvalem poſſeſſio deſiderat, non eſt. Bachov. *ad Treutl. vol. 2. diſp. 21. th. 1. lit. C.*

non ſolum de qvo actum eſt] Omittendum eſt vocab. *ſolum*, qvod etiam abeſt *in l. 61. ff. de jud.* ex qvâ verba hæc deſumpta ſunt. Senſus hic eſt, pactum negativum, qvod ineunt litigantes, ne hoc vel illud in judicium veniat, eſſe excluſivum, nec de illo, qvod ita excluſum eſt, judicari poſſe; Sed pa-

Digitized by Google

ctum affirmativum, hoc vel illud venire debere in judicium, non eſſe excluſivum aliorum, qvæ ad cauſam inſtitutam pertinent. Nic. Valla *de reb. dub. tract. 1. n. 18.*

ſtatuta Canonica] Qvænam illa? Provocant Gloſſa *ad c. 1. & 2. it. 34. & 35. diſt. 63.* Sed illi Canones nihil tale habent, ultimi etiam toti contrarii ſunt. Ab aliis citatur *c. 1. X. de elect.* Sed nec illud de Epiſcopo aut Canonicis qvicqvam habet, qvin & vult, ut Parochiani audiantur, uti legitur *in antiq. collect. Antonii Auguſtini.*

Notandum hîc I. In electionibus electores omnes debere in unum locum congregari, & communicatis conſiliis decernere. *c. 55.* Nec adeò ſufficit, collecta fuiſſe ſuffragia particulatim diverſis temporibus & diverſis locis *arg. l. 7. §. ult. ff. de pact.* cùm fieri poſſit, ut in conferendis ſententiis minor pars majorem trahat in ſuam ſententiam *l. 17. § fin. ff. de recept.* Caſp. Klock. *de contribut. cap. 6. num. 130.* Johan. Coraſ. *de offic. Eccleſ. part. 4. cap. 3. num.* 10. 11.

II. Confirmationes Epiſcoporum ut à ſuperioribus fierent, optimo conſilio olim introductas fuiſſe. Diſcutiebantur enim tùm electiones, an vitioſæ fortè fuerint, ipſius quoque Epiſcopi eruditio, vita & mores probabantur, accedebant monitiones, qualiter ſe gerere in officio debeat, *c. 44. X. de elect.*

III. Nullam omnino eſſe electionem, ſi non omnes vocati fuerint, qui electioni intereſſe debent. *c. 36. X. de elect.*

IV. Ut poteſtas eligendi probetur, non ſufficit à probante allegari, interfuiſſe ſe aliquando electioni, ſed etiam, votum & ſuffragium dediſſe.

V. Teſtes varios & vacillantes non eſſe attendentes *l. 2. ff. de teſtib.* Si tamen teſtis in deponendo erraverit, & in continenti ſe correxerit, reprobari non debet, *c. 7. X. de teſtib. cog.*

VI. Negantis factum per rerum naturam nullam eſſe probationem. *l. 23. C. de probat. l. 10. C. de non num. pec.* Qvod tamen reſtringendum eſt ad negativam, qvæ neqve loco neqve tempore eſt coarctata, qvæqve ipſa rei principia, originemqve & totam actus ſubſtantiam negat. Carpzov. *in proceſſ. tit. 13. art. 1. n. 14.*

VII. In poſſeſſorio ſummariiſſimo obtinere eum, qvi præſentaneam probaverit poſſeſſionem. Et ſufficit tum unicus actus, modo ultimus & im-

Digitized by Google

immediatè præcedens fuerit. Ant. Bengeus & Fr. Pinſſon. *de benef. ad verb. inſtitutione* §. *16. n. 25.*

VIII. Spoliatum reſtituendum eſſe in priſtinam poſſeſſionem, qvam habuit ante controverſiam motam. Et hæc reſtitutio fieri debet ad omnem cauſam, omnesqve fructus, qvi percepti ſunt vel percipi potuerunt. Aug. Barboſ. *in axiom. c. 17. . 47.*

IX. Non præcisè id venire in judicium, de qvo actum eſt inter litigantes, ut veniret. Vix unqvam enim eâ de re benè inter ſe convenient, ſemper fugiente reo & judicium declinante. Cujac. *ad h. t.*

X. Jure Canonico poſſeſſorium & petitorium ab initio poſſe ſimul proponi, tractari, finiri, eodem judicio, eâdem ſententiâ & adverſus eundem. Idqve non tantùm de poſſeſſorio adipiſcendæ & recuperandæ, ſed etiam de poſſeſſorio retinendæ poſſeſſionis intelligi debere, dicit H. Zoeſ. *ad tit. ff. de interdict. n. 7. Conf.* Ant. Perez. *Cod. de interdict. n. 14. ſeq.* Receptum hoc idem eſt in praxi, niſi qvod in poſſeſſorio retinendæ id admittere nolit Carpzov. *lib. 1. reſponſ. 71. n. 17. ſeq.* Ego verò, ut maximè duo hæc judicia cumulata in foro noſtro ſæpè fuerint, non memini tamen, unâ eâdemqve ſententiâ terminata unqvam fuiſſe. Nec fortè id fieri commodè poteſt, & proinde ipſa tota cumulatio ab initio facta non alium habebit effectum, qvam ut judex liberè eligere poſſit, in cauſa poſſeſſorii finire litem num velit, an verò in cauſa petitorii, poſito, utrinqve in utroqve judicio probationes plenè eſſe abſolutes. Qvod enim adverſa ſint ſibi duo iſta judicia, manifeſtum eſt ex iis, qvæ eruditè notant Franzk. *exercit. 14. q. 1. & 2.* Arnold. Vinn. *ſelect. qv. l. 2. q. 39.*

XI. Seqvioris Eccleſiæ inſtitutum eſſe, ut Epiſcopus non ab aliis, qvam ſolis Eccleſiæ Cathedralis Canonicis eligeretur. Antiqvitus ea res pertinebat ad clerum univerſum & populum, qvemqve illi elegiſſent, hunc Metropolitanus publicè renunciabat. Jac. Sirmond. *ad Apollin. Sidon. lib. 4. epiſt. 25.* accedente in Galliis conſenſu Regio. Hier. Bignon. *ad Marculfi form. lib. 1. pag. 452. ſeq.* Chriſtoph. Juſtell. *not. in Cod. Can. Eccleſ. univ. p. 227.* Poſtea id jus ſolis Clericis tributum fuit; qvâm benè, oſtendit Dav. Blondellus *in apol. de Epiſc. & presbyt. ſect. 3. ſecul. 12.* Clericis inqvam, non ſolis Canonicis, ſed aliis etiam religioſis Viris, uti ex Innocentii II qvi ſeculo XII. vixit, conſtitutione patet, qvæ habetur *c. penult. diſt. 63.* Etſi enim Marcus

Digitized by Google

cus Ant de Dominis *l. 3. de Rep. Eccleſ. c. 3. n. 46.* per religioſos Viros intelligat Laicos pios & prudentes, qvod ſuo nunc loco relinqvo, hoc tamen oſtendiſſe nunc ſufficit, tempore Innocentii â Canonicis ſolis Epiſcopos nondum fuiſſe electos, ſive per religioſos Viros Laicos intelligas, ſive reliqvos ejusdem civitatis Clericos.

XII. Conſvetudinem jus facere *l. 32. ſeqq. ff. de legib.* adeò ut etiam legem contrariam abrogare poſſit. Franzk. *exerc. 1. q. 9.*

XIII. Præſcriptionem non ex actuum freqventiâ, ſed ex curſu temporis æſtimandam eſſe. Unde & temporis ſuffragium dicitur *l. 24. ff. de donat. int. V. & U.* Atqve id tempus completum eſſe debet, non tamen præcisè ad momentum. *Vid. l. 6. & 7. ff. de uſucap.*

XIV. Sententiam hanc Pontificis ut ambitioſam haud fruſtra notari à Carolo Molinæo, qvod hîc non de præſcriptione, ſed conſvetudine Clerici conventuales exceperint, qvam tribus inſignibus actibus probaverant. Cumqve paulo ante hoc ipſo in capitulo conſvetudinem contrariam, ſi qva introducta fuiſſet, non improbaverit Pontifex, cur eam in hoc caſu rejiciat, ſolida ratio dari neqvit. Differt conſvetudo à præſcriptione, nec ut conſvetudo contra legem introducta præſcriptione firmetur neceſſe eſt, qvanqvam id afferat Petrus Salazar *de uſu & conſvetud. cap. 8. n. 9. & 10. motus textu in c. ult. X. de conſvetud.* Verùm ejus capituli ſenſus hic eſt, conſvetudinem eſſe debere legitime introductam, uti explicat Andreas Vallenſis *in paratit l. de conſvetud. §. 2. n. 4.* Dum igitur neqve tempus, neqve numerus actuum conſvetudini ullo jure præſcriptus, & utrumqve id judicis arbitrio relinqvendum eſt, & actus à Clericis conventualibus allegati neqve contra, neqve præter jus ſed ſecundum jus, qvod Innocentii II. tempore ante annos plus minus ſeptuaginta adhuc in uſu fuit, freqventati fuerant, præſumptuoſa hæc videtur Pontificis ſententia

XV. Actore non probante reum, etſi nihil ipſe probaverit, abſolvi debere *l. 4. C. de edend.*

Ad c. cum ſuper. 4.

Caſus talis eſt: Vacante Eccleſiâ Bethlehemiticâ ſciſſis in partes electoribus, duo electi fuerant, certè pro electis ſe gerebant, Subdiaconus Sedis Apoſtolicæ, & Canonicus ſepulchri dominici ſive Eccleſiæ Patriarchalis Hieroſolymitanæ. Prior ille confirmatus jam fuerat â Patriarchâ Hieroſoly-

ſolymitano, ſed mox à ſeculari poteſtate in favorem poſterioris dejectus. Agebat ergo ille interdicto recuperandæ, cumulato ſimul petitorio. Pontifex cognita cauſa utrumqve judicium una ſententia abſolvit, & in poſſeſſionem qvidem Subdiaconum ſuum reſtituit, ſed in petitorio utriusqve electionem rejicit, qvod minus Canonica utraqve extiterit.

Circa poſſeſſorium ratio dubitandi eſſe poteſt, qvia ut ex ſimultaneo petitorii proceſſu apparet, electio Subdiaconi Papalis non fuit Canonica, & uti apparet *ex c. 2. X. de confeſſ.* Simoniaca. Omnis autem talis electio eſt ipſo jure nulla, nullumqve jus ſic electo confert, imò tenetur ille in conſcientiâ Prælaturam renunciare. Aug. Barboſ. *de jur. Eccleſ. lib. 1. cap. 19 num. 255.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſpoliatus, etſi prædo & malæ fidei poſſeſſor fuerit, ante omnia eſt reſtituendus *c. 5. X. de reſtitut. ſpol. l. 1. §. 30. ff. de vi & vi arm.*

Circa petitorium ratio dubitandi eſt, qvia in judicio ex duobus litigantibus unus neceſſariò vincit, alter vincitur. Alteruter igitur confirmandus erit, ille ſcil. qvi vicit, vel agendo, vel excipiendo.

Ratio decidendi eſt, qvia ut qvis in hoc negotio in petitorio vincat, neceſſe eſt, electionem factam fuiſſe ſine vitio & ſecundum Canones. At Simoniam hîc commiſſam fuiſſe, patet *ex d. c. 2. X. de confeſſ.*

Cæterùm miniſteriis Eccleſiaſticis malè applicantur termini forenſes petitorii & poſſeſſorii, cùm illa in commercio non ſint, neqve ex electione ullum tale jus electo acqviratur, ſuper qvo lites & jurgia ſint excitanda. M. A. de Dominis *de Rep. Eccl. l. 3. c. 3. n. 51.* Accedit, qvod reſtitutio in caſu præſenti planè ſit fruſtranea, & nullum omnino habeat effectum, qvippe qvæ illicò Eccleſiæ reſignanda eſt; neqve excuſari poteſt, qvod in ſanctiſſimum miniſterium reſtituatur, cujus ingreſſus ab omni ſanctitate fuit alienus. Neqve dari ratio congrua poteſt, cur vitium electionis in petitorio attenderit Pontifex, in poſſeſſorio attendere noluerit, cum utiqve indignum ſit, ut in ſanctiſſimo miniſterio toleretur, de qvo certum eſt, nulliter electum fuiſſe.

Bethlehemitanæ Eccleſiæ] Erecta hæc eſt in Epiſcopalem à Paſchale II. Papa anno cIɔ cx, uti ex Guil. Tyrio refert Anton. Dadin. Alteſerra. *ad h. t.*

Si-

Sepulchri Dominici] Ita vocatur Eccleſia Patriarchalis Hieroſolymitana, cui propter ſepulchrum Dominicum, qvod continebat, iſte honor tempore Concilii Niceni datus fuit, ut qvartum honoris gradum poſt trium primarum ſedium Epiſcopos teneret, etſi tum temporis ejus Epiſcopus adhuc ſubeſſet Epiſcopo Cæſareenſi, nec ullos ſub ſe Epiſcopos haberet.

præfatus Subdiaconus] Ipſo hujus Innocentii III. tempore diſputatum fuit, utrum ſubdiaconus in Epiſcopum eligi poſſet? qvâ de re videri poterit ipſe *in c. 9. X. de ætat. & qval. & ord. præfic.*

A Patriarcha Hieroſolymitano] qvi poteſtatem hanc accepit in Concilio Chalcedonenſi factâ transactione cum Patriarchâ Antiocheno. *Vid.* Petr. de Marca *de concord. ſacerdot. & imp. l. 2. c. 8. n. 7. & l. 3. c. 13. n. 9.*

per ſecularem potentiam] Gvidonem ſcil. qvi inter Reges Hieroſolymitanos octavus & ultimus fuit, qviqve hoc ipſo tempore regno penè exutus erat, captâ ſcil. à Saladino Ægypti Rege Hieroſolymâ.

minus canonicam] propterea qvod inter Electores fuerit qvi qvingentos Saracenos, uſitatam eo tempore in Syriâ monetam, ſtipulatus fuerat. *c. 2. X. de confeſſ.*

ſententialiter] i. e. per ſententiam, vel, uti paulo ante dixit, juſtitiâ mediante.

Notandum hinc I. Gvidonem Regem jure ſuo ſibi vindicaſſe curam rei Eccleſiaſticæ, & ex poteſtate ſibi divinitus competente removere potuiſſe Epiſcopum indignè promotum. *Vid. exercitatio noſtra V. de jurib. majeſt. num. 60. ſeq.*

II. Judicium poſſeſſorium & petitorium jure Canonico cumulari & ſimultaneo proceſſu peragi poſſe. *Vid. quæ diximus ad cap. anteced. notab. X.*

III. Simoniam etiam ab alio qvam poſſeſſore beneficii commiſſam ad eum etiam ignorantem pertingere, non ut incidat in pœnam Simoniæ, ſed ut beneficium alienâ Simoniâ quæſitum, reſignet. Eſt enim vitium Simoniæ reale, ipſam rem ſive beneficium inficiens. *Vid.* Anton. Bengeus & Franc. Pinſſon, *de benefic. tit. de Simonia n. 48. ſeq.* Et hinc intelligitur, cur utriusque electionem vitioſam hic dicat Pontifex.

IV. Judicem de omni illo, quod in judicium deductum fuit pronunciare, debere. *l. 74. ff. de judic.*

Ad

Ad c. paſtoralis 5.

Quæſtio propoſita talis eſt: Utrum inchoato judicio petitorio, ſi ejus difficilem videat progreſſum, redire poſſit actor ad poſſeſſorium? Caſus ſpecialis propoſitus Pontifici non fuit, ſed in genere hanc quæſtionem inter alias decidi voluit Epiſcopus Novienenſis, ut caſu emergente jus præſcriptum haberet.

Ratio dubitandi extat in veteri decretali ex editione Antonii Auguſtini *collect. 3. cap. 3. h. t.* qvia dum actor qverelam proprietatis ſponte propoſuit, præjudicium ſibi fecit in qvæſtione poſſeſſionis, qvam ſecundum juris ordinem prius proponi licuit & debuit terminari. Nempe ita jus eſt, ut poſſeſſorio priùs qvam petitorio agere neceſſe ſit, *l. 35. ff. de acq. poſſ. l. 3. C. de interdict. l. 3. C. fin. regund.* A poſſeſſorio igitur ad petitorium tranſitus eſt, non vice verſa, â petitorio ad poſſeſſorium. Bachov. *in Tr. vol. 1. p. 491.* Accedit, qvod is qvi ſemel actionem propoſuit, cogatur perſeverare ad finem uſqve litis, *auth. qui ſemel C. qvom. & qvand. jud. ſent.*

Pro decidendâ qvæſtione Pontifex primùm diſtingvit interdicta adipiſcendæ & recuperandæ poſſeſſionis ab interdictis retinendæ. Deinde attendere jubet, utrum concluſum fuerit in proprietatis judicio, an verò concluſum nondum fuerit. Qvibus poſitis has facit concluſiones:

I. Qvando concluſum nondum fuit in cauſa proprietatis, actori integrum eſt ad interdicta adipiſcendæ aut recuperandæ recurrere, atqve ex illis poſſeſſorium inſtituere. Rationem deſumit ex jure civili, qvia in illo ſtatutum eſt, eum qvi fundum vindicavit ab eo, cum qvo interdicto unde vi potuit experiri, pendente judicio nihilominus interdicto rectè agere. *l. 18. §. 1. ff. de vi & vi arm.* Ratio hujus eſt, qvia potius ex ignorantiâ & juſto errore id factum præſumendum eſt, qvam animo renunciandi poſſeſſioni aut interdicto, *l. 12. §. 1. ff. de acq. poſſ.* Arn. Vinn. *ad §. 4. Inſt. de interdict.*

II. Interdictum retinendæ non poteſt inſtitui pendente judicio petitorio, ut maximè in hoc concluſum nondum fuerit. Ratio eſt, qvia taliter agens ſibimet eſſet contrarius. Dum enim proponit rei vindicationem, adverſarium neceſſe eſt ut ſtatuat poſſeſſorem: dum vero interdicto retinendæ agit, ſe poſſidere dicit.

III. Qvando in cauſa proprietatis concluſum eſt, non poteſt nec debet inſtitui poſſeſſorium. Ratio eſt, vel qvia tum nulla eſſe poteſt poſſeſſorii utilitas, cùm ex ſententiâ ſuper petitorio latâ plenisſima reſtitutio fieri debeat: vel, qvia tùm lites ex litibus traherentur, & via fraudibus aperiretur, dum qvi victoriam ſibi deſpondet, adverſarium inutili poſſeſſorii judicio detinet.

Tertiam hanc concluſionem limitat Pontifex & excipit caſum, qvando judex ex juſtâ causâ viderit expedire, ut poſt concluſionem in petitorio poſſeſſorium inſtituatur, e. g. qvando iniqvitas invaſoris manifeſta eſt, dum ſpoliato facultatem probandi dominium ſubtraxit. Ratio eſt, qvia talis cauſa continet æqvitatem, neqve permittendum eſt, ut qvisqvam ex fraude ſua emolumentum capiat.

in cauſam] i. e. in judicium, ut de cauſa diſceptetur.

juris auſpicia] i. e. initio proceſſus. Videtur hîc imitari voluiſſe Pontifex antiqvum apud Romanus ritum, qvo apud Prætorem actionis editio neceſſaria erat, ducto Adverſario ad album Prætoris, & oſtensâ ex eo actione intentandâ. Vultej. *Ip. Rom. l. 2. c. 26.*

renunciatum ſit aut concluſum] Hæc verba idem prorſus ſignificant, neq; facienda hîc inter ea eſt aliqva diſtinctio. Qvi enim concludit, hoc ipſo omnibus aliis probationibus & allegationibus renunciat, & vice verſa. Cujac. *h. l.*

legali proviſione] i. e. legibus civilibus. Phraſis hoc ſeculo uſitata, qvâ & uſus Gregorius *l. ſupr. c. 1.*

pendente judicio] i. e. ſuſpenſo, & ad aliqvod tempus omiſſo. Franzk. *exercit. 14. q. 2. n. 18.*

aliis poſſeſſoriis] ſcil. retinendæ poſſeſſionis, uti ſunt interdicta uti poſſidetis & utrubi.

ſui natura] qvod repugnet, alium prius dicere poſſeſſorem, deinde ſe, non immutatâ poſſeſſione.

indiciis] inſidiis, legere mavult Cujacius ex lectione correctiore *l. 6. C. de dol.*

Notandum hinc I. Minus prudenter facere actorem, qvi, dum poſſeſſorium judicium inſtituere poteſt, mavult experiri petitorio. *l. 24. ff. de R. V.*

II. Pendente judicio petitorio licere eo tantiſper omiſſo & ſuſpenſo poſſeſſorium inſtituere, & jure qvidem Canonico non niſi poſſeſſorium adipiſcendæ & recuperandæ, jure vero civili etiam retinendæ, *l. 12. ſ. 1. ff. de acq. poſſeſſ.* Eſt enim hîc omninò aliqva inter jus civile & Canonicum differentia, uti

Digitized by Google

uti obſervat Cujacius & Alteſerra *ad h. l.* etſi id neget Antonius Perez *Cod. de interdict. n. 23.* qvi putat, nullam hîc fieri mentionem retinendæ. Ratio tamen Pontificis non videtur ſatis congrua, dum ait, poſſeſſorium retinendæ poſt petitorium inchoatum ideò inſtitui non poſſe, qvia vindicationem dominii ſui naturâ præcederet, h. e. qvia non poteſt dicere ſe poſſidere, qvi ſemel dixit ſe non poſſidere, aut ſi poſſidere ſe dixit, non poteſt rei vindicationem reſtituere. Diſertè enim ait JCtus, non videri poſſeſſioni renunciaſſe, qvi rem vindicavit *d. l. 12. §. 1. ff. de acq. poſſ.* Qvi rei vindicationem inſtituit, proprietatem principaliter intendit, poſſeſſionem per conſeqventiam, qvæ officio judicis tandem reſtituenda eſt; ſed qvi interdicto agit, poſſeſſionem principaliter intendit, proprietatem per conſeqventiam, qvatenus obtentâ poſſesſione pro domino habetur. Vindicans igitur adverſario poſſesſionem expreſsè non tribuit, etſi vi ipſa & ex naturâ actionis adverſarius intelligatur eſſe poſſeſſor. Nec adeò renunciaſſe poſſeſſorio cenſebitur, qvi de proprietate agit. Franzk. *exercit. 14. qvæſt. 3. n. 6.*

III. Poſt concluſionem in cauſa, modum agendi mutari non poſſe. Octavian. Veſtr. *in prax. lib. 8. c. 4. n. 15.* Frid. Hiltrop. *in proceſs. part. 3. tit. 29. n. 3.* Nic. Reuſner. *l. 2. conſil. 24.*

IV. Judicem fraudes litigantium compeſcere, atqve hinc regulam juris ſcripti ejusqve rigorem qvandoqve temperare atqve inflectere debere.

Ad c. cum dilectus 6.

De materiâ hujus cap. dictum ſatis eſt ſupra *ad cap. 3.* Videtur autem Pontifex, ut ſimultaneum poſſeſſorii & petitorii proceſſum ſtatueret, deceptus fuiſſe *per l. 18. §. 1. ff. de vi & vi arm.* neqve attendiſſe, verba *pendente judicio petitorio* non hunc habere ſenſum, qvod utrumqve judicium ſimul cumulare & unâ ſententiâ terminare liceat, ſed qvod interim dum de poſſesſione cognoſcitur, ſuſpendatur & differatur judicium petitorium.

1. Putat verò etiam Cujacius *ad l. 12. ff. de acq. poſſ.* cumulari poſſe omnis generis interdicta cum petitorio, & poſt petitorium inchoatum de retinendâ poſſesſione agi adhuc poſſe, illo etiam non intermiſſo aut omiſſo, nec abſurdum eſſe, ſi qvis in judicio dixerit, non tu poſſides rem, qvâ de agitur, ſed ego, & ut poſſideas, rem meam eſſe ajo. Perinde uti inficiari & excipere licet reo: Nihil debeo, & ut debeam, pepigi tecum de non petenda pecuniâ. Sed falſam eſſe hanc ſententiam & malam collectionem eru-

dite

ditè oſtendit Arn. Vinnius *l. 2. ſelect. qvæſt. cap. 39.* Nam ſi reus, inqvit, dum fortè de intentione actoris dubitat, utatur & inficiatione & ſimul depulſione, nihil præpoſtè rè facit, aut qvod judicii conſtitutionem exitumve moretur; ſed probationis tùm hic ordo eſt, ut prius de ſuâ intentione doceat actor, deinde ad probationem exceptionis tantiſper dilatam admittatur reus. Sed nec qvod reo, cui non ſemper ſui defendendi facultas eſt, permittitur, ut ſcil. pluribus exceptionibus ſimul & eodem tempore uti poſſit, id continuò & actori concedendum, nempe ut is qvoqve ex contrario pluribus actionibus ſimul experiatur. &c.

Patet inſuper ex hoc capitulo, qvàm fruſtranea ſit reſpectu poſſeſſorii ſententia, qvæ ad ſimultaneum poſſeſſorii & petitorii proceſſum uno contextu fertur. Si enim verum eſt, in executione proprietatem prævalere debere, nunqvam executioni mandari poterit pars ſententiæ, qvæ ad poſſeſſorium pertinet. Fac actorem in poſſeſſorio, reum in petitorio vincere, nunqvam reſtituetur ille in poſſeſſionem, qvanqvam ut reſtituatur, ſententia lata ſit; Sed reus ideò eum excludet, qvia in executione ſententiæ proprietas prævalet.

Ad cap. cum olim 7.

Caſus ex antiqvâ Decretali hic eſt: Epiſcopus Vincentinus Archidiaconatum contulerat excluſis Canonicis. Id ægrè ferentes Canonici adverſus Archi-Diaconum ex interdicto agebant, ſeqve turbari in poſſeſſione eligendi, qvam haberent, qverebantur. Jure enim Canonico non tantùm adverſus turbantem inſtitui poſſeſſorium poteſt, ſed etiam adverſus eum, qvi cauſâ â turbante habet. *c. 18. X. de reſt. ſpol.* Aut, ſi lubet, inverte caſum, & dic, Archidiaconum egiſſe adverſus Capitulum, qvod non admitteretur ad poſſeſſionē officii. Nec enim conſtat, qvis actoris, qvis rei partes ſuſtinuerit. Lite apud Pontificē per procuratores utriusqve partis conteſtata, Pontifex cauſam delegatis qvibusdam judicibus committit, & qvidem ex conſenſu procuratorum. Canonici delegatos judices recuſabant, ſimul & reſcripti copiam, atqve deliberationis inducias petebant. Pontifex verò de tergiverſationibus iſtis certior factus, & antehac à procuratoribus de cauſa ſufficienter informatus Archi-Diaconum in poſſeſſione officii tuetur, reſervatâ tamen Canonicis cauſa proprietatis ſuper jure eligendi, adverſus Epiſcopum.

Qvæ-

Qværtio igitur iſta naſcitur; utrumjuſte in poſſeſſorio judicio lata fuerit ſententia.

Ratio dubitandi triplex eſt. (1.) qvia recuſaverant Canonici judices delegatos. At recuſatione interpoſitâ ſuſpendendum interim eſt judicium principale, donec cauſa recuſationis terminata fuerit, (2.) qvia judices delegati ſive Commiſſarii tenorem commisſionis ſuæ exhibere tenentur, qvod ab his judicibus delegatis factum non fuit. (3.) qvia deliberationis induciæ petitæ fuerans, qvæ denegari non debent.

His reſpondet Pontifex & qvidem ad (primum) recuſari ideò non poſſe judices delegatos, qvia procuratores utriusqve partis in eos conſenſerint, ad (2.) Reſcriptum itidem â procuratoribus utriusqve partis impetratum fuiſſe, ad (3.) deliberationis inducias poſt litem conteſtatam non amplius concedi.

Rationem autem decidendi petit ex atteſtatis ſibi exhibitis, ex qvibus conſtet, duobus ultimis Archidiaconis â ſolo Epiſcopo ſine conſenſu aut ſuffragio Canonicorum collatum id officium fuiſſe. Et accedebat jus commune, ſecundum qvod collationes ab alio fieri non poſſunt, niſi ab Epiſcopo.

Archipresbyterum] Cur Archipresbyter cum Canonicis fuerit, rationem hanc reddit Cujacius, qvod animo ejus ægrè fuerit ſubjici tali Diacono, cum Archipresbyter eo tempore ſubjectus fuerit Archidiacono; Cùm tamen diaconus ſubjectus fuerit presbytero. Archidiaconorum ordo & gradus olim alius non erat, qvam diaconorum, & cùm presbyteri fiebant, Archidiaconatu defungebantur. Laxatâ exinde diſciplinâ uſus obtinuit, ut Archidiaconatus etiam presbyteris deferretur. Jac. Sirmond. *ad Sidon. lib. 4. epiſt. 25.* Et ex hoc Archidiaconum in Presbyterum promoveri hodie non eſt honorem ejus augeri, ſed minui. Petr. Bleſenſ. *epiſt. 123.*

continue] i. e. proximè antecedentibus, nec inter eos exiſtente ullo, in cujus collatione aliter obſervatum fuerit.

Notandum hinc I. Ex duobus actibus proximè antecedentibus & uniformibus inferri poſſesſionem.

II. Cum qværitur, an valeat collatio vel præſentatio, non inqviritur, ân collator vel patronus habeat jus ſeu proprietatem, ut ita dicam, juris conferendi vel præſentandi, ſed an ſit in poſſesſione vel qvaſi poſſesſione. Alteſerra *ad h. t.* Aug. Barboſ. *ad h. t.*

Digitized by Google

III. Factum procuratoris imputari & nocere Domino Franzk. *tit. de procurat. n. 19.* Manz. *de procurat. num. 294.*

IV. Rem inter alios actam aliis non nocere.

Ad c. in cauſa 8.

Caſus talis eſt: Patriarcha Gradenſis adverſus Abbatem & conventum monaſterii S. Georgii, qvod Venetiis eſt, actionem inſtituerat, qvod ſubjecti ſibi cùm eſſent, debita ſubjectionis argumenta exhibere deſiiſſent, inprimis verò qvod qvinqvaginta ſolidos Venetos, qvos exſolvere olim conſveverant ſolvere nunc detrectarent. Poſſeſſorio & ſimul petitorio utrinqve actum fuerat, probaveratq; Patriarcha plurima hactenus à ſe jura Epiſcopalia exercita fuiſſe. Nec negare ea poterant Abbas & monachi, ſed mox privilegia exemptionis ab anterioribus Pontificibus ſibi conceſſa obtendebant. Pontifex igitur in poſſeſſorio pro Patriarcha, in petitorio verò pro Abbate unâ eademqve ſententiâ pronunciat, reſervatâ tamen. Patriarchæ propter qvinqvaginta ſolidos actione, ſi qvam aliam cauſam, qvàm ſubjectionis, allegare poſſet.

Ratio dubitandi eſt, qviâ renunciaſſe videtur privilegio, qvi actum contrarium committit. Georg. Acac. Enenkel. *de privileg. l. 3. c. 15.*

Ratio decidendi eſt, qvia poſſeſſionis tantum tempus allegari non poterat, ex qvo præſcriptio probata fuiſſet. Ad rationem dubitandi reſponderi poteſt, privilegia exemptionum, qvæ non tantùm renunciantis, ſed ſuperioris etiam cauſam & favorem reſpiciunt, renunciatione non tolli. Gail. *1. obſ. 40.*

Gradenſem] Dictus hic eſt Patriarcha circa initium ſeculi ſeptimi, ſed nihil eximium habebat præter ſonum verbi, qvod Metropolitanum ſignificabat ex Gothorum Italicorum uſu. *Vid.* Petr. de Marca *de primatib. numer. 20.*

conventum] ita dicitur monaſterium ſive cœnobium, ſive ipſi potius monachi in cœnobio viventes.

ad ſynodum] Synodaticum, qvod Epiſcopo ſolvitur in Synodis, in argumentum ſubjectionis datur. *Vid.* Lancellott. *Inſtit. de cenſib.*

Notandum hîc I. Per Exemptionum privilegia, qvibus monaſteria juriſdictioni Epiſcoporum ſubducuntur, diſciplinam Eccleſiaſticam valdè concidiſſe. *Vid. quæ diximus ad Lancellott. lib. 1. tit. 19. §. 11.*

II. De

Digitized by Google

II. De cumulatione poſſeſſorii & petitorii repetenda *quæ diximus ſupra ad c. 3. & h.*

II. Succumbentem in judicio audiri nihilominus debere, ſi petierit eandem rem deinceps ex aliâ causâ.

Ad Tit. Decretal. 13. de Restitutione Spoliatorum,

Ob inſignem utilitatem hujus materiæ lubet hic præmittere brevem Commentarium ad

Can. Redintegranda 3. cauſ. 3. qvæſt. 1.

Sit Ergo

Caput I.

De Autore et Autoritate Hujus Canonis.

§. 1.

AUtor hujus canonis in inſcriptióne fertur eſſe Johannes I Pontifex Romanus, qvi circa annum DXXIV. Romæ ſedem tenuit & tantâ qvidem cum ſuperbia, ut cùm Epiſcopus Conſtantinopolitanus Epiphanius ad parem ſedem eum invitaret, non qvieſceret, donec ſupra eum collocaretur in ſolio, uti refert Jacobus Revius *in ipſius vit.*

§. 2. Epiſtola ipſa, ex qvâ canon hic depromptus eſt, ad Zachariam Archi Epiſcopum fertur fuiſſe ſcripta. Qvis verò ille Zacharias, & qvo loci is Archi-Epiſcopus fuerit, non additur. Nec verò qvicqvam id facit ad verum & genuinum ſenſum eruendum, ut adeò ſecurè ignorari id qveat. Cui plus otii eſt, ex notitiâ Epiſcopatuum nomenclaturas Archi-Epiſcoporum per ſingulas provincias evolvere & ſynchroniſmum inſtituere poterit, num qvis talis Johannis coætaneus fuerit.

§. 3. Sed

Digitized by Google

§. 3. Sed & hic labor incaſſum ſuſcipietur, qvandoqvidem ipſa tota Epiſtola commentitia eſt, & ex Innocentii, Zoſimi, Symmachi, & Ennodii dictis conſarcinata, multoqve impoſtoris cœno infecta, nec ante annum Chriſti DCCXXCV. cuiqvam cognita fuit, uti perqvam erudite & ingenioſe oſtendit David Blondellus, in accuratiſſimo libello, qvem *Pſeudo-Iſidorum* inſcripſit, tum in prolegomenis paſſim, tùm inprimis *pag. 570.* ubi totam Epiſtolam recenſet. Tales enim Epiſtolas adulterinas plures primis & antiqviſſimis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis Iſidori ementito nomine, ſuppoſuit planus poſt notos homines neqviſſimus & improbiſſimus, ut principatum Eccleſiaſticum nullo antiqvitatis teſtimonio ſuffultum confictis qvibusdam ſuffragiis ſuſtineret; ſed qvas ipſas *νοθείας* vitio laborare agnoverunt Cardinales Nicolaus Cuſanus, Cæſar Baronius & Robertus Bellarminus. Vid. Jacob. Uſſerius Armachanus *de Chriſtian. Eccleſ. ſucceſſ. & ſtat. cap. 2. n. 29.* Georg. Calixt. *in proœm. ad lib. Auguſtini de doctr. Chriſt. pag. 53.* Franciſc. Florens *in diſſertat. p. m. 169.* & confer ſi lubet, qvæ diximus in diſſertat. *de jur. Can. orig. num. 25. ſeq. & 62.*

§. 4. Tali ab autore & ex tali artificio cùm primùm nata ſit canonis hujus ſtructura, non poterit major ejus eſſe autoritas, qvàm ſolet eſſe illorum inſtrumentorum, qvæ ex L. Corneliâ de falſis impugnantur. Ipſe impoſtor qvalem pœnam meruerit, videri poterit ex *l. fin. ff. ad L. Corn. de falſ.* & ex Pontificiâ ſententiâ atqve deciſione, qvæ extat in *C. 7. X. de crim. falſ.*

§. 5. Nec verò qvicqvam facit, qvod Gratianus hunc canonem Decreto à ſe compilato, & paſſim in ſcholis recepto inſeruerit. Ut maximè enim in hoc excuſatus eſſe qveat, qvod perinde illi ut aliis, etiam prudentiſſimis, ignaris ſcelerum tantorum, artisqve Pelasgæ, impoſitum per ejusmodi fabricatorem fuerit; majorem tamen, qvàm habuit, tribuere ei autoritatem non potuit. Ut enim rectè ait Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. l. 3. cap. 6. n. 2.* cùm Gratiani collectio privato ſtudio inſtituta ſit, qvæ refert autorum teſtimonia, non majore pollent autoritate, qvàm antea obtinebant.

§. 6. Nec etiam præſidii qvicqvam peti poteſt ex eo, qvod Euſebium Pontificem in eandem ſententiam & totidem verbis reſcripſiſſe referat idem Gratianus *can. ſeq. 4.* Ut enim jam taceam, non obſervatum fuiſſe à Gratiano ordinem & ſeriem temporum, qvod fieri in tali opere omninò debuiſſet, ut hinc incrementa vel doctrinæ vel diſciplinæ Eccleſiaſticæ clariora red-

de-

Digitized by Google

derentur, cùm utiqve multo anterior Johanne I. fuerit Euſebius Papa, qvippe qvi circa annum Chriſti CCCX. Romanæ præfuit Eccleſiæ, & vel hinc colligi poſſit, Euſebii exſcriptorem fuiſſe Johannem; ipſa etiam hæc Euſebii tota Epiſtola perinde ut Johannis, ab eodem artifice conficta eſt, uti oſtendit ſupra memoratus Blondellus tùm in prolegom. *cap. 13. n. 29.* tùm inprimis ad ipſum Epiſtolæ contextum *pag. 408.*

§. 7. Dum ergò ipſi Canoniſtæ prudentiores ſingula, qvæ in Decreti compilatione Gratianeâ comprehenſa ſunt, ad ſuos fontes & origines revocari volunt, parum abeſt, qvin totum hunc canonem rejiciendum & ad probationem nullatenus adhibendum putem. Et qvanqvam ex conſvetudine aliqvam ſibi comparaſſe autoritatem videatur; conſvetudo tamen iſta, uti rectè obſervat Franciſcus Svarez *de legib. lib. 4. cap. 5. n. 9.* non eſt in eo ſenſu juxta conceptum communem ſapientum introducta. Et ſi attentiùs conſvetudo iſta conſideretur, in hoc ſolo ferè obtinuit, qvod canon iſte in negociis civilibus & judiciis allegari ſoleat, qvid autem & qvantum inde probari debeat, nullâ adhuc conſvetudine univerſali receptum eſt. Nec adeo applicari poteſt, qvod dicitur *in l. 37. & l. 38. ff. de Leg.* qvod conſvetudo aut rerum perpetuo ſimiliter judicatarum autoritas vim legis obtineat.

§. 8. Non attendo, qvod doctrinalis interpretatio Canoniſtarum acceſſerit, qvæ & ipſa, ſi conformis & recepta eſt, magnum aliàs in foro momentum habet. Unde & jus ſine ſcripto introductum dicitur Pomponio *l. 2. §. 5. & 12. ff. de O. J.* ita tamen ut ad jus ſcriptum referretur *l. 6. §. 1. ff. de V. S.* Sed præterqvam, qvod doctrinalis ejusmodi interpretatio non facilè locum inveniat, niſi qvando obſcura, ambigua, aut dubia fuerint verba legis, uti docet Svarez *l. 6. de leg. cap. 1.* id qvod in præſenti canone non contingit, ipſa etiam doctrinalis ad hunc canonem interpretatio tàm varia eſt, ut communis ſæpè contra communem & communior alia recitetur opinio. Vid. Eman. Svarez *in theſ. recept. ſent. vocab. ſpoliatus* Sig. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 7. n. 163.*

§. 9 Qvod ſi verò in judicio aliqvo ſententia aliqva Doctorum recepta fuerit, non nego propter res eodem modo uniformiter judicatas jus conſtitui, *l 38. ff. de leg.* conſvetudinarium ſcil. & uſuale, uti vocari ſolet, Arthurus Duck *in concluſ. lib. 1. de autor. jur. civ. n. 5.* Et ſic fieri potuit, ut ex hoc canone praxis in foro reciperetur, & per interpretationem plusqvam

Digitized by Google

extenſivam jus diceretur, ut maximè illud in literâ canonis non contineatur. Sed tùm perpetuitas reqviritur, & continuus uſus, uti pleniùs dixi in Dicaſtice *concluſ. 36. §. 16.*

§. 10. Potuiſſet verò Gratianus canoni huic aliam & majorem fortè autoritatem comparare, ſi in frontiſpicio concilium Romanum V. ſub Symmacho anno DIII. habitum poſuiſſet, qvippe in cujus decretis eadem hæc verba & plura alia, qvæ Pſeudo-Johannes ſua fecit, continentur: Sed tùm tamen de ipſius etiam Concilii iſtius autoritate diſqvirendum eſſet, cùm non omnia eodem ſemper lumine luceant, & talia ſæpè in partes vocentur, qvibus cum non velis in tenebris micare. Non erit tamen hîc noſtra ea cura; ſed Theologis id diſcutiendum relinqvimus. Interim id notetur, ſubleſtæ fidei videri ſubſcriptiones iſtius concilii & Baronio & Severino Binio, qvædam etiam in concluſa fuiſſe, qvæ tyrannidi Pontificiæ materiam ſuppeditârunt, qvale fuit illud, qvod Epiſcopus à ſibi ſubjectis ovibus reprehendi non debeat.

§. 11. Cæterùm cum nihil omninò in hoc canone reperiatur, qvod juri jam ante conſtituto adverſum ſit, neqve aliud qvid noviter conſtitutum contineat, ſi qvidem literam & verum ejus ſenſum ſeqvi velimus, cauſæ nihil ſubeſt, cur de autoritate ejus tantoperè ſolliciti ſimus. Valeat ille ut aphoriſmus ex jure conſtituto excerptus, & ei conformis. Præmittere tamen hactenus dicta voluimus, ne qvis imaginariâ qvâdam ejus autoritate deceptus plus ei ineſſe credat, qvàm revera ineſt, neve qvæ inde fabricantur dogmata, pro oraculis illicò habeat.

CAPUT II.

DE VERO ET GENUINO HUJUS CANONIS SENSU.

§. 1.

UT verus ſenſus eruatur, neceſſe eſt ex epiſtola Pſeudo-Johannis, prolixiora, qvæ ad rem præſentem faciunt, adducere verba. Præmittit Johannes, â Zacharia ſe imploratum, ut aliqvod ei daret præceptum ſive monitum patrum decretis roboratum. Velle ergò ſe morem gerere, etſi non ignoret, vivendi & docendi eccleſiaſticas regulas probè

bè ei jam cognitas eſſe; neqve poſſe ſe de eo malè ſentire, etſi animi ſenſa penetrare neqveat.

§. 2. His præmiſſis in hæc pergit verba: *Oves ergò qvæ paſtori ſuo commiſ-,,*
ſæ fuerunt, eum nec reprehendere, niſi à rectâ fide exorbitaverit, debent; & nullate-,,
nus accuſare poſſunt, qvia facta paſtorum oris gladio ferienda non ſunt, qvanqvam,,
rectè reprehendenda videantur. Ideò iſta dicimus, qvia in ſcriptis veſtris reperimus,,,
qvosdam Epiſcopos veſtris in partibus à propriis ovibus accuſatos], aliqvos videlicet,,
ex ſuſpicione & aliqvos ex certâ ratione, & idcirco quosdam ſuis eſſe rebus exſpolia-,,
tos, qvosdam verò à propriâ ſede pulſos. Qvos ſcias, nec ad ſynodum comprovincia-,,
lem, nec ad generalem poſſe convocari, nec aliqvid dijudicari, anteqvam cuncta qvæ,,
eis ablata ſunt legibus poteſtati eorum redintegrentur. Prius ergò oportet omnia il-,,
lis legibus redintegrari, & Eccleſias qvæ ſibi ſublatæ ſunt, cum omni privilegio ſuo,,
reſtitui, & poſtmodum non ſub anguſti temporis ſpacio, ſed tantum temporis ſpacium,,
eis indulgeatur, qvantum exſpoliati vel expulſi eſſe videntur, anteqvam ad ſynodum,,
convocentur, & ab omnibus qvisqve ſuæ provinciæ Epiſcopis audiantur. Nam nec,,
convocari ad cauſam nec dijudicari poteſt exſpoliatus vel expulſus, qvia non eſt pri-,,
vilegium, qvo exſpoliari poſſit jam nudatus. Unde & antiqvitus decretum eſt, omnes,,
poſſeſſiones, & omnia ſibi ſublata atqve fructus cunctos ante litem conteſtatum, prece-,,
ptor vel primas [legendum arbitratur Blondellus: *perceptos vel primo*] *poſſeſſo-,,*
ri reſtituat. Et alibi ſcriptum habetur: Ille qvi violentiam pertulit univerſa in ſta-,,
tu, qvo fuerant, recipiat, & qvæ poſſidet ſecurus teneat. Et alibi in ſynodalibus pa-,,
trum decretis & Regum edictis legitur ſtatutum: Redintegranda ſunt omnia &c.,,
uti ſeqvitur in textu.

§. 3. Per Synodalia Patrum decreta ſine dubio intelligi voluit Pſeudo-Johannes decreta Concilii Romani V. ſupra memorati, tum & alia, qvorum in eodem concilio iisdem verbis generalibus fit mentio. Ut autem idem hoc in Romano V. repeteretur, exinde factum eſt, qvod per diſcordiam cleri & populi Romani Symmacho Anti-Papa Laurentius oppoſitus, & dehinc miſerrima orta fuiſſet cædes, ipſis etiam ſede ſuâ pulſis Epiſcopis. Accuſatus fuerat Pontifex de variis criminibus, datumqve à Rege Theoderico in eam rem viſitator Petrus Albini Epiſcopus, ipſe qvoqve mox Anti-Papa. Poſtqvam verò Symmachus ſe purgaſſet, Laurentio ac Petro relegatis, ipſe non ſui tantùm ſed & aliorum Epiſcoporum ex hoc ſchismate dejectorum omnimodam reſtitutionem qvæſivit, ſimulqve decretum hoc rogavit, ne qvisqvam amplius, qvi ex ovium numero eſſet, paſtorem ſu-

Digitized by Google

um reprehenderet. Vid. Anaſtaſius Bibliothecarius, Bapt. Platina, Baræus & Baleus & alii *in vitâ Symmachi*.

§. 4. De reprehenſione paſtorum articulus, qvatenus ab ovibus fieri poſſit aut debeat, ad noſtram hanc inſpectionem non pertinet. Eam tamen jure fieri rectiùs aſſeritur. Vid. Hülſemann. *de corrept. frat.* §. *3. num. 109.* Nec dubium eſt, principium hoc in Eccleſiâ Romanâ ideò receptum fuiſſe, ut ἀνυπεύθυνον ſe eo facilius facere poſſet Pontifex Romanus. Hoc ipſo enim tempore ab Ennodio hyperaſpiſte Symmachi doceri cœpit; Epiſcopos Romanos cœlo tantùm rationem reddere. Et, qvod ipſi Symmacho tribuit Gratianus *c. non nos 1. diſt. 40.* Petrum perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiæ miſiſſe ad poſteros, & ſi in Papa deſint bona acqviſita per meritum, ſufficere, qvæ à loci deceſſore præſtantur.

§. 5. Alterum verò de reſtitutione ſpoliatorum qvod definit Pontifex, ad noſtrum pertinet ſtudium. Summa ejus hæc eſt: Non poſſe ad Synodum qvalemcunqve ſive provincialem ſive generalem vocari, neqve judicio ullo conveniri Epiſcopos poſſeſſione ſuâ dejectos, anteqvam plenè reſtituti fuerint. Gratianus omittit id, qvod de accuſatione & conventione judiciali, cujus ſcil. gratia reſtitutio facienda ſit, definiverat Pſeudo-Johannes, & ſolam reſtitutionem urget, eum fortè in finem, ne qvis putet, non aliàs fieri debere reſtitutionem, niſi judicio pulſandi Epiſcopi fuerint. Et in ſummâ hoc dicit, Epiſcopos rebus ſuis ſpoliatos reſtituendos eſſe.

§. 6. Idem hoc jure civili conſtitutum eſt, qvippe qvod & ipſum reſtitutionem ſpoliatorum, plurimis remediis poſſeſſoriis procurare ſolet, de qvibus videri poteſt Joh. Althuſ. *in dicæolog. l. 3. c. 18. n. 11. ſeqq.* Nec videtur Pſeudo Johannes qvicqvam novi conſtituere voluiſſe, cum diſertè dicat in verbis canonem hunc proximè antecedentibus ſtatutum hoc legi in ſynodalibus patrum decretis & Regum edictis, & paulo ante: ablata poteſtati eorum legibus redintegrari debere. Et in verbis ſeqventibus iterum provocat ad leges ſeculi. Ut adeò Cujacius *ad c. penult. X. de reſtitut. ſpol.* rectè ſtatuat, canonem hunc nihil novi inducere, ſed hoc tantum velle, qvod etiam jure civili locum obtinet, ut etſi interdictum unde vi ſit annale; tamen rerum vi ablatarum, qvæ extant, ut ſit perſecutio perpetua *l. pen. ff. de interdict. l. 28. in fin. ff. de dol.*

§. 7. Et

Digitized by Google

§. 7. Et qvid verò opus fuiſſet conſtitutione Innocentii III. *in c. ſæpè 18. X. de reſtit. ſpol.* ſi, qvod volunt Interpretes, tàm latè patuiſſet diſpoſitio hujus canonis, ut adverſus qvemcunqve poſſeſſorem qvovis tempore agere ex eo liceret. Præſuppoſito hoc, valdè levem & truffatoriam eſſe illam Innocentii proviſionem dicit Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 45. gloſſ. 1. n. 8.* cùm latiùs jam tùm ſubventum fuiſſet per noſtrum canonem integris ferè ſeptem ſeculis antiqviorem. Ex qvo intelligere licet, Innocentii ætate tàm laxum hujus canonis interpretamentum nondum cognitum fuiſſe. Add. Jac. Menoch. *remed. recup. XV. n. 5. ſeqq.*

§. 8. Et hæc fortaſſe fuit cauſa, qvod apud Friſios remedium hujus canonis in praxi non ſit receptum, uti refert Johannes â Sande *deciſ. lib. 5. tit. 4. def. 1.* Qvia enim iſtud ex ſe nihil ſingulare continet, & qvæ â Doctoribus ſubinde cumulantur, nullum inde robur accipiunt, ſed peregrina prorſus ſunt, atqve ex obtortis qvibusdam verbis inferuntur, ipſa etiam pleraqve ab omnibus non comprobantur, & proinde praxis planè dubia & intricata redditur, ſatiùs duxerunt Friſii prorſus abſtinere, qvàm ſua ſubinde judicia fori diſputationibus & pragmaticorum tricis exponere.

§. 9. Ait Pſeudo-Johannes: *redintegranda eſſe omnia,* ut ſignificaret, omnia in priſtinum ſtatum & integrum eſſe reſtituenda, & addit *omnia,* notam ſcil. univerſalitatis, qvia integrum dici neqvit, cui aliqvid deeſt. Atqve ſic reſtitutionem fieri debere notant Doctores, ut nec unicus qvidem deſit denarius. Andr. Tiraqvell. *de judic. in reb. exig. ferend. fol. 90. num. 34.* ſive uti, paulo poſt in hoc canone per modum explicationis dicitur, ut *FUNDITUS* revocentur omnia.

§. 10. Seqvitur in canone: *expoliatis vel ejectis Epiſcopis.* Qvæ verba ſollicitè qvidam diſtingvunt, & ſub vocabulo *EJECTIS* nudos volunt comprehendi detentatores, ut hinc conficiant, non poſſeſſoribus tantùm, ſed nudis etiam detentoribus, hoc remedio ſuccurri. Sed nihil hoc eſſe & ejectum etiam Epiſcopum, dum tamen Epiſcopus eſt, poſſeſſorem fuiſſe rectè notat Menoch. *remed. recup. XV. n. 50.* Differentia ſi qvæ inter ſpoliatos & ejectos Epiſcopos ſtatui debet, exinde proveniet, qvod in verbis anterioribus Pſeudo-Johannes Epiſcopos qvosdam ſuis eſſe rebus exſpoliatos, qvosdam verò â propriâ ſede pulſos referat.

Digitized by Google

§. 11. Pergit Pſeudo-Johannes: *præſentialiter ordinatione Pontificum, &c.* Legere mavult David Blondellus; *per ſententiam & ordinationem.* Sed enim nulla emendandi forte ſubeſt neceſſitas. Eo enim tempore, qvo hic & alii canones conſcripti fuerunt, non peregrinis tantum dictionibus, ſed etiam barbariſmis atqve ſolœciſmis qvampluribus omnis latina ſvavitas infecta atqve contaminata erat. Et ſic *præſentialiter redintegrare* dixit Pontifex pro *præſentem facere aut exhibere*, qvod ſcil. non ſufficiat, ſpoliatorem ſpoliato permittere, ut is res ſuas, ubi ubi invenerit, auferat, ſed qvod ipſe exhibere & reponere debeat res ablatas in eum locum, in qvo ante ſpoliationem fuerunt. Et hoc fieri debere ait ORDINATIONE ſive ex ordinatione aut ſecundum ordinationem Pontificum.

§. 12. Deinde ait Papa: *& in eo loco, unde abſceſſerant, funditus revocanda.* In ipſa Pſeudo Johannis epiſtolâ ſic legitur: *& in eorum unde abſceſſerunt, poteſtatem funditus revocanda*, qvomodo etiam legitur in decreto Concilii Romani V. ſub Symmacho. Atqve hinc legendum putat Blondellus: *revocandi qvicunqve &c.* Sed retineamus nos lectionem Gratiani, & explicanda ſic erunt verba de rebus ablatis, qvod in eo ipſo loco, unde ablatæ ſunt, reſtitui à ſpoliatore debeant, qvod & in rei vindicatione aliqvando locum habet *l. 12. ff. de R. V.*

§. 13. Qvod ait Johannes: *qvâcunqve conditione temporis*, ſic accipere debemus, ut intelligamus non qvantitatem & excurſum temporis, qvoad ſcil. ſpoliato uti hoc remedio liceat, ſed qvalitatem, eamqve vel cum Andrea Fachineo *lib. 8. c. 13.* referamus ad actum reſtitutionis, hoc ſenſu, qvod reſtitui debeant ſpoliati, ſive ſit tempus belli ſive pacis, captivitatis aut violentiæ aut qvodcunqve aliud; vel potius cum Menochio *dict. remed. XV. n. 422.* ad actum ſpoliationis, ut ſit ſenſus, redintegrandum eſſe ſpoliatum qvovis tempore, ut nulla ſit differentia inter unius vel alterius ſpoliationem.

§. 14. Refert deinde Johannes modos, qvibus ſpoliatio facta fuerit. Nihil referre inqvit, utrum *captivitate, aut dolo, aut violentâ majorum & per qvascunq; injuſtas cauſas res perdidiſſe noſcuntur.* In epiſtolâ ipſa pro *aut violentia majorum*, habetur: *aut virtute majorum.* Blondellus legere mavult: *aut ſeveritate majorum.* Nos Gratianum, qvi correctius exemplar habuiſſe præſumitur, ſeqvemur, qvanqam aſſeverare neqveamus, nullam hîc factam ab eo interpolationem.

§. 15. Et

§. 15. Et qvidem violentiâ & captivitate qvin ſpolium committatur, dubium non eſt. Sic enim eum qvoqve dejectum videri, qvi in poſſeſſione ſuâ vinctus eſt, reſpondet Ulpianus *l. 1. §. 47. ff. de vi & vi arm.* De dolo autem dubitare qvis poſſet, num, qvi dolo alterum poſſeſſione rerum ſuarum privat, perinde teneatur, atqve ille qvi vim infert? Et ſanè interdictum unde vi non ſemper manibus exercitam & obtorto collo factam dejectionem exigit; ſed ille etiam vim facit, qvi non ſinit poſſidentem eo, qvod poſſidebat, uti arbitrio ſuo, qviqve liberam poſſeſſionem adverſarii non relinqvit. *l. 11. ff. de vi & vi arm.* Idcircoque ſi quis de agro ſuo vel de domo proceſſiſſet nemine ſuorum relicto; mox revertens prohibitus ſit ingredi vel ipſum prædium, vel ſi qvis eum in medio itinere detinuerit & ipſe poſſederit, vi dejectus videtur *l. 1. §. 24. ff. eod.* Atqve ſic dolo occupata alterius poſſeſſio in violentam degenerat, qvando priſtinus poſſeſſor ingredi prohibetur. Et talis dolus hîc intelligitur. Qvâ ratione etiam interdictum unde vi adverſus eum proponitur, qvi dolo malo fecit, qvo qvis armis dejiceretur *l. 3. §. 12. ff. de vi & vi arm.* Ut jam taceam, dolum cum omni delicto & ſic etiam cum violentiâ & captivitate concurrere.

§. 16. Qvod ait porrò Pſeudo-Johannes: *aut per qvascunqve injuſtas cauſas*, ita erit interpretandum, ut non aliæ intelligantur cauſæ, qvàm ex qvibus poſſesſionis recuperandæ remedia locum inveniunt. Novum enim aliqvod hîc conſtitui fruſtra aſſeritur, cum ipſe Pontifex, uti ſupra dixi, non aliud qvàm qvod conſtitutum jam eſt, intellectum velit. Nec verò illo adhuc tempore qvisqvam Pontificum legislatoriam poteſtatem uſurpavit, ſed legibus Cæſareis & parebant ipſi, & in formandâ Rep. Eccleſiaſtica lubentes utebantur, uti prolixè oſtendit Car. Molinæus *de monarch. Francor. num. 160. ſeqq.*

§. 17. Ultima Canonis verba *res Eccleſiæ vel proprias, id eſt, ſuas ſubſtantias*, ſive ut apud Pſeudo Iſidorum legitur, *aut ſubſtantias ſuas*, rerum omnium, qvotqvot ablatæ fuerunt reſtitutionem ſine diſcrimine fieri debere innuunt. Solet enim peculium Clericorum ferè triplex ſtatui, ita ut conſtet vel ex propriis Clericorum bonis, vel ex bonis Eccleſiæ, vel deniqve ex bonis intuitu Eccleſiæ acqviſitis. Andr. Vallenſ. *tit. de pecul. Cler.* Qvicqvid horum ablatum fuerit, id reſtitui oportet.

CAP.

CAPUT III.

DE ACTORE, SIVE EO, CUI REMEDIUM EX HOC CANONE COMPETIT.

§. 1.

SUbjectum operans & agens, cui remedio hoc ſubvenitur, ex verbis textus ſunt Epiſcopi ſpoliati vel dejecti. Nec enim de aliis tùm cogitavit Pontifex, cùm hæc ſcriberet, qvia neqve de aliis mota qvæſtio fuerat, qvanqvam vera ſit propoſitio univerſalis, omnes ſpoliatos in omnibus eſſe reſtituendos. Et jam *cap. præced.* expoſui occaſionem & ſpeciem rei geſtæ, qvæ fecerit, ut de Epiſcopis reſponderet Pontifex, ſive potius patres in concilio Romano V. congregati.

§. 2. Totum hoc igitur, qvod ex literâ canonis intellectui ſiſtitur, meram continet translationem & applicationem theſeos ad hypotheſin, juris conſtituti ad factum, generis ad ſpeciem, atqve ſic exemplum proponit generalis de reſtitutione ſpoliatorum axiomatis. Et in hoc exemplo totus hujus canonis ambitus ſubſiſtit, neque cujusquam alterius mentionem facit, ſed tantùm, qvatenus reſtitui debeant Epiſcopi dejecti, exponit.

§. 3. Qvod ſi de reſtitutione ſpoliatorum anteà nihil qvicqvam in genere conſtitutum fuiſſet, fateor utiliter hic adhiberi poſſe interpretationem extenſivam, ſive progreſſionem de diſpoſitivo expreſſo ad non expreſſum vel propter identitatem vel propter paritatem rationis, de quo interpretationis modo ſubtiliter & ſolidè agit Franzkius *tit. de legib. num. 24. ſeqq.* Et hâc ſcilicet ratione ex qvamplurimis conſultationibus in Codice Juſtinianeo contentis, & ad factum adornatis jus elicitur ſimili facto applicandum, *l. 1. §. 1. ff. de conſtitut. Pp. l. ult. C. de legib.* Sed quia ultra id, quod jam ante conſtitutum eſt, nihil omninò in præſenti canone continetur, fruſtra inde aliqvod jus novum expectabitur.

§. 4. Doctores communiter in alia omnia progrediuntur, & præter Pontificis intentionem, ſubjectum, cui ex hoc remedio ſubveniri debeat, tàm

tàm amplum faciunt, ut ipſos etiam notiſſimos juris terminos egrediantur qvandoqve. Pontifex hoc agit, ut jus conſtitutum applicet. Interpretes, ut jus novum qvod fingunt explicent. Ille ut reſtringat, iſti, ut amplient. Ille ut caſum propoſitum ex legibus & jure definiat, iſti, ut ex hâc definitione novum jus faciant. Ille in qvæſtionũ genere definito, iſti in infinito verſantur. Ille de ſolis Epiſcopis agit, iſti de aliis omnibus. Et iſtiusmodi talis interpretatio in plerisqve omnibus hujus canonis articulis occurrit.

§. 5. Plus cæteris tamen hîc vidit Johannes Petrus de Ferrariis *in prax. tit. 8. gloſſ. 6. in fin.* qvando canonem hunc ſolùm in Eccleſiâ procedere contendit, etſi trepidè id aſſerere videatur, cùm in verbis antecedentibus multo latiorem ejus fecerit explicationem, à qvâ tamen receſſiſſe videri poteſt, cùm poſteriora derogent prioribus, uti habet vulgatum JCtorum axioma. Sunt verò poſt eum adhuc plures, qvibus aliorum extenſiones & ampliationes non usqveqvaqve probantur, qvos refert Antonius Gabrielius *lib. 5. comm. concluſ. tit. de reſtitut. ſpol. concluſ. 5. num. 1.* & maximè inter hos eminet Jacobus Menochius *remed. recup. XV. n. 13. ſeq.*

§. 6. Sed hîc vim faciunt Doctores, & agmine facto, coadunatis viribus communis opinionis μορμολύκειον obtendentes, canoni huic tàm animosè inſident, ut verum ejus ſenſum prorſus excludant, digni qvi ex eo ipſi conveniantur, & ad reſtitutionem condemnentur. Qvia tamen difficulter eorum evitatur conſortium, qvod in foro veluti imperent, & leges præſcribant, faciamus interim cum illis, & analecta eorum excutiamus, ſalvo jure diverſam qvandoqve ex cathedrâ defendendi ſententiam.

§. 7. Hoc igitur principii loco ponunt, dari hoc remedium generaliter omni illi, qvi injuſtè poſſeſſione excidit. Gail. *l. 2. obſ. 75. num. 10.* ſive Epiſcopus is fuerit & Clericus ſive Laicus, Auguſtin. Barboſ. *ad h. t. num. 4.* Ant. Theſſaur. *Deciſ. 29. n. 1. in f.* Roland. à Valle *vol. 2. conſil. 50. n. 3.* Qvamvis enim hoc remedium fuerit ab Eccleſiâ & Eccleſiaſticis Viris & pro rebus Eccleſiaſticis principaliter inventum, tamen noluerunt inventores denegare illud remedium laicis pro poſſeſſione rerum ſuarum recuperandâ, uti ait Caſpar Caballinus *milleloq. 709. part. 2.*

Ita reſponderunt Domini an Lubbert Müllers Befreundte zu Berlin menſ. Auguſt. 1641. Ob nun gleich der itzige Beſitzer des Vorwercks Tempelhoff vorwendet/ daß Lubbert Müller kein Clericus, ſondern Laicus wäre/ Er auch ſeines Theils bonam fidem &

Digitized by Google

titulum vor ſich hätte/und Lubbert Müller nunmehr dieſe Sache über zehen Jahr unfortgeſtellet liegen laſſen/ Dennoch aber und dieweil der angezogene Canon ſo wohl auff die Laicos als Clericos bewehrter Rechts-Lehrer Meynung nach zu extendiren/ und kein rechtmäßiger titulus allhier verhanden / auch ſolches ohne Verhinderung der vorgeſchützten zehenjährigen præſcription diſsfalls gar wohl geſchehen mag. So erſcheinet nunmehr daraus allenthalben ſo viel/ daß gedachten Lubbert Müllern geſtalten Sachen und Umſtänden nach actionem aus angezogenem canone redintegranda 3. q. 1. wider den Herrn Beſitzer des Vorwercks Tempelhoff anzuſtellen unbenommen / und wenn er obige Umſtände beybringet/ iſt er ohne vorgehenden ordentlichen Proceß vollkömmlich zu reſtituiren/ auch ehe und zuvor er dergeſtalt reſtituirt/ in der Hauptſache mit ermeldten Herrn Beſitzer zu zuverfahren ſchuldig. V. R. W.

§. 8. Nec diſtingvunt inter poſſeſſores, utrum verè tales fuerint, an nudi detentores, ſiqvidem & his competere tale remedium volunt. Stephan. Aufrer. ad Capell. Tholoſ. *quæſt. 488. n. 2.* Cæſ. Contard. *de momentan. poſſeſſor. limitat. 21. n.* 11. Sig. Scaccia de appell. *q. 17. limit. 6. memb. 6. n. 50.* Et proinde non domino tantùm, ſive directum is habeat dominium, ſive utile, & illi tùm qvoqve, qvando hic alienat ſine conſenſu & non reſervato jure illius. Rot. Roman. *part. 1. deciſ. 282.* ſed etiam uſufructuario, Stephanus Gratian. *diſcept. forens. cap. 311.* Commodatario & Depoſitario, Ant. Gabriel. *comm. concluſ. lib. 5. tit. de reſtit. ſpol. concluſ. 5. n. 4.* Vincent. Carocc. *de depoſ. part. 1. tit. de caſ. num. 28.* (diſſent. Menoch. *remed. recup. XV. n. 49. ſeq.*) colono & inqvilino, And. Vallenſ. *tit. de reſtitut. ſpol. §. 3. n. 2.* etiam ei, cui res precario conceſſa eſt, Menoch. *d. l. 55.* aliisqve pluribus condictionem ex hoc canone dari contendunt.

§. 9. Et ut pleræqve omnes actiones rei perſecutoriæ heredibus dantur, ſic etiam actio ex hoc canone heredibus dejecti applicari ſolet. Ratio eſt, qvia heres repræſentat perſonam defuncti in jure creato activè & paſſivè. Roland. à Valle *vol. 2. conſil. 50. n. 15.* Et propterea etiam ad heredis heredem jus iſtud tranſit. Idem *vol. 4. conſil. 32. n. 6.* Utrum verò etiam ad ſingularem ſucceſſorem æqvè tranſeat, video agitatum à Menochio *d. remed. XV. num. 64.* ſed parum explicate, miſcendo ſcil. ea, qvæ ad ſeqventem, ſub *num. 67.* conten-

Digitized by Google

tentam qvæſtionem magis ſpectant. Ego ſimpliciter aſſero, non tranſire ſine ceſſione. Regulariter enim ſine ceſſione obligatio vel actio perſonalis alteri non qværitur. Joh. Sichard. *ad l. 12. C. de jur. dot. n. 4.* Cedi autem hoc remedium poſſe neminem adhuc vidi, qvi neget. Vid. Ant. Tiraqvell. *de retract. lignag. §. 26. gl. 3. n. 18.* Ant. Fab. Cod. *lib. 4. tit. 29. n. 7.* Marius Giurba *deciſ. 11. n. 8.* Qvod verò Menochius & ante eum Johannes Mohedanus *deciſ. 40.* qvem ſeqvitur Johan. Aloyſ. Riccius *deciſ. 950.* ideo dari hanc actionem ſucceſſori ſingulari putant, qvia ſit actio in rem ſcripta non cohæret. Actio enim in rem ſcripta dicitur ratione rei conventi aut conveniendi, non ratione actoris, paſſive non activè, qvod conveniri poſſit, qvi poſſidet. Joh. Coraſ. *l. 1. miſcell. 21.*

§. 10. Deſcriptionem ſubjecti, cui competat hæc condictio, limitat qvalitas adjecta, qvod ſcil. illi hoc remedio ſubveniatur, qvi injuſtè poſſeſſione excidit. Et qvia in textu dicitur, redintegrari debere omnia, *per qvascunqve injuſtas cauſas* qvis res ſuas amiſiſſe proponatur, cauſarum iſtarum ambitum tàm latum faciunt Doctores, ut nulli planè exceptioni locus ſit, & per hoc regulæ iſtius prorſus abſoluta aſſeratur firmitas, non attendentes, de exſpoliatis & ejectis Epiſcopis textum agere, atqve ſic cauſarum injuſtarum mentionem ad ejectionem & ſpolium commiſſum reſtringendam eſſe.

§. 11. Hinc adeò fit, ut non illum tantum juvari hoc remedio ſtatuant, qvi à judice per immiſſionem alterius ordine juris non ſervato ſpoliatus eſt ſuâ poſſeſſione, Auguſtin. Barboſa *ad h. t. n. 9.* Cæſ. Barz. *deciſ. 53. num. 25.* qvia ſcil. judex taliter procedens pro privato habetur & violentiam committere dicitur. Achill. Perſonal. *de adipiſc. poſſeſſ. n. 251.* Aymo Cravett. *conſil. 302. n. 3.* Anton. Perez. *Cod. unde vi n. 18.* Sed iſtos etiam, qvi exciderunt poſſeſſione ex contractu invalido, vel cui denegatur ſolutio, ſi agens prætendat ſe eſſe in poſſeſſione percipiendi. Joh. Bapt. Coſta *remed. ſubſid. 49. n. 1.* Qvi enim reditum vel cenſum annuum ſolvere detractat, aut ſervitia vel jura debita, puta publicas penſitationes præſtare recuſat, is poſſidentem ſpoliare dicitur. Andr. Gail. *l. 2. obſ. 75. n. 1.*

§. 12. Utrum is, qvi in minorenni ætate tutoris vel curatoris facto vel etiã proprio poſſeſſionem rerum ſuarum amiſit, ſi major deinde factus fuerit, juvari debeat remedio hoc ad recuperandam poſſeſſionem, multa & prolixa eſt diſputatio apud Menochium *remed. XV. n. 105.* id affirmantem.

Digitized by Google

Sed verò, qvid opus erit tùm reſtitutione prætoriâ intra qvadriennium petendâ? de qvâ tantoperè ſolliciti ſunt Dd. qvandoqvidem ad extraordinarium remedium recurrendum non eſt, ubi præſto eſt ordinarium, *l.16.ff. de minor.* præſertim ſi verum eſt, qvod poſt alios ait Cæſar Barzius *deciſ.53. in pr.* remedium, de qvo agimus, ſemper intentatum præſumi, ſi de recuperandâ poſſesſione agatur, qvò etiam inclinat poſt alios Weſenbecius *conſil. 21. n. 29. 30.* Deinde velim ego ulterius informari, utrum putent Doctores, etiam poſt qvinqvennium à minore majore facto agi poſſe hoc remedio ad recuperandam poſſeſſionem in minore ætate ſine decreto alienatam? Id ſi aſſeretur, difficile erit Juſtiniano in *l. fin. C. ſi maj. fact.* ſine expreſsâ conſtitutione novâ obloqvi. Et hactenus ego neminem vidi id aſſerentem.

§. 13. De malæ fidei poſſeſſore rebus ſuis ſpoliato plurima adhuc inter Doctores lis eſt, utrum is remedio hoc uti qveat. Negativam tuentur Anton. Gabrielius *d. lib. 5. tit. de reſtit. ſpol. concluſ. 5. n. 25.* Joh. Gutierrez. *Can. qvæſt. lib. 1. c. 34. n. 76.* qvorum ratio præcipua hæc eſt qvod jus Canonicum malæ fidei nunqvam patrocinetur, neqve foveat occupatores violentos, aut invaſores. Affirmativam verò ſuſtinent Robertus Maranta *part. 4. de ord. judic. diſt. 7. n. 50.* Joh. Menoch. *d. l. n. 61.* moti per *c. 5. X. de reſtitut. ſpol.* & verba Gratiani finalia ſub *can. Deus 3. q. 1.* Mihi ſententia ſemper viſa fuit optima, qvæ manifeſtum prædonem contra manifeſtum dominum non eſſe reſtituendum, nec ullo remedio juvandum contendit. Vid. Bachov. *in Treutler. vol. 2. diſp. 25. th. 5. lit. C.* Wiſſenbach *ad tit. de vi & vi arm. n. 28.*

§. 14. Qvandoqvidem autem illis tantùm prodeſſe hoc remedium volunt Doctores, qvi injuſtè poſſesſione ſuâ exciderunt, facilè hinc colligitur, ad eos minimè hoc pertinere, qvi culpâ & facto ſuo exciderunt. Marc. Ant. de Amatis *deciſ. 40. n. 13.* Aug. Barboſ. *ad h. t. n. 7.* Roland. à Valle *vol. 2. conſil. 50. n. 26. & vol. 4. conſil. 72. n. 2.* Carpzov. *part. 2. conſt. 8. def. 2.* Qvi enim facto ſuo cecidit à poſſesſione, ut eſt is, qvi ipſe contraxit, aut contrahenti ſucceſſit, ſe ipſum ſpoliat, non ab alio ſpoliatur. Anton. Fab. *Cod. lib. 8. tit. 3. def. 8.* Qvâ ratione nec illi hoc remedium prodeſt, qvi paſſus eſt publicè diſtrahi rem, qvam poſſidebat, qvia & is facto ſuo â poſſeſſione cecidiſſe videtur, cum factum & autoritas judicis non creditoris, ſed debitoris factum exiſtimetur. Id. Fab. *d. l. def. 24.*

§. 15. Num eadem ſit ratio negligentis, ſubdubitant Doctores. Pro negativâ ſtat autoritas Capellæ Tholoſanæ *deciſ. 488*, Cæſaris Barzii *deciſ. 48.*

n. 15.

Digitized by Google

n.15.ſeq. Sed affirmativam, qvæ tenet, negligentiam per lapſum decennii continuatam excludere hoc remedium, magis communem eſſe dicit Ant. Gabriel. *d. concluſ.5.n.28.* Joh. Carol. Antonell. *de temp. legal. l. 2. c. 91. num. 4.* Qvæſtio hæc ad materiam præſcriptionis pertinet, & decidenda hinc erit infra, ubi de duratione hujus condictionis agemus.

§. 16. Cæterùm actum poſtea ex parte ſpoliati ſubſecutum ex qvo conſenſus aliqvis elici poſſet, non purgare violentiam, & cenſeri involuntarium, ex doctrinâ Bartoli notat, & maximum feſtum vivâ voce diſputando ſe feciſſe eâ de re dicit Rodericus Svarez *allegat. 23. n. 9.* Ex qvo conſici poſſet, neqve renunciationem juris competentis inſecutam interdictum unde vi, aut remedium hoc Canonicum excludere, uti ipſe colligit Svarez. Cui ego ideò adſtipulari neqveo, qvia & cedere jure meo & renunciare poſſum pro lubitu. Et qvis verò tùm effectus eſſet renunciationis, ſi uti liceret beneficio, cui renunciatum eſt? Niſi ipſa etiam renunciatio vi exorta fuerit, qvo caſu ſine dubio ſubvenire oportet renuncianti. Et de tali caſu intelligendum videtur, qvod conſtituitur in *c. 2. X. de reſt. ſpol.*

§. 17. Et hactenus Doctorum ſententiæ, qvas qvidem univerſas & ſingulas in conflictu diſputantium defendere, & ſuſtinere haud qvaqvam auſim. Qvin potius noſtra ſententia hæc eſt, non aliis competere hoc remedium, ſi qvod eſt, præterqvam illis, qvibus interdicto unde vi experiri licet. Practicis qvod receptum eſt in foro, ament illi ſine rivali, ſuisqve fruantur deliciis. Nobis non licet eſſe tàm perſpicacibus.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO PATIENTE SIVE REO, ADVERSUS QVEM CONDICTIO EX HOC CANONE INSTITUI POTEST.

§. I.

DUbium non eſt, dari hoc remedium adverſus omnes illos, adverſus qvos interdictum unde vi locum habet. Dabitur ergo adverſus eum, qvi vi alium dejecit, etſi ipſe amplius non poſſideat, & ſive dolo malo, ſive culpâ aut etiam ſine culpâ, poſſidere deſierit *l. 1. §. 34. 35. 36. l. 15. l. 19. ff. de vi & vi arm.* & ſive juſtam poſſeſſionis cauſam prætendere qve-

 at,

Digitized by Google

at, qvia fortè antea dejectus ipſe fuerat, ſive injuſtam *l. 1. ff. 30. l. 3. §. 9. l. 7. eod. ff. 6. Inſt. de interdict.* ſive ipſe dejecerit, an familia vel ejus nomine, juſſu, & rati habitione alius *d. l. 1. §. 11. 12. l. 3. §. 11. eod.* Sic & adverſus heredem, & bonorum poſſeſſorem, perinde ut ex cauſa interdicti actio in factum competit in id, qvod ad eos pervenit, dolove malo eorum factum eſt, qvo minus perveniret, *l. 1. §. f. & l. 2. eod.*

§ 2. Et hoc eſt ſcil. qvod in canone refertur, captivitate, dolo, aut violentiâ res oportere eſſe deperditas, ut reſtitutio locum habeat. In omnibus enim iſtis caſibus etiam interdictum unde vi locum habet. De violentiâ nemo eſt qvi dubitat. De captivitate reſpondet Ulpianus *l. 1. §. 47. ff. de vi & vi arm.* eum qvoqve dejectum videri, qvi in poſſesſione ſuâ vinctus eſt, etſi paradoxon videri qveat, manere in poſſesſione & tamen dejectum dici. De dolo diſertus eſt textus in *l. 3. §. 12. ff. de vi & vi arm.* Hoc interdictum, ait ibi JCtus, etiam adverſus eum proponitur, qvi dolo malo fecit, qvo qvis armis dejiceretur.

§. 3. Dejectio ſcil. & ſpoliatio locum facit & interdicto, & huic remedio. Nec aliàs tenetur qvis, niſi qvatenus iſtius dejectionis participem ſe fecerit, qvatenus ſcil. vel ipſe dejecit, vel dejectionem mandavit, aut ratam habuit *d. l. 1. §. 11. 12. & ſeq. ff. eod.* Non intereſt, dominus fuerit qvi dejecit, an alius, qvia agenti remedio hoc non poteſt opponi exceptio proprietatis. Vincent. de Franchis *deciſ. 90. num. 3.* Anton. Gabriel. *l. 5. comm. concluſ. tit. reſtit. ſpol. concluſ. 5. n. 142.* ut tamen, qvod ſupra dixi, excipiatur caſus, qvo negocium eſt inter manifeſtum prædonem & manifeſtum dominum. Vid. Petr. Paul. Pariſ. *conſil. 1. n. 169.* H. Zoeſ. *tit. de vi & arm. num. 17. ſeq.*

§. 4. Multo magis igitur dabitur hoc remedium adverſus eum, qvi propter jus aliqvod infirmius, qvod in re habet, poſſidentem dejicit. Nec enim cuiqvám licet propriâ autoritate ſibi jus dicere, aut alterius poſſesſionem invadere, adeò ut nec creditori liceat citra conventionem vel præſidialem juſſionem debiti causâ res debitoris arbitrio ſuo auferre *l. 11. C. de pign. act.* Conventionis autem lege exiſtente, qvi ingreditur poſſesſionem, vim qvidem facere non videtur, attamen autoritate præſidis poſſesſionem adipiſci debet *l. 3. C. de pignor.* Vid. Matth Coler. *de proceſſ. execut. p. 1. c. 5. n. 14. & p. 3. c. 5. n. 29.* Cujac. *l. 16. obſ. 12.* Bachov. *de action. diſp. 3. n. 38. circa fin. & ad Treutl. vol. 1. diſp. 11. th. 5. in fin.* Franzk. *tit. de pignor. n. 44.* Vincent. Hondedéus *p. 2. conſ.*

Digitized by Google

2. *conſ.* 21. Achill. Perſonal. *de adipiſc. poſſ. num.* 291. *ſeq.* Carpzov. *lib.* 1. *reſponſ.* 5.

§. 5. Dari porrò volunt Interpretes hoc remedium etiam adverſus illum, qvi à minore rem immobilem emit non ſervatâ ſolennitate per ſtatutum reqviſita. Rol. à Valle *vol.* 3, *conſil.* 41. *n.* 35. item adverſus Creditorem pupilli, qui ſub haſtâ quidem fundum pupillarem emit, & à judice in poſſeſſionem ejus mittitur, miſſionem tamen illam tutori pupilli non denunciavit. Ant. Fab. *Cod. lib.* 8. *tit.* 3. *def.* 12. & multo magis adverſus eum, qvi ex ſubhaſtationibus nullis & contra ſtatuti formam factis rem poſſidet. Id. Fab. *d. l. def.* 22.

§. 6. Non dari hoc remedium adverſus eum, qvi poſſidere deſiit ſtatuit David Mevius *part.* 5. *deciſ.* 93. ideò ſcil. qvia is, qvi convenitur, reſtituendi facultatem habeat neceſſe eſt, qvam non habet, qvi deſiit poſſidere, etſi dolo deſiit. Mihi ſecus videtur. Nec enim præcisè neceſſe eſt ad condictiones tales, qvibus tenetur prædo, raptor & qvicunque violentus poſſeſſor, ut rem ipſam reſtituat, qvod phyſicè impoſſibile eſt, non eo tantum caſu, quando rem ipſe dolo aut ſine dolo alienavit, ſed etiam qvando res prorſus extincta eſt; Sed imò ſufficit, ut condemnari is queat ad totam rei æſtimationem præſtandam, omnisqvè ejus qvod inter eſt, qvò pertinet textus in *l.* 8. *ff. de condict. furtiv.* Poſt interitum namqve rei, æſtimatio eſt in obligatione *l.* 21. & 23. *ff. de conſtit. pecun. l.* 91. *§. pen. ff. de V. O.* Neqvè video, cur interdictum unde vi competat adverſus eum, qvi poſſidere deſiit *l.* 1. *§.* 36. *l.* 15. *l.* 19. *ff. de vi & vi arm.* & hoc remedium, qvod multo pingvius eſſe aſſeritur, competere non debeat.

§. 7. Adverſus heredem ſpoliatoris actionem in factum dari dixi ſupra ex *l.* 1. *§. ult. ff. de vi & vi arm.* ideò ſc. qvia interdictum ipſum non datur *l.* 35. *ff. de O. & A.* & quidem in id, qvod ad eum pervenit, ut ſcil. lucrum ei extorqveatur *d. l.* 35. ad normam aliarum actionum ex delicto venientium. *l.* 38. *l.* 44. *ff. de R. J. l.* 5. *ff. de calumniat.* Sed quid eſt, quod dicitur in textu noſtro, redintegranda eſſe omnia, qvæ violentia *majorum* perdita fuerunt? Sic enim majores appellantur, qvi ſunt inter parentes *l.* 10. *§.* 7 *ff. de grad. cognat.* & quandoqꝫ illi, quorum hæreditatem acqvirimus, & in quorum adeò locum ſuccedimus, uti eſt ad præſens negocium maximè illuſtris textus in *l.* 11. *C. de acq. poſſ.* ubi dicitur, vitia poſſeſſionum à majoribus contracta perdu-

Digitized by Google

durare & ſucceſſorem autoris ſui culpam comitari. Vid. Cujac. *ad c. ſæpè 18. X. de reſtitut. ſpol.* Si igitur, qvæ violentiâ majorum occupata ſunt, redintegranda ſunt omnia, non id tantùm, quod ad heredem pervenit, reſtituendum erit. Atqve ſic aliqvid ſingulare in hoc canone conſtitutum videtur. Ego mendum ſubeſſe arbitror, & pro violentiâ majorum legere malo: *violentiâ majore*, duplici ſenſu, vel qvod major dicatur violentia, qvæ ſuperat captivitatem, vel qvod non excuſetur ſpoliator, ut maximè, per vim majorem, qvam Græci θεῦ βίαν appellant, *l. 25. ʃ. 6. ff. locat.* rem oblatam deperditam eſſe excipiat, qvia ſcil. caſus fatalis eum â reſtitutione non liberat *l. 1. §. 34. ff. de vi & vi arm.* Niſi hoc modo corrigatur textus, difficile erit ad ſtatum cauſæ, qvem ſupra *cap. 2.* formavi, verba applicare.

ʃ. 8. Adverſus tertium poſſeſſorem ſingularem non dari hoc remedium, argumentum eſt, qvia nec interdictum unde vi adverſus eum competit, *l. 7. ff. de vi & vi arm.* Jam ſæpè enim dixi, nihil novi in hoc canone conſtitutum eſſe, & nil niſi jus commune referri. Ratio *d. l. 7.* eſt, quia actio perſonalis, qualis eſt interdictum unde vi, non ſequitur fundum h. e. poſſeſſorem rei *l. 1. §. 19. ff. SCt. Trebell.* Interdicta enim licet in rem videantur concepta, vi tamen ipſa perſonalia ſunt *l. 1. ʃ. 3. ff. de interdict.*

§. 9. Hic verò obſtrepentem mihi audio innumerum & Canoniſtarum & Legiſtarum numerum, qui ferre vix poſſunt, abſolvi ita tertium poſſeſſorem, qvo minus conveniri ex hoc remedio qveat. Generaliter hîc traditum eſſe ajunt, eum qui quovis modo rerum ſuarum poſſesſione privatus eſt, à quovis poſſeſſore reſtitui debere. Credam ego, ſi hanc mihi traditionem oſtenderint. Sed cùm nihil qvicquam de quovis poſſeſſore in textu habeatur, veniam dabunt illi, ſi quid ego ſentiam diverſum, & nudæ eorum aſſertioni illicò non adſtipulet.

ʃ. 10. Eſt verò inter ipſos illos infinita quaſi & non una diſcrepantia. Cum enim poſſeſſores inter ſe valdè differant, & vel bonæ fidei ſint, vel malæ fidei, & inter illos alii ab autore vitioſo, alii à non vitioſo rem acceperint, perpetua hinc naſcitur controverſia quatenus intentare liceat hoc remedium. Qvamplurimi non malæ tantùm fidei poſſeſſorem, ſed omnem etiam alium, qvantumvis bonâ fide & juſto titulo rem posſideat, conveniri poſſe contendunt. Anton. Teſſaur. *deciſ. 29. num. 1.* Joh. Aloyſ. Riccius *deciſ. 357.* Anton. Fab. *Cod. lib. 8. tit. 3. def. 1, & def. 26.* Mynſing. *cent. 3. obſ. 15.* Joſ. Ludovic. *deciſ. 59. n. 7.* Steph. Aufrer. ad Capell. Tholoſ. *quæſt. 488. n. 2.* Gvi-

Digitized by Google

2. Guilielm. Caſſador. *tit. de reſtit. ſpol. deciſ. 7.* Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 7. n. 163.* Cæſ. Barz. *deciſ. 53. n. 29.* Barnab. Cornazzan. *deciſ. 292.* Weſenbec. *conſil. 6. n. 79.* Alii verò adverſus bonæ fidei poſſeſſorem intentari non poſſe hoc remedium, verius putant Andr. Gail. *l. 2. obſ. 75. n. 11.* & ad eum Bern. Greven. *concluſ. 75. conſid. 1.* Andr. Fachineus *l. 8. controv. cap. 12.* Rurſus alii non promiſcuè & indiſtinctè adverſus qvemcunque bonæ fidei poſſeſſorem dari volunt, ſed excipiunt eum bonæ fidei poſſeſſorem, qvi non à ſpoliatore, ſed alio bonæ fidei poſſeſſore rem ex aliqvo juſto titulo accepit. Joh. Gutierrez *qvæſt. canon. lib. 1. cap. 34. n. 65.* Anton. Gabriel. *d. concluſ. 5. n. 13.* Anton. Perez. *Cod. unde vi num. 20.* Jacob. Menoch. *remed. recup. XV. num. 90. ſeq.*

§. 11. Ego perſto in ſententiâ, nullo caſu dari hoc remedium adverſus tertium poſſeſſorem, nec admitto hîc diſtinctionem, utrum bonæ an malæ fidei is fuerit. Certum enim eſt ante Innocentii III. tempora, cujus eſt decretalis in *cap. ſæpè 18. X. de reſtitut. ſpol.* neminem putâſſe, hoc remedio agi poſſe contra tertium poſſeſſorem, qui rem ſpolio ablatam ſcienter recepit, cùm aliàs fruſtra ſuam illic jactaret operam Pontifex. Poſito hoc, uti negari omninò non poteſt, à majori ad minus rectè infero, neqve adverſus bonæ fidei poſſeſſorem ante Innocentii tempora, imò ne tùm qvidem competiiſſe. Magis enim probabile eſt malæ fidei poſſeſſorem judicio conſtringi poſſe, qvàm eum, qvi bonâ fide rem acqviſivit. Viciſſim ordine inverſo infero ex ſententiâ Doctorum à minori ad majus: Si ex hoc canone agi potuit contra poſſeſſorem bonæ fidei, â fortiori agi potuiſſet adverſus illum, qvi ſcienter rem accepit à ſpoliatore, eiqve adeo ſucceſſit in vitium. Sed agi potuiſſe negat Pontifex *d. c. 18.* Ergò adverſus tertium poſſeſſorem ante Innocentii conſtitutionem planè non potuit agi. Vid. Joh. Gutierrez *d. l. n. 61.* Henr. Zoeſ. *ad tit. de vi & vi arm. n. 12.*

§. 12. Difficile tamen eſt ab veterum Doctorum placitis in judicando recedere. Sic enim perſvaſum eſt in foro verſantibus à Baldo, *in l. ult. C. de edict. D. Hadr. toll. n. 56.* antiqvos Doctores magnâ veneratione eſſe præſtantiores modernis, pondere, numero, & menſurâ. Qvo & facit, quòd etiam vulgo antiqviſſimum qvodqve veriſſimum eſſe credatur, ut ita planè fruſtraneum ſit, ſine novâ lege ſententias in foro receptas refellere & abrogare. Qvocirca maluimus nos ad reqviſitionem partium ex ſententia Doctorum, qvam recenſuimus *in fin. §. 10.* reſpondere, qvam novam aliquam,

Digitized by Google

qvalis videri hæc potuiſſet, opinionem non expectantibus obtrudere, & fruſtraneo planè conatu diverſum qvid conari.

Ita ſcil. reſpondimus denen Gr. S. verordneten Herrn Cantzler und Räthen zu S. menſ. Octob. 1665. Wenn nun gleich ꝛc hierüber auch Herr Cläger ſo viel beyzubringen vermeynet / daß die itzigen Herren Grafen die begehrten Lehnſtücke alle lite pendente titulo oneroſo an ſich gebracht / und endlich die Rechts-Lehrer davor halten / daß die praxis des beneficii ex c. redintegranda 3 q. 1. nicht ſtatt habe / ſi ſpoliator conventus probet, quod tempore allegati ſpolii alius vel ipſe poſſederit. Dennoch aber und dieweil Beklagte ſich nicht eben auff eine gewiſſe Zeit / wenn das ſpolium geſchehen ſeyn ſoll / beziehen / auch ſolches bey dem beneficio c. redintegranda nicht nöthig haben / ſondern nur ihre antiqvam, und des Herrn Klägers noviorem poſſeſſionem anführen dörffen / ſolches beneficium auch bewehrter Rechtslehrer Meynung nach adverſus qvemvis poſſeſſorem, ungeachtet er das ſpolium nicht begangen / auch nicht Wiſſenſchafft davon hat / ſondern bona fide die poſſeſs erlanget / ſtatt findet ꝛc. So erſcheinet dannenhero allenthalben ſo viel / daß / in Fall Beklagte beybringen / daß ſie in die begehrten Lehnſtücke würcklich immittiret / Ihnen dieſelben billich reſtituiret werden. V. R. W.

Et in ſimili an L. V. H. Gr. Mandatarium zu W. Menſ. Sept. 1672. Wenn nun gleich das remedium ex c. redintegranda auch wider den tertium poſſeſſorem gebraucht werden kan / und bey demſelben bewehrter Rechts-Lehrer Meynung nach nur dieſes / daß Kläger antiqviorem und Beklagter recentiorem poſſeſſionem habe / dargethan werden darff / welches denn in gegenwärtigen Fall gar leicht beyzubringen iſt / &c. die angeführten exceptiones auch den interdictis recuperandæ und beneficio ex c. redintegranda keines weges entgegen geſetzt werden / noch die geſuchte reſtitution auffhalten mögen. Dennoch aber und dieweil ermeldtes remedium ex c. redintegranda der Rechts-Lehrer beſtändigen Meynung nach contra ſingularem ſucceſſorem titulo & bonâ fide poſſidentem, & cauſam non à vitioſo ſed bonæ fidei auctore habentem nicht gebraucht / noch derſelbe dadurch in Anſpruch genommen

wer-

werden kan &c. So erſcheinet dannenhero ſo viel/ daß Herr Gr. von H. mit ſeiner vorgeſchützten exception intentionis & facti gnugſam fundiret/ und darmit zuhören ſey V. R. W.

CAPUT V.

DE JUDICE ET FORO COMPETENTE.

§. 1.

DE hoc qvidem nulla planè in textu fit mentio. Qvia tamen ex interpretatione Doctorum non Clericis tantùm, ſed Laicis etiam ſpoliatis hoc remedio ſuccurritur, conſeqvens hinc eſt, agitari hanc cauſam in utroqve foro poſſe, Eccleſiaſtico vel civili, prout rei ſpoliatoris conditio vel qvalitas cauſæ exigit. Nec enim hîc ſpeciale qvicqvam conſtitutum reperitur, ſed applicari ad præſentem materiam poterunt omnia, qvæ de foro competente vel conſtituta jure habentur, vel in praxi recepta ſunt. Atqve idcircò agi poterit remedio hoc, uti de poſſeſſione in genere jure civili conſtitutum eſt, vel in foro domicilii, quod habet ſpoliator, vel in foro rei ſitæ, per *l. un. C. ubi de poſſeſſ. agi oport.* & quæ notat ibi Vultejus atque Brunnemannus. Add. Joh. Gutierrez *can. queſt. l. 1. q. 34. n. 5*, Ludov. Poſth, *in tr. mandati de manut. obſ. 6. n. 30.*

§. 2. Commune axioma eſt, actorem ſeqvi debere forum rei, à qvo tamen excipiuntur cauſæ privilegiatæ, qvales ſunt Eccleſiaſticæ, qvas in judicio Eccleſiaſtico agitari moris eſt, adeò ut ad tale judicium citatus Laicus comparere in tali cauſa teneatur, neqve jus revocandi forum habeat. *c. 8. X. de arbitr. c. 5. & 11. X. de for. comp.* Qvando igitur ſpolium commiſſum eſt circa res Eccleſiaſticas, dubium non eſt, competentem judicem eſſe Epiſcopum, & in noſtris hiſce provinciis Conſiſtoria. Vid. Joh. Gutierrez *cánon. qveſt. cap. 34. num. 6. ſeq.* Sed valdè tamen diſputatur adhuc inter Canoniſtas, utrum cauſa poſſeſſoria etiam circa rem ſpiritualem temporalis ſit, & ſecularis, an verò Eccleſiaſtici fori, plurimis in id convenientibus, de poſſeſſione & ſpolio rei ſpiritualis cognoſcere poſſe & debere judicem Laicum, quos ſequitur Alvarus Valaſcus *conſultat. 93. n. 5.* Gvid. Pap. *qvæſt. 1,* Anton. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de beneſic. ad verb. conceſſa cap. 2. §. 1. pag. 436. 437.* Aliter, & cum diſtinctione reſpondet Jacobus Menochius *remed.*

recup. XV. n. 234. Qvare autem poſſeſſoria in cauſis ſpiritualibus judicia Laicis relicta fuerint, optimè exponit Cujacius *ad c. 4. X. qvi fil. ſint legit.* Qvicqvid ſit de Canoniſtarum ſententia, nos hoc jure utimur, ut cauſæ omnes Eccleſiaſticæ in Conſiſtoriis Eccleſiaſticis ventilentur, non attentâ diſtinctione, petitorium an poſſeſſorium inſtitutum fuerit. Sig. Finkelthaus *de jur. patronat. c. 8. n. 9.*

§. 3. Alia eſt ratio bonorum ad patrimonium Clerici pertinentium. Privilegia enim Eccleſiis qvoad earum bona competentia non extenduntur ad Clericos qvoad eorum bona, niſi à jure expreſsè ſtatutum fuerit. Fernand. Vaſqv. *de ſucceſs. lib. 1. §. 10. n. 659.* Per conſeqvens Clericus læſus circa proprias res & ad ipſum pertinentes in reſtitutionis judicio Laicum convenire debet coram judice ſeculari. Didac. Covarruvias *lib. 1. reſolut. c. 4. n. 2.* Sfort. Odd. *de reſtitut. in integr. part. 1. qvæſt. 32. art. 15. n. 125.* Qvanqvam plurimi hîc diſſentiant, qvos refert & ſeqvitur Michael Ferro Manrriqve *de diff. & concord. utr. for. qvæſt. 22. n. 3.*

§. 4. Illud obiter addo, non eſſe diſputandum ampliùs, utrum in terris ſolùm Eccleſiæ, an verò etiam in terris Imperii remedium hoc valeat, qvandoqvidem atteſtante Mynſingero *centur. 3. obſ. 85.* & Weſenbecio *conſil. 6. n. 86.* jam diu id receptum eſt, & in terris imperii hodiè practicari qvotidiana docet experientia. Neq tamen valebit illud aliter, niſi qvatenus receptum eſt; & fieri poteſt, ut in aliqvo foro particulari vel planè receptum non ſit, vel ſaltem non ſecundum omnes doctrinas & ſententias Interpretum ei ſuperadditas.

CAPUT VI.

DE MATERIA CIRCA QVAM, SIVE OBJECTO, PROPTER QVOD REMEDIUM HOC INTENTARI QVEAT.

§. 1.

Objectum hoc ad infinitas cauſarum figuras hodie extendunt Interpretes, neqve dari proinde in negociis humanis qvicqvam poterit, cujus reſtitutionem ex hoc remedio petere non liceat. Vulgaris enim eſt ſententia, non propter res tantum Eccleſiæ & Clericorum, etiam patrimoniales, ſed & propter res Laicorum quascunque ex canone

hoc

hoc remedium dari, Steph. Aufrer. ad Capell. Tholoſ. *quæſt. 488. num. 3.* Caſpar Caballinus *millel. qv. 709* eoqve referunt non immobiles tantum, ſed etiam mobiles. Menoch. *d. l. n. 193.* A. Gail. *l. 2. obſ. 75. n. 11.* neqve corporales tantùm, ſed etiam incorporales. Menoch. *d. l. n. 200.* A. Barboſ. *ad h. t. n. 12.* imò præſtationes omnes tàm reales qvàm perſonales, Anton. Gabriel. *d. concluſ. 5. n. 77.* Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 311. n. 17. ſeq.* Vincent. de Franchis *deciſ. 90. n. 4.* Joh. Aloyſ. Ricc. *deciſ. 950.*

§. 2. Qvod ſi de fundamento hujus tam latæ explicationis qværas, in promptu eſt reſponſio, generaliter dici in textu, omnia eſſe reſtituenda, & ſub iſta univerſalitatis notâ omne id comprehendi, qvod qvomodo libet in poſſeſſione vel qvaſi ſpoliati fuit. Admittam ego, ſi ad exemplum verborum edicti Prætorii in interdicto unde vi QVÆQVE IBI HABUIT explicentur, uti talis explicatio habetur in *l. 1. §. 33. ff. de vi & vi arm.* Interdictum enim iſtud ad res mobiles non pertinet, niſi qvatenus in rebus ſoli, ex qvibus qvis dejectus eſt, reſervatæ & ſimul perditæ fuerunt, *l. 1. §. 6. l. 3. §. 15. ff. de vi & vi arm.* Qvâ ratione neqve pro uſufructu aliter competet interdictum, niſi fundo uti frui qvis prohibitus fuerit, ut ait ibi JCtus. Et hoc modo explicari verba canonis debere, dubium apud me nullum eſt.

§. 3. Sanè verba textus de ſolis Eccleſiæ & Epiſcoporum bonis concepta ſunt, atqve inter ea res ſoli ſive immobilia fuiſſe patet ex eo, qvod ab initio ejecti dicantur Epiſcopi; qvod vocabulum de illis uſurpatur, qvi de re ſolo cohærenti dejiciuntur, *l. 1. §. 4. ff. de vi & vi arm.* ut adeò & fundi & mobilia, qvæ in fundis iſtis fuerunt, reſtitui debuerint ejectis Epiſcopis. Eccur autem ex hâc facti ſpecie, qvæ præter applicationem juris communis nihil continet aliud, jus nobis novum fingamus? & cur latiùs evagemur, qvàm ſcopus & intentio Pontificis patitur? Sic enim ſeorſim pro qvibuscunqve rebus mobilibus & incorporalibus nullâ licet dejectione ex fundo factâ, competere & intentari hoc remedium poſſe communiter ſentiunt Doctores.

§. 4. Qvandoqvidem verò iſtæ paſſim receptæ in foro ſunt ſententiæ, qvis erit porrò inter ſubtiliſſimos JCtos tam audax, qvi impugnare judicia ex hoc capite velit? Cedendum eſt tot ex adverſo ſtantibus Doctoribus & ſuccumbendum non tàm pondere, qvàm numero prementibus, ſi non in

ſcholâ, ſaltem in foro, præſertim qvando communis, qvæ jactatur, opinio ab æqvitate ſe commendat, qvalis eſt extenſiva iſta hujus canonis interpretatio.

§. 5. Ridiculum eſt, qvod dubitatum refert Thomas Grammaticus *deciſ. 82. n. 3.* utrum competat hoc remedium Sacerdoti ſpoliato corpore mortuo jam ſepulto? Humanitatem omnem exuiſſe mihi videbitur iſte Sacerdos, qvi eo uti & reſtitutionem cadaveris petere velit. Manes non eſſe inqvietandos, neqve ſepulchra violanda, non Chriſtianorum tantùm, ſed gentilium etiam ex pietate naturali profecta fuit ſententia, de qvâ videri poteſt Conradus Rittershuſ. *l. 6. ſacr. lect. c. 18.* Deſider. Herald. *ad Tertull. apologet. cap. 37.* Et qvæ ergò hæc impietas eſſet, petere, ut cadaver, qvod ſine præſcriptu Sacerdotis ſepultum fuit, effodiatur, & in priſtinum ſtatum reponatur? Tantum abeſt, ut remedio huic in iſto caſu locum demus.

CAPUT VII.

DE FORMA ET MODO PROCEDENDI ATQVE PROBANDI.

§. 1.

ANteqvam qvicqvam decernatur per ſententiam adverſus præſentem poſſeſſorem, neceſſe eſt, ut præcedat cauſæ cognitio. Andr. Gail. *2. obſ. 76. n. 8.* Intereſt enim poſſeſſoris etiam jus nullum habentis, non amoveri à poſſeſſione, donec conſtet de meliori jure alterius. Cujus rei ratio eſt, qvod melius ſit, poſſeſſorem etiam injuſtum manere in ſuâ poſſeſſione qvamvis injuſtâ vel vitioſâ, qvàm largiri alteri vitioſum ingreſſum de novo. Octavianus Veſtrius *in prax. lib. 5. cap. ult. n. 6.* Hoc ſcil. eſt, qvod ait Imperator *in §. 6. Inſt. de Interdict.* eum, qvi dejecit, cogi reſtituere poſſeſſionem, licet is, cui reſtitutio facienda eſt, ab eo, qvi vi dejecit, vi vel clàm vel precario poſſideat.

§. 2. Judicium autem ſuper hoc interdicto eſt ſummarium, ſicut qvodlibet judicium poſſeſſorium aliud. Anton. Gabriel *concluſ. 5. de reſtit. ſpol. n. 81.* quoad ſufflamen ſcil. ſtrepitumque judicii & diſpendioſas ordinariarum actionum remoras, ut tamen interim ſubſtantialia proceſſus & judicii reqviſita adhibere neceſſe ſit, Petr. Frider. *de interdict. commentar. 2.*

n. 36.

n.36. Ita enim judicium ſummarium dicitur, in qvo de ſimplici & plano, ſummarie & levato qvod ajunt velo absqve ſolenni figurâ judicii proceditur. Carpzov. *in proceſs. tit.* 1. *art.* 1. *n.* 16.

§. 3. Etſi igitur in ſummariis ſine libello procedi qveat, nec litis conteſtatio neceſſaria ſit, *Clem. ſæpe de V. S.* reqviritur tamen aliqualis petitio, qvæ facti narrationem comprehendat, Nicol. Anton. Gravat. ad Octav. Veſtrii *praxin l. 5. c. 2. n.* 10. tum ut judex ſciat, quid agere debeat, tum ut adverſarius deliberare poſſit, an lis ſubeunda ſit, & ut cognitum habeat, qvid & qvantum a ſe petatur. Vid. Oſwald. Hilliger *in Donell. ennucl. l. 23. c. 4. lit. B.* Pari modo etiam ex parte rei conventi actus aliqvis contradictorius, ſine quo lis nulla intelligitur, neceſſarius eſt, qui vicem litis conteſtationis ſubintret, ut conſtare poſſit, de quâ re in his cauſis controverſia ſit, & ut judex de meritis cauſæ judicare qveat, Georg. Obrecht *de lit. conteſt. c. 2. n.* 11. 12. Et in hoc ſenſu accipiendum eſſe puto, quod ſtatuunt Doctores, litis conteſtationem in hoc remedio neceſſariam eſſe, apud Gabriel. *d. l. n.* 115. Qvod ſi enim de ſolenni litis conteſtatione id intellectum velint, uti adſerere videtur Nic. Ant. Gravatius ad Octav. Veſtrii *prax. l. 7. c. 3. n.* 41. nunqvam id admiſero, & reſtitutionem ſpoliatorum celeriter fieri debere, perpetuò obvertam, quandoquidem nemo ignorat, quantum temporis ſpacium ſuper litis conteſtatione legitimè conſtruendâ ſæpiusculè inſumatur.

§. 4. Similiter, quia probatio eſt anima proceſſus, Ventura de Valentiis *in Parthen. litig. l.* 1. *c.* 3. *n.* 43. & à probationibus tota victoria cauſæ dependet, Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 9. n.* 878. Fulv. Pacian. *de probat. l.* 1. *c.* 5. omitti illæ ne quidem in cauſis ſummariis poſſunt, etſi fortè illæ tàm operosè, tantaque cum ſolennitate & apparatu inſtrui non debeant. Joh. Zanger. *de except. part.* 1. *c.* 2. *n.* 25. *ſeq.* Probatio tamen circa res ex hoc remedio repetendas ſemiplena non ſufficit, ſed reqviritur plena, uti vult Rolandus, à Valle *volum.* 2. *conſil.* 50. *n.* 16. Petrus Frider. *de interdict. commentar.* 27. *n.* 14. *ſeq.*

§. 5. Cæterùm modus probandi optimè intelligetur ex eo, ſi prius certi fuerimus, quid probari debeat. Doctores ferè omnes in eo conſentiunt, qvod ſufficiat probare antiqviorum poſſeſſionem actoris & recentiorem rei, nec adeò opus ſit vel ipſum ſpoliationis actum probare, vel etiam,

qvod

qvod tempore dejectionis poſſeſſio penes actorem fuerit. Franc. Cardin. Mantica *deciſ.* 181. Andr. Gail. *l. 2. obſ. 75. n.* 12. Joh. Aloyſ. Ricc. *deciſ. 950.* Marcell. Calà *de mod. artic. n. 248.* etiamſi in libello mentio violentæ dejectionis facta fuerit. Joſ. Maſcard. *de probat. vol. 3. concluſ.* 1321. *n.* 9. Ratio eorum eſt, qvia poſſeſſio antiqvior præſumitur juſtior, quam ſit nova rei conventi, & qvia actor probando ſuam antiqviorem poſſesſionem vel qvaſi, ejectionem ſimul & ſpoliationem eo ipſo probaſſe intelligitur. Roland. à Valle *vol. 4. conſil. 32. n. 10.* Maſcard. *d. l. n. 4.*

§. 6. Ab his aliqvo modo diſſentire videtur Antonius Faber *Cod. lib. 1. tit. 3. def.* 1. actorem ad hæc duo probanda aſtringens, quod & ante poſſederit, & à poſſeſſione ſuâ nullo facto ſuo ceciderit, Poſterius hoc negativam implicare videtur, cujus per rerum naturam nulla eſt probatio *c. 5. X. de renunc.* neqve qvisquam, qui poſſesſionem repetit, facto ſuo eâ cecidiſſe præſumitur, ut adeò fruſtra talis probatio ſuſcipiatur. In fortioribus terminis diſſentit Andreas Fachineus *l. 8. controv. cap. 9.* qvod imò actor probare debeat, ſe poſſesſione ſuâ, qvam habuit, dejectum fuiſſe, ſive, qvod eodem recidit, probandam eſſe poſſeſſionem & dejectionem. Agit quidem Fachineus in inſcriptione & rubricâ de interdicto, ſed uti ex allegatis & ratione tractandi patet, ipſam illam Doctorum de hoc remedio ſententiam haud obſcurè perſtringit.

§. 7. Fachinei ſententia mihi ſemper probata fuit, quandoquidem, ut ipſe ait, in pari cauſa ſemper potior eſt conditio poſſidentis *l. 128. ff. de R. J.* Sed par eſt cauſa actoris & rei, niſi probetur dejectio & poſſesſio. Nam etſi probet actor antiquiorem poſſeſſionem, nihil tamen plus probat, qvàm reus, qvi tunc posſidet. *Non obſtat*, ſunt adhuc verba Fachinei *ſi dicatur poſſeſſionem rei juniorem præſumi clandeſtinam, injuſtam & vitioſam, reſpectu poſſeſſionis actoris, quæ antiqvior eſt. Nam id negatur, & ratio eſt, qvia delictum non præſumitur, conſeqventer præſumendum eſt potius, poſſeſſionem ad reum perveniſſe ex causâ juſtâ, qvàm injuſtâ.* Nec reus ſuæ poſſesſionis titulum cogitur exhibere *l. 11. C. de petit. hered.*

§ 8. Hâc ratione venditor & quicunque alius, qui juſto titulo rem ſuam alienavit, emtori & alteri poſſeſſori qvandocunque negocium faceſſere, ſuamque, quam habuit, poſſesſionem antiquiorem, rei verò noviorem probare poſſet, an propterea præſumi debebit de emptoris poſſesſione, qvod

qvod ea clandeſtina, injuſta & vitioſa ſit, & an propterea ille adigi poterit, ut titulum poſſeſſionis ſuæ doceat? Hic enim videtur effectus hujus remedii taliter in judicium deducti. At durum hoc erit, & nemo qvisqvam poſſeſſionem qvietam tenebit, facietqve hic effectus, ut qvod ſalutare debet eſſe remedium, extremam hominum promoveat malitiam.

§. 9. Sed video ego, unde hæc Doctorum nata fuerit ſententia, Nempe ſtatuerant illi, intentari poſſe hoc remedium etiam adverſus tertium bonæ fidei poſſeſſorem. Poſito hoc fundamento, non videbatur ſupereſſe modus probandi alius, qvàm ut â ſe inciperet actor, & ſe olim poſſediſſe doceret, atque eo tempore nondum poſſeſſam fuiſſe rem ab adverſario hinc inferret. Anton. Gabriel. *d. concluſ. 5. num. 73.* Vitioſam enim dicere adverſarii poſſeſſionem non poterat, qvippe quam ille bonâ fide acqviſiverat, nec videbatur proinde cauſam habere, cur ejus poſſeſſionem impeteret, niſi ex eo ſolo, qvod recentior eſſet, atque hinc de vitio aliqvo contra rationem juris ſuſpectam redderet.

§. 10. Hinc adeò abuti oportebat JCtorum diverbiis, qvod ſemel posſidens præſumatur etiam deinceps poſſidere: quod poſſeſſio antiqvior præferenda ſit juniori ſive recentiori, & ejusmodi aliis, qvæ quidem in ſano ſenſu accepta veriſſima ſunt, ſed applicari tamen ad qvamvis materiam oblatam neqveunt. Potiori jure hîc locum inveniunt iſta, qvod poſſeſſio faciat præſumptionem pro poſſidente: qvod poſſeſſionis ſuæ titulum nemo invitus edere teneatur: qvod poſſeſſio præſumatur ex titulo præambulo: qvod poſſeſſio in dubio præſumatur eſſe juſta & jure occupata: quod ex poſſeſſione præſumatur dominium: quod posſidentis melior ſit conditio, & ſimilia alia.

§. 11. Ex eodem Doctorum principio non poteſt non operoſior & prolixior, qvam poſſeſſoria judicia patiuntur, proceſſus ſperari. Admittendæ ſcil. hoc caſu erunt ab adverſario oppoſitæ infinitæ exceptiones, tum & circa probationes ab eo formata interrogatoria, neqve reprobatio illi denegãda erit, quæ & ipſa majorem ſolennitatem exiget, nec video hâc ratione, qvî negari utrique parti poſſint diſputationes ſuper probatione & reprobatione, & ſic adeò parum aberit, qvin proceſſarium ordinarium peragendum eſſe dicam.

§. 12. Fachinei verò & noſtra qvando obtinere debet ſententia, planiora erunt omnia. Nulla enim tùm ex parte rei admittenda erit exceptio, niſi

Digitized by Google

qvando is in continenti ſe dominum & actorem manifeſtum prædonem probare paratus ſit, aut quando in præſcriptione fundatur, aut qvando in continenti docere poteſt, actorem vel nunqvam poſſediſſe vel non eo tempore, quo is poſſediſſe ſe dixit. Atqve in illis ipſis non ſolennis aliqua, ſed ſummaria & qvaſi momentanea permittenda eſt probatio. Et qvia circa exceptionem ſpolii probandam reprobationem actoris, ſed admodum reſtrictam admittit Reinhardus Roſa ad Dan. Moller. *commentar. part. 1. conſtit. 6. n. 7.* nolim ego hîc eam, nec propterea etiam interrogatoria excluſa, dum tamen omnia ſummariè & celeri proceſſu, nullisque interpoſitis procraſtinationibus expediantur.

§. 13. Qvod autem dixi, probandam eſſe intentionem actoris, ex eo conficere qvis poſſet rei conſcientiæ per juramentum delatum committi non poſſe ſpolium commiſſum, qvandoquidem jusjurandum legitimæ probationis ſpecies non eſt, ſed probationis locum ſubintrat, *l. 5. §. 2. ff. de jurejur.* & propter inopiam demum probationum jurijurando locus eſt, *l. 3. C. de R. C.* cui accedit, quod neque exceptionem ſpolii conſcientiæ actoris committi velit Reinhardus Roſa *ad conſtitut. ſ. 6. part. 1. num. 6.* (quæ tamen majorem qvàm actio meretur favorem) ideò ſcil. qvia in caſibus dolum arguentibus, ſine qvo ſpolium non facilè committitur, delatio juramenti locum non inveniat. Ego verò, ſi tantùm ad reſtitutionem agatur, delationem juramenti fieri poſſe nullus dubito. Manet enim tùm actio civilis, & tùm locum invenit generalis aſſertio Ulpiani *in l. 3. §. 1. ff. de jurejur.* ubi nec pœnalem excluſam vult actionem. Et in furti qvoq; crimine atq; rapina, qvorum delictorum neutrum ſine dolo committitur, juramentũ deferri poſſe patet ex *l. 13. § 3. & l. 28. §. ff. de jurejur.* & in genere de delicto idem aſſeritur *in l. 6. §. 5. ff. de his qvi not. infam.* quæ tamen omnia de eo caſu accipienda ſunt, qvando ex delicto civiliter agitur. Vid. Carpzov. *in proceſſ. tit. 11. art. 1. n. 53. ſeq.* Fr. Duaren. *ad tit. de jurejur. cap. 9.*

§. 14. Negari tamen nequit, circa proceſsûs ordinem & probationes inſtituendas multum in praxi receſſum eſſe â priori ſimplicitate, quæ in interdictis & poſſeſſoriis judiciis olim ex jure Cæſareo obſervata fuit. Obtinuerunt enim tandem Canoniſtæ, ut in ejusmodi remediis, præſertim qvando de recuperandâ poſſeſſione agitur, & litis conteſtatio ſolennis, & plenæ probationes, & alia ad proceſſum ordinarium pertinentia in uſu habe-

berentur, atque adeò interdictum unde vi, cujus praxin in canone hoc noſtro deſcriptam dixi, quoad ordinem judiciarium non amplius dici queat momentaneum. Andr. Rauchbar. *part. 2. quæſt. 6. n.* 82. ubi refert compertum ſibi exemplum, quo graviſſima recuperandæ poſſeſſionis cauſa ultra ſexaginta annos duraverit, nec tùm tamen ad finem perducta fuerit.

§. 15. Et quis igitur mirabitur, etiam appellationes in hoc remedio recipi, cùm hîc qvaſi duplex concurrat ratio, &, qvod remedium hoc juris canonici inventum ſit, qvo jure in poſſeſſoriis judiciis appellare permittitur. Ant. Nicol. Gravat. ad Octavian. Veſtrii *prax. l. 7. c. 3. n. 40.* Joh. Gutierrez *lib. canon. quæſt. c. 34. n. 86. ſeqq.* & quod, ut modo dixi, juris civilis proceſſus antehac conciſus multo prolixior & operoſior factus ſit. Etſi enim multa adhuc diſputatio ſit circa intellectum conſtitutionis *in l. un. C. ſi de moment. poſſ. fuer. appell.* uti quaſi in compendio ſententias Doctorum refert Andr. Rauchbar. *quæſt. 6.* & Carpzov. *diſp. de inhibit. th. 52.* Gutierrez *d. l. n. 91. ſeq.* malo tamen ego ſtare ab eorum partibus, qui dictam conſtitutionem univerſaliter de omni poſſeſſorio accipiunt, & ita interpretantur, qvod à nullo poſſeſſorio appellari queat. Vid. Bachov. *in Treutler. vol. 2. diſp. 33. th. 5. lit. G.* Rauchbar. *d. l. n. 8. ſeq.* Ferdinand. Vaſq. *lib. 5. controv. cap. 38. & 40.* Chriſtoph. Beſold. *de appellat. c. 7. n. 9.* & quos magno numero allegat Oſwald. Hilliger *in Donell enucl. lib. 28. cap. 6. lit. Hh.* Sed enim ex qvo diſtingvi à Doctoribus cœpit poſſeſſorium ſummarium aut ſummariſſimum aut momentaneum, uti vocatur, à plenario, qvæ diſtinctio juri civili incognita eſt, in ſolo ſummariſſimo hodie appellare non licet, & ad ſolum illud conſtitutio in *d. l. un.* reſtringi nunc ſolet; in plenario aut ordinario appellatio toto die admittitur. Conf. Dav. Mev. *part. 1. deciſ. 25.* Carpzov. *lib. 1. reſponſ. 13.*

§. 16. Et ſic fruſtra diſputabitur amplius, qvem effectum habeat talis appellatio, utrum devolutivum tantùm an verò etiam ſuſpenſivum. Utrumque jure Canonico, illum civili obtinere ſtatuit Didacus Cavarruvias *pract. quæſt. c. 23. n. 8.* At quia, uti dixi, qvæ Canonico jure quoad proceſſum conſtituta ſunt, pleraque omnia in foro recepta habentur, idem illud in judiciis hodiè obſervari quotidiè experimur. Add. Menoch. *remed. recup. 9. n. 322.* Brunnemann. *ad tit. Cod. ſi de moment. poſſ.* Octav. Cacheran. *deciſ. 65.*

Digitized by Google

CAPUT VIII.
DE
FINE ET EFFECTU HUJUS CONDICTIONIS.

§. 1.

INtentio agentis & effectus hujus remedii eſt, ut reſtituatur agens in omne id, qvod ipſi ex dejectione & ſpoliatione factâ abeſt. Reſtituere autem non ſolùm ſignificat rem exhibere ſive præbere, ſed ut cum univerſâ ſuâ etiam uſucapiendi causâ, acceſſione, fructu, uſurâ, intereſſe, & omni commodo ac emolumento tàm occaſione rei, qvàm ex ipsâ re proveniente reddatur atque præſtetur. Atqve idcircò in ea cauſa, forma, acceſſione & qualitate reddi debet, qvod reſtitui oportet, in quâ fuiſſet, ſi nihil adverſus id, cujus gratia reſtitutio deſideratur, factum eſſet. Joh. Gœddæ, *ad l. 22. ff. de V. S. n. 11.*

§. 2. Sic igitur non ipſe tantùm fundus, ex quo quis dejectus eſt, reſtitui debet, ſed omnia etiam illa, qvæ tempore dejectionis ibi habuit, ſive propria fuerunt, ſive aliena *l. 1. §. 33. ff. de vi & vi arm.* Imò verò etiam earum rerum, quæ per caſum fatalem naturaliter & absqve ſpoliatoris dolo vel culpa peremptæ ſunt, æſtimatio ſine diſtinctione debetur, etiamſi caſus ille eodem apud dominum contigiſſet modo *d. l. 1. §. 34* qvia ſcil. ſpoliator ex ipſo tempore delicti, plusquam fruſtrator, debitor conſtitutus eſt. *l. pen. ff. eod.* ita ut res propter moram, qvæ propterea in rem fieri dicitur *l. fin. C. de condict. ob turp. cauſ.* ſemper ac perpetuo maneat in obligatione, etiamſi amplius non extet, ut tamen æſtimatio ſit in ſolutione.

§. 3. Non ſolùm autem fructum ſed etiam cæterarum omnium utilitatum habenda eſt ratio. In hoc enim remedio, perinde uti in interdicto unde vi, omnia quæcunque habiturus, vel adſecuturus erat is, qvi dejectus eſt, ſi vi dejectus non eſſet, reſtitui aut eorum litem à judice æſtimari oportet. Isque tantum conſequi debet, quanti ſua intereſt, ſe vi dejectum non eſſe. *d. l. 1. §. 41. ff de vi & vi arm.* Et debentur adeò fructus cum omni utilitate, etſi petiti non fuerint. Marius Giurba *deciſ. 39* & *deciſ. 65*. Gœdd. *d. l. n. 15. ſq.* Ludov. à Peguera *deciſ. 178*, Reſtituendæ etiam ſunt expenſæ tàm qvæ in lite

Digitized by Google

te perſequendâ, qvam quæ convocandis amicis factæ ſunt. Achillis Perſonalis *de adipiſc. poſſ. num. 253.*

§. 4. Qvia verò Doctores remedium hoc etiam adverſus bonæ fidei poſſeſſorem intentari poſſe ſtatuunt, inde etiam inter reos conventos qvoad condemnationem aliquod obſervari volunt diſcrimen, ita ut bonæ fidei poſſeſſor ſolum illos fructûs reſtituere teneatur, quos percepit à tempore litis motæ. Anton. Teſſaur. *deciſ. 29.* Ludovic. Poſthius *de ſubhaſtat. inſpect. 55. num. 92.* Cæſ. Barz. *deciſ. 53. n. 31.* malæ autem fidei poſſeſſor omnes illos, quos percepit aut percipere potuit. Anton. Gabriel *de reſtit. concluſ. 5. n. 97. ſeq.* Sed & hunc, quantocunque malæ fidei odio urgeatur, non ad alios reſtituendos teneri vult Antonius Faber *Cod. lib. 8. tit. 3. def. 1.* qvàm quos ipſe aut perceperit aut percipere potuerit, non autem ut unus ex poſſeſſoribus pro alio poſſeſſore condemnetur; atque hinc, ſi per multorum perſonas poſſeſſio ambulaverit, adverſus ſingulos agi oportere, ut quos quisque percepit aut percipere potuit, eorum nomine ſinguli condemnentur. Cui tamen aſſertioni obſtare videtur, quod Pontifex *in c. ſæpe 18. X. de reſtitut. ſpol.* æquiparet eum, qui à ſpoliatore ſcienter rem ablatam accepit, ipſi ſpoliatori, & quod ille huic quaſi ſuccedat in vitium, id quod ulteriori conſiderationi relinquo.

§. 5. De heredibus ſpoliatoris quæritur, ad quid condemnari debeant, ſicubi ex hoc canone conveniantur? Et jure civili quidem heredes ex delictis defunctorum tenentur, quatenus ad eos pervenit *l. 5. ff. de calumniat.* ſive quatenus ad eos locupletior ex delicto hereditas delata eſt. Sed jure Canonico id immutatum & conſtitutum eſt, ut heredes eatenus teneantur, quatenus bona hereditaria ferunt *c. 5. X. de raptor. c. fin. X. de ſepultur.* ut ſcil. hâc reſtitutione exoneretur, ſi diis placet conſcientia defuncti Anton. Gomez *lib. 3. reſolut. 1. n. 85.* & is tanto citiùs â pœnis purgatorii liberetur. Bachov *de act. diſp. 5. th. 4. circa fin.* Sententia tamen hæc recepta ubique non eſt, & in ipsâ Galliâ aliter judicatum refert Dn. Tabor. *in racemat. ad tit. D. & ſt. de privat. delict. n. 64.*

§. 6. Cæterùm qvi condemnatus eſt, ut reſtituat non liberatur dando fidejuſſores. Ant. Gabriel *conclu 5. de reſtit. ſpol. n 130* Anton Hering. *de fidejuſſ. c. 5. n. 384.* Sed actualiter præſtare debet omnia, & quidem tàm plenè & integrè, ut nec obulus quidem deſiderari queat. Marius Giurba *deciſ. 39.* Aug. Barboſa *in axiom. lib. 17. c. 47. n. 2.* Et qvia, ut ſupra dixi, omnia

Digitized by Google

etiam illa, quæ in fundo, ex quo qvis dejectus eſt, fuerunt, reſtitui debent, difficulter autem probari poteſt, qvæ res ibi fuerint, idcircò Zenonianâ Conſtitutione cautum eſt, ut dejecto, & de numero earum rerum & de æſtimatione affirmanti jurato fides habeatur, judice tamen priùs eam qvantitatem taxante *l. 9. C. unde vi*, Hœnon. *diſp. 12. ad pandect. n. 13. lit. c.* Et tale juramentum etiam heres præſtare poteſt, ſi qvidem notitiam rerum deperditarum habeat. Anton. Perez *Cod. unde vi n. 24.*

CAPUT IX.

DE

DURATIONE HUJUS REMEDII.

§. 1.

PLurimi ſunt, qui perpetuam hanc faciunt actionem, & planè impræſcriptibile dicunt hoc remedium, ne qvidem per mille annos, Guilielm. Caſſador. *deciſ. 6. tit. de reſtit. ſpol.* Cæſ. Barz. *deciſ. 48. n.* 38. Qvi inprimis moventur ex eo, qvod in textu legatur, reſtituendos eſſe ſpoliatos, *qvacunq; conditione temporis* ſuas ſubſtantias perdidiſſe noſcuntur. Sed ex ipsâ conſtructione facilè patet, & jam ſupra *cap. 2. §. 13.* oſtendimus, verba iſta in tali ſenſu accipienda non eſſe.

§. 2. Plerique omnes igitur hodiè conſentiunt, præſcribi huic remedio ſpatio triginta annorum, exemplo cæterarum actionum perſonalium, neqve qvicqvam ſingulare circa hoc remedium ſtatui debere. Andr. Fachineus *lib. 8. cap. 13.* Roland. à Valle *vol. 2. conſil. 92. n. 19.* Emanuel Soarez *theſ. receptar. ſent. vocab. ſpoliatus.* Nic. Ant. Gravatius ad Octav. Veſtrii *prax. lib. 7. c. 3. n. 41.* Card. Seraphinus *deciſ. 1360.* Joh. Gutierrez *canon. qvæſt. l. 1. c. 34. n. 67.* Joſeph. Ludovic. *deciſ. 59. n. 9.* Anton. Fab. *Cod. lib. 8. tit. 3. def. 1.* Joh. Carol. Antonell. *de temp. legal. lib. 2. c. 91.* & videri hîc poſſunt, qvi præ cæteris in hoc articulo diligentiam præſtiterunt Joh. Bapt. Coſta *de fact. ſcient. & ignor. cent. 2. diſt. 60.* Petr. Friderus *de interdict. comment. 9.*

[Et in hanc ſententiam reſponderunt Wittebergenſes an Lubbert Müllers Befreundte zu Berlin menſ. Auguſt. 1641. uti notavi ſupra *cap. 3. §. 7.*]

§. 3. Com-

§. 3. Competit qvidem jure civili interdictum unde vi ſolummodo intra annum utilem *l. 1. pr. & §. 39. ff. de vi & vi arm.* â die ſcil. qvo dejectio facta eſt. Poſt annum verò de eo ſolùm conveniri poteſt reus, qvod ad eum pervenit *d. l. 1. p. & l. 3. §. 12. & 13. ff. eod.* qvanqvam Ulpiani hanc aſſertionem abſurdam qvodammodo dicat Joh. Jac. Wiſſenbach. *diſp. adtit. de vi & vi arm. n. 25* Sed verò, ſi qvod ſpeciale per hunc canonem introductum eſt remedium, non annuum id eſſe arbitror, ſed perpetuum, generali tamen actionum perſonalium præſcriptione finitum, quia jus Canonicum odio malæ fidei poſſeſſoris multo vivaciores facit actiones, easque ampliore temporis ſpacio circumſcribit. Atque adeò, ſi vis, dolus vel mala fides poſſeſſoris probari poterit, remedium ex hoc canone etiam ultra triginta annos dari rectè ſtatuit Joh. Carolus Antonellus *de temp. leg. l. 2. c. 91. num. 9.* qvia ſcil. poſſeſſor malæ fidei nullo unqvam tempore præſcribit *c. fin. X. de præſcript.*

§. 4. Cæterum, ut habeamus totius hujus tractationis aliquod exemplum, maximè accommodatum & congruum videtur illud, qvod refert Chriſtophorus Lehemannus *in Chron. Spirenſ. lib. 7. c. 86.* Populus nempe Spirenſis extra muros ſuos, uti loqvitur Caſpar Bruſchius *in vit. Rabani*, S. Germani cœnobium propter ſceleratam ejus loci monachorum vitam & ſub religionis ſpecie conſtupratas ibi civium Uxores ac filias, zelo ulciſcendæ talis impietatis & perfidiæ funditùs everterat, ſoloqꝫ æqvaverat, totumqve Clerum ob hanc cauſam Urbe expulerat. Rabanus idcircò poſtqvam duorum menſium obſidione graviſſimâ Urbem Spirenſem cinxiſſet, acerrimam ſibi ex deditione ejus ſperabat vindictam. Sed ab Imperatore Sigismundo prohibitus in Comitiis Noricis judicio contendere, cauſamqve ſuam apud Principes & Ordines Imperii exponere atque peragere jubebatur. Ex deſcriptione igitur Lehemanni talis pro Rabano Epiſcopo confici potuiſſet

Libellus.

Vor Ihrer Käyſerlichen Majeſtät / und des Heil. Römiſchen Reichs ſambtlichen zu Nürnberg verſamleten Ständen erſcheinet Raban Biſchof zu Speyer / be-

Digitized by Google

bedinget Ihme alle dienliche Rechtswohlthaten/ſo Ihme als ſpoliato, inſonderheit ex c. redintegranda 3. q 1. zu ſtatten kommen können/ zuförderſt aber mit überflüßigen Beweiß unbeladen zu ſeyn. Setzt hierauff Klage und Zuſprüche wider die Bürgerſchafft zu Speyer/nicht zwar in Form eines libells/ſondern ſchlechter Geſchichts-Erzehlung/und per implorationem officii judicis, und ſagt kürtzlich/ welcher geſtalt ermeldte Bürger am 1. Junii Anno 1422. mit groſſer Gewalt/ grimmiger und wütender Weiſe aus der Stadt auf St. Germans-Berg gefallen/daſelbſt die Kirche und das gantze Stifft mit allen Häuſern/Scheunen und Gebäuden abgebrannt/ zerriſſen/ geſchleifft/und dem Boden eben gemacht/ alle Kelche/ Meßbücher/ Geiſtlichen ornat, und andere daſelbſt ſo wohl über/als unter der Erde verhandene mobilia, ſo theils zu Verrichtung des Heil. Ampts/ theils zum Unterhalt der Dohm-Herren angeſchafft und auffgehoben geweſen/ geraubet/und entwendet. Woran ſie annoch nicht erſättiget geweſen/ ſondern ſie haben hierüber auch alle Prieſter und Geiſtliche/ auſſer die Barfüſſer und Prediger-Münche ihrer Wohnungen in der Stadt mit gewehrter Hand und gewaltiger That freventlich entſetzt/ dieſelben auch gar aus der Stadt gejagt/alle Ihnen zuſtehende/und in der Stadt befindliche mobilia an Früchten/ Wein/ Haußrath/ Büchern und andern Dingen gleichfalls genommen/ und ſie ihrer gantzen Haab und Güter entwehrt. Inmaſſen dieſes alles durch das gantze Römiſche Reich kundbar/ und zum theil durch ocular inſpection in continenti beyzubringen/ Gegentheil auch nimmermehr verneinen kan.

Wenn denn dieſes eine recht frevelhaffte und friedbrüchige gewaltſame That iſt/und dahero keines weges zugeſtatten/ oder derſelben nachzuſehen/Klägern auch oblieget/daß Ihme anvertraute und untergebene Geiſtliche Stifft mit allen pertinentien wider die Fried-Brüche und gewaltſame Thaten nachdrücklich und kräfftiglich

glich zuvertreten / und damit ſolches unvermindert auff die Nachkommen gebracht und erhalten werden möge / beſten Fleiſſes wahrzunehmen / auch die Ihme untergebenen Geiſtliche bey ihren beneficiis, Freyheiten und Gerechtigkeiten / Clöſtern und andern geiſtlichen Gebäuden / zu ſchützen und zu erhalten. So bittet Kläger per modum implorationis officii judicis, ſummariè, ohne eintzigen gerichtlichen Proceſs oder weitläufftige Ausführung der Sachen in Rechten zuerkennen und auszuſprechen / daß Beklagte ungeſaumt die Kirchen und Stifft zu St. German ſammt allen denen Häuſern / ſo von ihnen verbrannt und niedergeriſſen worden / wiederumb auffzubauen / und in ſolchem Zuſtand / als ſie vorhin geweſen / zubringen / die ausgejagte Geiſtligkeit in ihre Gewahrſam hinwiederum zuverſchaffen / alle geraubte und genommene / oder ſonſt durch ſolche Gewalt-That verlohrne Kelche / Meß-Bücher / Ornat, ingleichen alle andere Mobilia, wie die Nahmen haben mögen / ſo entweder verbrannt / oder geraubt / oder zerſchlagen / oder ſonſt durch dieſen gewaltſamen Einfall in und auſſer der Stadt verlohren worden / nebenſt allen entrathenen Nutzungen und verurſachten Unkoſten zu reſtituiren / oder deren Werth zuerſetzen / ſchuldig. Dieſes oder was ſonſten hätte gebethen werden ſollen / ſtellet Kläger cum imploratione nobiliſſimi officii judicis pro omni meliore modo adminiſtranda juſtitiâ zu rechtlicher Erkänntniß.

Digitized by Google

Ad cap. 1.
Tit. 13.

ECcleſiæ Mediolanenſis Actores Philaſium cœcum poſſeſſione alicujus campi dejecerant. Cauſa in judicium deductâ Diaconus ejus Eccleſiæ conſentiente Philaſio illicò probationem dominii ſuſceperat, & ſic proprietatis cauſam aggreſſus fuerat. Philaſius cùm ſibi id minus proficuum animadvertiſſet, ad poſſeſſorium redire maluit, implorato ſuper hoc Pontifice. Et reſpondet Pontifex, videndum eſſe, num probatum fuerit dominium, an minus. Priori caſu, ait, denegari debere Philaſio redintegrationem poſſeſſorii, qvippe à qvo ipſe per conſenſum ſuum diſceſſerat. Poſteriori verò campum ablatum reſtitui debere.

Ratio dubitandi circa priorem caſum eſt, qvia agenti interdicto reſtitutorio exceptio proprietatis nihil officit, cum ante omnem contentionem poſſeſſio violenter ablata reſtitui debeat. 2. Qvia omiſſo proprietatis judicio licet recurrere ad judicium poſſeſſorium. *c. 5. X. de cauſ. poſſ. & prop.*

Ratio decidendi eſt, qvia ipſe dejectus conſenſum præbuit, ut adverſarius onus probandi dominium in ſe ſuſciperet, quod ſubire aliàs ille propter commodum poſſeſſionis non debuiſſet. Nec obſtat adductum cap. 5. qvia accipiendum id eſt de caſu iſto, quando ipſe dejectus rei vindicationem inſtituit, & ipſe, non adverſarius ex mutuo conſenſu, probare dominium intendit, & qvidem qvando in cauſa proprietatis nondum eſt concluſum.

Ratio dubitandi circa poſteriorem caſum eſt, quia ſpoliator, etſi dominium non probet retinet nihilominus poſſeſſionem & ejus commodum, qvæ ei ideò qvod dominium non probaverit auferenda non eſt.

Ratio decidendi eſt, qvia dum ipſe ab adverſario ad probationem dominii admiſſus eſt, ad qvam ille invito admitti non potuiſſet, ſimul ipſe in hoc conſenſiſſe cenſetur, ut in defectu probationis cedere poſſeſſione, eamqve reſtituere velit. Sig. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 7. num. 139.*

Gregorius nonus] imò primus, uti patet ex ejus Regeſtro *lib. 7. epiſt. ult.* ex qvâ inſcriptio ita emendanda eſt: *Gregorius Conſtantio Epiſcopo Mediolanenſi.*

cæcm] cui propterea etiam à collectis eſt conceſſa immunitas, uti patet ex *c. 4. X. de cenſib.* qvod partem facit hujus decretalis.

ab Eccleſiæ hominibus] qui nomine Eccleſiæ campum iſtum occupârunt, ſive jam id factum ex mandato, ſive ex conſenſu aut ratihabitione Eccleſiæ, qvanqvam neutrum hoc placeat Auguſtino Barboſæ *ad h. t.* qvi ideò teneri dicit Eccleſiam, qvia res ablata ad illam pervenit, & qvia ſic ſpolium factum probare videatur. Sed hoc ipſum eſt ratum habere ſpolium.

irrationabiliter] ita ſcil. retulit Philaſius.

ante omnem contentionem] quæ ſuper qualicunqve exceptione oriri poteſt.

Notandum hinc I. poſſeſſionem violenter ablatam qvantocyus reſtituendam eſſe, nec audiendum eſſe ſpoliatorem, qvantumvis proprietatis exceptionem objecerit.

II. Jus hoc & obligationem reſtituendi eſſe introductam in favorem ſpoliati, atqve hinc ſpoliatum renunciare huic juri poſſe, atqve conſentire, ut ſpoliator ante reſtitutionem poſſeſſionis probet proprietatem, & tùm expectari debere ſententiam in cauſa proprietatis.

III. Spoliatum, qvi paſſus eſt fieri probationes ſuper dominio, ex qvibus conſtat de dominio ſpoliantis, ſibi præjudicare, nec eſſe tùm ei concedendum reditum ad judicium poſſeſſorium.

IV. Non expreſſum tantùm, ſed etiam tacitum conſenſum ſpoliatum excludere ab intentatione judicii poſſeſſorii. Proinde ſi ſpoliatus ſpoliatori excipienti de dominio non replicat, ſed patitur eum facere probationes ſuper dominio, eo ipſo quod tacet & non contradicit, cenſetur conſentire in cauſam proprietatis. Scaccia *d. l. num.* 141.

Ad cap. ſolicitè 2.

Egerat Clericus interdicto unde vi, qvod beneficio ſuo Eccleſiaſtico ſpoliatus & privatus eſſet. Ei objiciebat reus, quod ipſe beneficio iſti ſponte & cum juramento renunciaſſet, ejusqve renunciationis probationem in ſe recipiebat, atque hinc negabat imputatum ſpolium. Replicabat actor, renunciationem allegatam factam fuiſſe poſt ſpolium commiſſum, & cùm ipſe poſſeſſione jam dejectus fuiſſet. Qværebatur, num audiri deberet hujus exceptionis probatio ante reſtitutionem poſſeſſionis, & retardari hæc per illam poſſet? Reſpondet Pontifex ſub diſtinctione, utrum ſcil. renun-

Digitized by Google

citaio facta fuerit ante ſpoliationem, aut poſt eam, idqve ante omnia diligenter & accuratè perquirendum eſſe. Poſteriore caſu ait non admitti debere probationem exceptionis, ſed potius à parte actoris probationem ſpolii, atque hoc ſi per teſtes idoneos probatum fuerit, poſſeſſionis tùm faciendam eſſe reſtitutionem. De poſteriore caſu capitulo agetur ſeqventi.

Ratio dubitandi eſt, qvia renunciatio prorſus extingvit jus iſtud, cui renunciatum eſt, ita ut renuncians ad illud minimè redire poſſit, cùm paria ſint, aliqvod jus non eſſe, neqve competere, vel eſſe, ſed illi renunciatum eſſe *l. 14. § 9. ff. de adil. edict. l 63. ff. de evict. l. 21. ff. de ſtat. hom. l. 11. C. de R. C.* Unde & qvi renunciavit beneficio, illud repetere non poteſt. *c. 5. & 6. X. de renunciat.* Et fortior adhuc fit renunciatio, ſi ei acceſſerit juramentum, qvippe qvod renunciationes etiam invalidas corroborat. Ex qvo ſi probatum dederit reus, actorem ſponte & jurato & renunciaſſe, facilè tùm apparebit, actori nullam omninò competere actionem, & ſic temerè eum judicem fatigare. Ut adeò ſatius ſit admiſſa tali probatione videre num actio revera competat, qvàm ſine actione agentem in poſſeſſionem, qvam ejuravit, reſtituere.

Ratio decidendi eſt, qvia, ſi conſtat, renunciationem factam fuiſſe ab actore, poſtqvam ei poſſeſſio jam erepta fuit, veriſimile non eſt, ſponte eum renunciaſſe, cùm itaque ſpoliatus non cenſeatur ſponte renunciare. Et hæc præſumptio facit, ut non admittatur probatio in contrarium, priusquam reſtitutio facta fuerit, cùm interdicta celerem reqvirant expeditionem, & reſtitui debeat ſpoliatus ante omnem contentionem.

eum ſpoliatum] h. e. ſpoliationem factam fuiſſe ante renunciationem.

idonei ſint] idonei dicuntur omnes, qui à teſtimonio dicendo non arcentur. Vid. Donell. *lib. 25. c. 9.*

Notandum hinc I. in interdicto recuperandæ ne qvidem exceptionem intentionis & facti retardare reſtitutionem poſſeſſionis, niſi in continenti ſit liquida.

II. Renunciationem, qvæ à violenter dejecto poſt ſpoliationem præſtita eſt, ipſam quoqve haberi pro coactâ & vi extortâ.

III. In renunciationibus beneficiorum ſummam ineſſe debere libertatem tùm ex parte renunciantis, tùm ex parte ejus, cui fit renunciatio. Bengeus & Pinſſonius *de benefic. ad verb. conceſſa cap. 1. §. 10. n. 9. 10. 11.*

IV. Mul-

Digitized by Google

IV. Multum facere circumſtantias loci, temporis &c. ad dijudicandas actiones humanas. Sæpè enim qvod bonum eſt ex objecto, idem malum eſt ex fine, & qvod bonum eſt ex utroqve, malum nonnunqvam eſt propter ſolam circumſtantiam.

V. Non videri actionem ſpontaneam, qvam præcedit actus aliqvis violentus.

VI. Teſtes inhabiles ad teſtificandum non admitti, totumqve perire negocium, qvando teſtes non ſunt idonei. Qvi verò tales ſint, ſummatim & qvaſi in compendio explicatur *l. 3. § 5. ff. de teſtib.*

VII. Dejectionem violentam tantum videri hîc Pontifici Romano delictum, ut nec juramentum qvidem, qvod ab actore præſtitum fuiſſe allegaverat Reus, attendi velit. Idqve num citra diſpenſationem, qvam aliàs intervenire oportet, facere potuerit, aliis diſcutiendum relinqvo. Niſi dicere velis, diſpenſationem ipſo facto intervenire, dum audiri vult actorem contra juramentum. Obſtat vero & hoc, qvod reſtitutio facienda non ſit, ſi poſſeſſio dederit occaſionem peccati, & tùm potius admitti debere partem adverſam, ut doceat de proprietate, Frideric. de Senis *conſ. 284. num. 4.*

Ad c. accepta 3.

Caſus hic ſimilis eſt ei, qvi cap. anteced. propoſitus eſt, niſi qvod agatur hîc de eo, qvi anteqvam vi dejiceretur de poſſesſione beneficii, ſuâ ſponte id dimiſerat & ejuvaverat. Sic enim cum Cujacio interpretari malo, qvam intricatas nonnullorum Doctorum ſententias ſeqvi, qvas poſt alios refert Joh Gutierrez *de juram. confirm. part. 3. cap. ult. num. 21. ſeqq.*

Ratio dubitandi eſt, qvia qvando de ſpoliatione conſtat, nulla omninò mora facienda eſt reſtitutioni, ſed poſſeſſio reſtitui debet ante omnem aliam contentionem. Faciebat ad caſum præſentem mandatum reſtitutorium, qvod à Pontifice datum fuerat.

Ratio decidendi eſt, qvia hîc præſupponitur facta renunciatio ante ſpoliationem. Sic enim jus eſt, ut poſſesſio amitti qveat ſolo animo, *l. 17. §. 1. ff. de acq. poſſ.* etſi renuncians corpore non diſceſſerit ab Eccleſiâ, cui renunciavit. Atqvi ſpoliatus videri non poteſt, qvi deſiit poſſidere, ac proinde ei nec interdictum competere poteſt, *l. 1. §. 23. ff. de vi & vi arm.*

Digitized by Google

Apoſtolicæ ſedis legato] Dicitur aliàs Nuncius Apoſtolicus â Pontifice ad aliqvod negocium peragendum miſſus. Vid. qvæ diximus ad Lancellott. *l. 1. tit. 27. §. 9.*

Hinc notandum I. poſſeſſionem ſolo animo amitti, ut qvisqve conſtituit nolle ſe poſſidere. *d. l. 17. l. 3. §. 6. eod.*

II. Spoliatum dici non poſſe, qvi deſiit poſſidere, ut maximè corpore adhuc rei inſiſtat.

Ad c. audita. 4.

Factum, qvod hîc recenſetur, contigit in Scotiâ. Henricus Clericus turbaverat Titium in poſſesſione beneficii, qvod habebat. Titius interdicto uti posſidetis egerat adverſus Henricum apud Judices delegatos, & probaverat, illum non perſonatum tantum habere in aliâ Eccleſiâ, ſed & beneficio iſti, de qvo lis erat, ſponte & cum juramento renunciaſſe. Judices ex præſcripto Pontificis pronunciaverant pro Titio, eiqve qvo minus ita posſideret, vim fieri interdixerant. Supervenit mox aliud Pontificis reſcriptum ab Henrico impetratum, in qvo Pontifex ab Henrico perſvaſus, qvod ipſe primùm à Titio dejectus beneficium iſtud ejeraſſet, & ſic renunciatio ſponte facta dici non poſſet, *per c. 2. ſupr.* judicibus mandabat, ut ſi res ita ſe haberet, Henrico poſſesſio reſtitueretur, revocatis illis & reſciſſis, qvæ ex illo die, qvo Henrici nuncius ad Pontificem iverat, facta in judicio fuiſſent. Dubii inde reddebantur judices, utra prævalere deberet Decretalis, & utrum ſententiam à ſe pronunciatam revocari oporteret. Conſultus eâ de re Pontifex intereſſe reſcribit, utrum ſententia lata fuerit ante inſinuationem Reſcripti poſterioris ab Henrico impetrati, an vero poſt eam. Priori caſu ait revocari ſententiam non debere; nec enim reſcriptum iſtud hunc habere ſenſum, ac ſi irritum fieri deberet id, qvod ſecundum formam prioris reſcripti factum fuiſſet, ſed ita potiùs explicandum eſſe, qvod reſcindendum ſit illud, qvod vi & audacter & contra rationem juris immutatum eſſet. Poſteriori caſu dicit, ſententiâ non obſtante, ſecundum poſterioris reſcripti tenorem procedendum eſſe.

Summa hæc eſt, per ſecundas Pontificis literas, qvibus, ne qvid immutetur, reſcriptum fuit, non revocari ſententiam ex prioribus literis, anteqvam poſteriores offerentur, pronunciatam. Refertur autem hæc decreta-

Digitized by Google

talis ad hunc titulum ideò, quia ex parte Titii de retinendâ, & è contrario ex parte Henrici de reſtituendâ poſſesſione agitur.

Ratio dubitandi ſumitur ex Reſcripto Pontificis poſteriori, in qvo continebatur, ut ſi qvid ex eo die, qvo nuncius Henrici ad Pontificem iter aggreſſus fuerat, in cauſa ipſa mutatum eſſet, id omne reſcinderetur, & in priſtinum ſtatum ejus diei reſtitueretur. Videbatur ergò etiam revocari debere ſententia, qvæ poſt illum diem ſecundum tenorem priorum literarum lata fuiſſet.

Rationem decidendi petit Pontifex ex interpretatione iſtius Reſcripti ſui, nempe non ita accipiendum id eſſe, ut revocari deberet illud, qvod autoritate literarum priorum à judicibus delegatis factum fuerat, ſed id, qvod ex præſumtione vel violentiâ immutatum fuiſſet, atqve ſic ſententiam revocari non debere concludit, poſito ſc. qvod lata fuerit, anteqvam literæ ſecundæ inſinuatæ eſſent. Qvod ſi poſt inſinuationem pronunciata ſententia fuerit, hanc non obſtare ait, qvo minus ex ſecundis literis cauſa deinceps decideretur. Ratio eſt, qvia ſententia iſta planè nulla eſt, dum Commiſſarii exceſſerunt fines mandati, poſtqvam mandatum prius per poſterius planè extinctum fuit.

Sed enim violenta hæc videtur Reſcripti poſterioris interpretatio, accipiendum ſcil. eſſe de eo, qvod præſumptione vel violentiâ mutatum eſt. Nec enim præſumptionis aut violentiæ ſuſpicio in judicem cadit. Et qvis porrò de præſumptione aut violentiâ interpretabitur hæc reſcripti verba: *Non obſtantibus literis, ſi quæ aliæ ab altera parte impetratæ eſſent, aut forma, quam expreſſimus in aliis literis ſuper hoc impetratis.* Et porrò: *Quod ſi in cauſa ipſa eſſet aliqvid mutatum, poſtqvam nuncius prædicti H. tunc iter arripuit ad noſtram præſentiam veniendi, totam cauſam ante ingreſſum cauſæ principalis contradictione & appellatione ceſſante in eum ſtatum reduceretis, in qvo fuiſſe dignoſcitur, cum nuncius ipſius H. eſt iter ipſum aggreſſus.* Videtur igitur Pontifex per interpretationem emollire voluiſſe verba reſcripti poſterioris, alias ſatis clara & perſpicua.

perſonatum] Perſonatus ſæpè diſtingvitur à dignitate, quod dignitas juriſdictionem annexam habeat, perſonatus non habeat. Promiſcuè tamen illa

illa ſæpè vocabula uſurpari, & perſonam in hoc capitulo Rectorem ſeu curionem, parochialis Eccleſiæ ſignificare notant Bengeus & Pinsſonius *de benef. ſ. 19. n. 11. 12.*

Notandum hinc I. neminem duarum Eccleſiarum miniſtrum eſſe, vel duas dignitates Eccleſiaſticas vel duos perſonatus habere poſſe *c. 25. X. de præbend. & dign.* Ratio eſt, qvia ſingula beneficia in ſingulis Eccleſiis aſſiduitatem exigunt perſonarum. Sed hic tamen multas & limitationes & diſpenſationes admittunt Canoniſtæ, freqvensqve inter eos de compatibilitate & incompatibilitate beneficiorum eſt diſputatio. Vid. Bengeus *tit. de pluritate benefic.*

II. Qvandocunqꝫ revocari poſſe delegationem à delegante etiam poſt litem conteſtatam, nec tamen infringi, qvæ per delegatum geſta ſunt, anteqvam revocatio ei innotuit. Vid. Barboſa *ad h. t.*

III. Tenorem commisſionis ſtrictè obſervandum eſſe, nec licere judici delegato fines mandati excedere.

IV. Sententiam à delegato extra fines mandati pronunciatam nullius planè eſſe momenti, neqve vires rei judicatæ acqvirere.

Ad c. in literis 5.

Actori interdicto unde vi agenti objecerat reus vitium electionis, qvod actor non fuiſſet canonicè inſtitutus. Qværebatur, an exceptio hæc impedire poſſet reſtitutionem? Negat Pontifex, & reſtitutionem illicò faciendam eſſe docet, ſimul atqve ea probata fuerit, & hinc prius de violentâ ejectione in judicio agendum eſſe.

Ratio dubitandi eſt, qvia vitium electionis prodeſſe non debet inſtituto, & qvia dolo facit, qvi petit id qvod illicò reſtituturus eſt.

Rationem decidendi ſumit Pontifex ex vulgari JCtorum regulâ, qvod etiam prædo ſpoliatus ante omnia reſtitui debeat.

canonicè] i. e. ſecundum canones, uti legitimè factum dicitur, qvod ſecundum leges factum eſt.

inſtitutum] inſtitutus dicitur, qvi accipit ab Epiſcopo beneficium ad præſentationem Patroni.

prædo] Prædonis vocabulum variè dici notat Jacobus Menochius *de recup. poſſ. remed. 1. n. 110.* In hoc textu accipitur vel de eo, qvem poſtea præ-

do-

donem eſſe apparet, & adeò manifeſtus non eſt, vel de manifeſto quidem prædone, ſed ab illo, qvi non liquidò dominus eſt, dejecto. Bachov. ad Treutl. *vol. 2. diſp. 25. th. 5. lit. C.*

ſecundum rigorem juris] Videtur hoc timidè aſſeruiſſe Pontifex, dum ad rigorem juris refert, qvod prædo ſpoliatus reſtituendus ſit. Eſt autem ejus argumentum à minori ad majus: Si prædo reſtituendus eſt in poſſeſsionem ex communi doctrinâ, multo magis ille, qvi poſſeſsionem nactus eſt per vitium aliqvod occultius.

Notandum hinc I. In interdictis recuperandæ locum non habere regulam: Dolo facit, qvi petit id, qvod reſtituturus eſt. Gail. *l. 2. obſ. 75. num. 4.* Petr. Frider. *de interdict. comm. 23. n. 67.*

II. Neqve admitti exceptionem poſſeſſionis vitioſæ, qvæ fuerit ex parte actoris. Nec enim propterea, qvod vitioſa ſit penes actorem poſſeſſio, eum dejicere licet. Hoc ſcil. eſt, qvod dicitur in jure Saxonico: Man ſoll niemand aus ſeinen Gewehren weiſen / ob er gleich mit Unrecht darein kommen wäre. Land-R. *lib. 1. art. 24.* Talis igitur eſt in interdictis proceſſus, ut non attendatur poſſeſſionis cauſa aut poſſeſſoris juſtitia, qvi interdictum petit, ſed nudus actus poſſidendi, & vera atqve naturalis inſiſtentia, Franc. Milanenſ. *deciſ. 3. n. 179.* Andr. Knichen *de jur. territor. c. 5. n. 10.* Atqve hinc fieri debet reſtitutio, etiamſi ſpoliatus ab illo ipſo cum qvo experitur vitioſè, vi ſcil. clam aut precariò poſſideat. *§. 6. Inſt. de interd.* Qvod ſecus eſt in interdicto, uti poſſidetis, & aliis, in qvibus ſuccumbit, qvi ab adverſario poſſidet vitioſè. Bachov. in Treutl. *vol. 2. diſp. 25. th. 5. lit. C.*

III. Etiam prædonem eſſe reſtituendum. Sed uti timidè id aſſerit Pontifex, ita pleriqve hodiè excipiunt prædonem manifeſtum, ſicubi is à domino manifeſto dejectus fuerit. Vid. Bachov. *d. l.* Zoeſ. *ad ff. de vi & vi arm. n. 17. 18. ſeqq.*

Ad c. item cum 6.

Caſus talis eſt: Agenti Titio interdicto recuperandæ poſſeſſionis reus objecerat crimen homicidii. Qværebatur, utrum exceptio talis admitti, & per hanc retardari reſtitutio ſpoliati deberet. Negat Pontifex, & cognitionem de homicidio commiſſo differri jubet poſt reſtitutionem.

Ratio dubitandi eſt, qvia actio criminalis incidens in civilem, prius terminanda eſt, civili interim ſuſpenſa *l. 4. C. de ord. judic. l. 54. ff. de judic.* Et hanc rationem extendunt nonnulli, ut locum habeat, etiamſi civilis actio intentetur ab uno, & criminalis ab alio, ut videlicet tunc etiam civilis ceſſet, donec criminali finis imponatur. Petr. Frider. *de interdict. comm. 23. num. 75.* Ratio rationis eſt, qvia Reip. intereſt, ne delicta maneant impunita, & ut qvam citisſimè de illis cognitio inſtituatur.

Ratio decidendi eſt, qvia ſpoliator præſumitur eſſe inimicus ſpoliati, & ſic magis vexandi animo objeciſſe cenſetur iſtud crimen, qvàm quod verè id commiſſum præſumi qveat. Cui accedit, qvod exceptio criminis non operetur effectum privativum reſtitutionis, nec excludat actionem ſpoliati. Joh. Bapt. Vivian. *in ration. ad h. t.*

clam poſſeſſionem intraſſe] Clam nanciſcitur poſſeſſionem, qvi futuram controverſiam metuens, ignorante eo, qvem metuit, furtivè in poſſeſſionem ingreditur. *l. 6. ff. de acq. poſſ.* Non habet autem clàm ingreſſus hoc ipſo poſſeſſionem. Poteſt enim aliùs eſſe in fundo, alius poſſidere *l. 3. §. 7. eod.* ſed tum demum, ſi reverſum vel volentem intrare rem ſuam prohibuerit, aut etiam is ſponte ceſſerit, *d. l. 3. §. 8. l. 25. §. 2. eod.* Tum tamen vi magis intelligitur poſſidere, non clàm. *d. l. 6. §. 1.* Zoeſ. *de acq. poſſ. n. 6.*

crimen] Ita dicitur delictum, quod publicæ vindictæ gratia accuſatur vel objicitur apud eum qui poteſtatem gladii habet ad animadvertendum in facinoroſos homines. Et opponitur delicto in ſpecie ita dicto, *l. 17. §. 18. ff. de ædil. edict.* qvod eſt peccatum, de quo civili potiſſimum actione agunt ii, ad qvos ea res pertinet. Vid. Anton. Matth. *de crim. prolegom. cap. 1. num. 1.*

criminaliter] Criminaliter agere dicitur non is tantum, qvi ex delicto agit ad pœnam corporis afflictivam, ſed etiam qvi agit ad pœnam pecuniariam fiſco applicandam, breviter, qvi agit ad vindictam publicam. Vid. Fr. Duarenus *l. 1. Diſp. anniverſ. cap. 35.* Frid. Hiltrop. *in proceſs. part. 1. tit. 4. n. 22.*

Notandum hinc I. Eum, qvi clam poſſeſſionem alterius, dum ille adhuc posſideret, intravit, non teneri interdicto unde vi, niſi redeuntem poſſeſſorem intrare prohibuerit. *l. 6. §. 1. ff. de acq. poſſ.* Si qvis verò poſſeſſionem vacuam clam intravit, adverſus eum datur condictio ex lege, qvam introduxit Juſtinianus *in l. ult. C. unde vi.* Conf. Bachov. in Treutl. *vol. 2. diſp. 25. th. 5. lit. C.* Franc. Balduin. *in Juſtinian. lib. 3. pag. 314.* Alvar. Valaſc.

con-

Digitized by Google

conſultat. 93. n. 11. Obiter addo, vacuam poſſeſſionem dici, qvæ vacat vel domino ab aliis dejecto, vel negligente, vel qvia longo tempore abfuit, vel qvia ſine ſucceſſore mortuus eſt. *l. 4. §. 28. l. 37. §. 1. ff. de uſucap.*

II. Reis pro ſuâ defenſione licere actoribus per modum exceptionis crimina objicere; talem verò exceptionem non ſemper habere effectum actionis excluſivum aut ſuſpenſivum, ſed tum demum, qvando ipſa præjudicialis fuerit. In reliqvis concurrere ac ſimul ventilari atqve decidi poſſunt. Petr. Frider. *de interdict. comm. 23. num. 79.* ut maximè ſe invicem contingant, Valent. Volz. *ad l. 2. §. 5. ff. ad L. Jul. de adult. n. 13.* Id certum eſt, poſſeſſionis qvæſtionem per objectionem criminis non ſuſpendi, *l. 21. pr. ff. de SCt. Silan.* Frider. *d. l. 81.*

III. Spoliatorem præſumi inimicum ſpoliati. Marcell. Calà *de mod. artic. num. 348.* Maſcard. *de probat. concluſ. 898. num. 11.* neqve audiri hinc debere in poſſeſſorio ejus de crimine ab actore commiſſo exceptionem, anteqvam actor plenè reſtitutus fuerit.

Ad c. conqverente 7.

Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, qvi tùm fuit vel Thomas Becket, vel ejus ſucceſſor Richardus, Renaldum clericum Eccleſiaſticis diſciplinis vacantem ſine prævià cauſæ cognitione Eccleſià ſeu beneficio Eccleſiaſtico ſpoliaverat. Indignum id Archi-Epiſcopo ratus Pontifex Eccleſiam cum omnibus reditibus perceptis reſtitui jubet, reſervatâ Archi Epiſcopo actione, ſi qvam habere putaverit.

Ratio dubitandi petenda eſt ex jure, qvod prætendebat Archiepiſcopus. Et ejus qvidem nulla hîc fit mentio ſpecialis, ſine dubio tamen tale fuit, qvod aliqvam juſtitiæ ſpeciem præ ſe ferebat. Et putat Cujacius, in præſcriptione temporis jus iſtud radicatum fuiſſe atqve hoc, nî fallor, probatum putat exinde, qvia circa finem Eccleſia dicitur præſcripta. Sed vereo ego, ne vocabulum hoc in alium ſenſum trahatur, cùm præſcripta Eccleſia ex idiotiſmo ejus temporis idem fortè ſignificet, qvod Eccleſia prædicta, aut præfata, aut memorata. Qvicqvid ſit, cauſam iſtam non fuiſſe manifeſtam & ſufficientem, cur ſpoliari Eccleſiâ Clericus debuerit, ex verbis Pontificis conjicere licet.

Rationem decidendi ſumit Pontifex ex officio, qvod gerit Prælatus ſuperior. Debet enim, qvi talis eſt, inferioribus & ſibi ſubjectis clericis potiùs

Digitized by Google

conferre qvàm auferre beneficia, dum in Patris locum ſuccedit, & paternè adeò illis proſpicere obſtrictus eſt.

ſine judicio] h. e. extrajudicialiter, ſine prævia cauſæ cognitione, propria & privata qvaſi autoritate.

tuæ jurisdictioni] h. e. tibi ſubjectos, qvi in tuâ ſunt diœceſi aut provinciâ. Sic enim vocabatur Regio, intra qvam jurisdictionem exercebat Epiſcopus aut Metropolitanus. Vid. Autor Euchariſtici Jacobo Sirmondo miſſi *de Eccleſ. ſuburb: car. part. poſt. c. 4.*

Reſponſalem tuum] Dicitur aliàs apocriſiarius, & h. l. idem eſt qvod Procurator. Sic enim dicuntur, qvi Epiſcopatûs aut monaſterii negocia tractant, & de iis reſpondent, aliis in ſtudio & precibus occupatis. Jac. Ruſsard. *ad l. 29. C. de Epiſc. & Cler. qvam refert in fin. Cod. pag. 366.* Aliqvando autem apocriſiarius & Reſponſalis ſignificat eum, qvi miſſus erat ab Eccleſiâ Patriarchali, ut cauſas ejus Eccleſiæ apud Principem proſeqveretur, & pro negociis fidei & diſciplinæ excubaret, ſimulqve veluti fidei publicæ obſes in comitatu Principis degeret. Sic enim Eccleſia olim Romana in Conſtantinopolitanâ ſuum habebat apocriſiarium ſeu Reſponſalem, qvi in aulâ Imperatoris reſidens res Eccleſiæ curabat. Vid. Jac. Gretſerus *obſerv. lib. 2. cap. 6. in Georgii Codini c. 5.* Petr. de Marca *de concord. ſacerdot. & Imp. lib. 5. c. 16.*

Notandum hinc I. Etiam adverſus ſuperiorem improbè ſpoliantem competere interdictum recuperandæ. Plerique omnes explicant hoc capitulum de judice, qvi ſpoliat juris ordine prætermiſſo, qvod mihi non videtur. ArchiEpiſcopus enim hîc non ut judex, ſed ſine judicio, & planè ut privatus, ſpoliaſſe dicitur. Interim certum eſt etiam judicem ſpoliare qvandoqve, & tùm non minus reſtitutionem faciendam eſſe. Vid. Achill. Perſonal. *de adipiſcend poſſ. n. 278. ſeq.*

II. Reſtitutionem ſpoliatis faciendam eſſe, non ipſius tantùm rei, qvæ ablata eſt, ſed omnium etiam redituum & fructuum, qvi percepti ſunt aut percipi potuerunt, nec audiri debet ſpoliator, ſi unicùs tantum adhuc denarius deſit. Tiraqvell. *de judic. in reb exig. f. 90. §. 34.* Et quidem reſtitutio illa fit ſine ſpe repetitionis, etſi poſtea ſpoliator in petitorio vincat. Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 7. def. 8.*

Ad c. ex transmiſsâ 8.

Agitur in hâc Decretali de caſu qvotidiano & in Conſiſtoriis freqventiſſimo. Caja Uxor militis à marito propter ſævitias diſceſſerat. Maritus age-

Digitized by Google

agebat ad reſtitutionem, ut ſibi ea reſtitueretur. Negabat Uxor, reſtitutionem ſui fieri debere, qvod peſſimè hactenus habita fuerit à marito, qvodqve non alia ſibi in poſterum ſperanda ſit tractatio. Pontifex reſtitutionem faciendam eſſe reſcribit, ut tamen maritus præviam præſtet cautionem, liberalis ei poſthac fore conſortium & ſævitiam ſe amplius exercere nolle. Excipit autem Pontifex caſum, qvando capitali odio & inimicitiâ maritus ita exardet ut Uxor juſtam diffidentiæ & recuſationis cauſam habeat, & tùm ait ſeqveſtrò eam deponendam eſſe apud probam & honeſtam mulierem, donec de cauſâ diſſidii plenior cognitio abſoluta & res deciſa fuerit.

Rationem dubitandi, qvod reſtitutio fieri non debeat ſuppeditat ipſa mulier, dum ſibi metuit ab malâ mariti tractatione. Videtur verò ipſa inſuper negaſſe, qvod militi actori legitimè deſponſata & ab eo cognita fuiſſet. Hoc enim eſt, qvod jubet Pontifex prius inqvirere, qvam reſtitutio decernatur.

Ratio decidendi petenda eſt ex vinculo conjugali, qvippe qvod perpetuam & indiſſolubilem vitæ ſocietatem continet, & cui propterea nec maritus nec uxor altero invito, imò nec ambo conſenſu mutuo renunciare poſſunt. Metus autem qvi obvertitur, per cautionem tolli poteſt.

Cur autem eo caſu, qvando maritus Uxorem capitali odio perſeqvitur, reſtitutio fieri illicò non debeat. ratio hæc eſt, qvia tale odium eſt juſta cauſa ſeparationis qvoad thorum & menſam.

Idem] ſcil. Alexander III. & additur in antiqvâ Decretali: *Albienſi & Belluacenſi Epiſcopis.* Scripta eſt igitur hæc decretalis ad factum, qvod in Galliis contigit.

ſufficienti cautione] h. e. tali, qvæ fit per fidejuſſores vel pignora Pyrrhus Maur. *de fidejuſſ. cap. 8. num. 11.* Relinqvendum tamen id eſt arbitrio judicis, qvanta præſtari debeat. Auguſtin. Barboſa *ad h. t. n. 9.*

capitali odio] Si aut vitæ fuerint ſtructæ inſidiæ, aut capitali judicio Uxor accuſata fuerit, aut tale qvid aliud contigerit.

Notandum hinc I. interdicta etiam applicari perſonis conjugatis in ſe invicem, qvia ſcil. per deſponſationem Vir acqvirit juſtum titulum in mulierem & per copulam ſubſeqventem acqvirit poſſeſſionem illius. Joh. Bapt. Vivianus *in ration. ad h. t.* Præſtat tamen non confundere jus perſonarum & jus rerum, Et hinc rectius fortaſſe dicuntur actiones ex conſtituto matri-

Digitized by Google

trimonio ad cohabitandum comparatæ eſſe ex jure perſonarum conjugali, qvod conſiſtit in perpetuâ vitæ conſvetudine. Vid. Hahn. ad Weſenbec. *tit. de judic. n. 4. & de Sponſal. n. 7.*

II. Facilius dirimi ſponſalia, qvàm conjugium per copulam conſummatum.

III. Mulierem aufugientem â marito propter ſævitiam non poſſe cogi ut redeat, niſi maritus ſufficientem præſtiterit de non amplius ſæviendo cautionem, etſi ſævitia iſta culpâ uxoris contigerit. Schneidewein *ad Inſt. de nupt. part. 4. n. 16.*

IV. Propter inimicitias capitales permitti inter conjuges ſeparationem qvoad thorum & menſam.

Ad c. cum veniſſet 9.

Archi Epiſcopus Eboracenſis qvi tùm fuit Rogerus, Eccleſiam, qvam Clericus aliqvis tenebat, conceſſerat Canonicis & Capitulo S. Trinitatis, eâ qvidem lege atqve conditione, ut Clericus iſte interim, quoad viveret, Canonicis annuam daret penſionem, poſt mortem autem ejus, pleno jure Eccleſia ad capitulum pertineret. Iſtam conceſſionem confirmaverat Papa. Et Canonicis deinde à Clerico ſoluta fuit penſio, in qvam ipſe ſine dubio conſenſerat. Poſt mortem Clerici, ingreſſi erant Canonici in poſſeſſionem Eccleſiæ ſibi antehac conceſſæ, & quidem ingreſſi erant ſine novâ ArchiEpiſcopi autoritate, tùm qvod metuerent, ne alius, de qvo ſuſpicio erat, præveniret Clericus & poſſeſſionem occuparet, tùm qvod ipſum ArchiEpiſcopum ſibi parum faventem crederent, in qvem finem, ne in poſſeſſione ſuâ vel à Clerico illo vel ab ArchiEpiſcopo turbarentur, ſimul appellationem interpoſuerant. Ægrè id ferens Archiepiſcopus frumentum & alia Eccleſiæ bona, qvæ Clericus moriens reliqverat, avexit, ſed qvæ omnia reſtitui ideò oportuit, qvia poſt appellationem interpoſitam ablata fuerant. Qværebatur ſolùm, an vitioſa eſſet Canonicorum iſta poſſeſſio, uti prætendebat Archi Epiſcopus. Et non eſſe vitioſam reſpondet Pontifex.

Pro ArchiEpiſcopo facit, qvod Religioſi, qvibus à Papâ conceſſum eſt, ut Eccleſias ſubjectas in proprios usûs convertere liceat, non auctoritate propriâ poſſeſſionem rarum occupare, ſed â diœceſano loci recipere debeant, *c. 19. X. de privileg.* Qvò & facit, qvod vitioſa ſit rei emptæ poſſeſſio, ſicubi

ubi per ſe emptor eam occupaverit, non inductus à venditore, *l. 33. ff. de acq. poſſeſſ.* & qvod prædo ſit, qvi taliter poſſeſſionem nanciſcitur. *l. 5. eod.*

E contrario optimam hanc decidendi rationem allegabant Canonici, qvod ipſi jam ante, dum adhuc viveret Clericus, poſſediſſe intelligantur Eccleſiam, qvandoqvidem ab eo vivo annuam accepiſſent penſionem, qvæ præſtatio argumentum eſſet traditæ poſſeſſionis, qvodque ita non ſuo amplius nomine Clericus in poſſeſſione fuerit, ſed Eccleſiam tenuerit nomine Canonicorum, is verò rem verè poſſideat, cujus nomine poſſidetur, *l. 18. pr. ff. de acq. poſſ.*

Priore] Prior aliàs vel eſt conventualis vel clauſtralis. Qvandoqve tamen latiùs accipitur iſtud vocabulum pro omni eo, qvi præeſt. Qvomodo hìc prior dicitur, qvi præeſt Eccleſiæ collegiatæ.

Capitulo] ita dicitur Collegium Canonicorum, qvod qvotidiè inter eos legeretur & explicaretur caput Biblicum, aut, ſi prolixum nimis eſſet, ejus ſaltem aliqvod membrum qvod capitulum dicebatur. Vid Himmel. *de canonicatu cap. 1. pag. 12.*

audientia] Ita vocatur notio Epiſcopi, *tit. Cod. de Epiſcop. aud.* & hìc ipſius Papæ. Vid. Alberic. Gentil. *de nupt. part. 1. c. 14.* Gisbert. Voet. *polit. Eccleſ. part. 1. lib. 3. tr. 3. c. 2. §. 5.*

omnibus modis] i. e. ut pleno jure ad Canonicos rediret, poſtqvam ſcil. expiraverit uſusfructus per mortem Clerici.

penſionem] Penſio definitur, qvod ſit moderata qvædam beneficii delibatio, autoritate ſuperioris ad tempus ex causâ alicui asſignata. Vid. Bengeus *de benefic. Eccleſ. pag. 238.*

Notandum hinc I. Vivente poſſeſſore beneficii non poſſe illud alteri promitti. Præbendæ enim eæ tantum conferri & promitti poſſunt, qvæ vacant, non aliæ, *c. 1. 2. 3. 13. 16. X. de conceſſ. præb. c. 2. & 3. eod. in 6.* ne à Papa quidem, qvod ingenuè fatetur Didacus Spino à Caceres *in ſpec. teſt. gloſſ. 4. num. 102. ſeq.*

II. Donationes vel converſiones Eccleſiarum, ſi qvæ fiant privatis perſonis, viventibus illis, qvi iſtas Eccleſias posſident, nullius eſſe momenti. Si tamen religioſis fiant locis, aut capitulo & collegio cum autoritate ſuperioris, ratas eas eſſe & firmas, hâc tamen lege, ut poſt mortem demum poſſeſſoris ejus Eccleſiæ commodis capitulum fruatur, *c. 4. X. de donat.* Rationem reddit gloſſa ad hunc textum, qvia qvod Collegio datur, nemini

da.

datur, & nullus ſuo nomine inde capit emolumentum, & ſic nullus deſiderat mortem viventis.

III. Neqve cenſum novum Eccleſiis imponi, nec veteres augeri poſſe, neqve partem redituum invito poſſeſſore in ſuos vel alios usûs vertere Epiſcopo licere *c. 7. X. de cenſib.* Poſſe tamen poſſeſſorem ſponte penſionem aliqvam alteri dandam promittere, qvandoquidem etiam poſſesſione cedere qveant *d. c. 4. X. de donat.*

IV. Vitioſam eſſe poſſesſionem, ſi qvis propria autoritate eam ingrediatur & occupet, ut maxime titulum habeat *l. 5. l. 33. ff. de acq. poſſ. l. 7. C. de acq. poſſ.* niſi occupatio fiat priſtino poſſeſſore vel tacitè vel expreſsè conſentiente. Vid. Duaren. *ad. d. l. 5.*

V. Ad acqvirendam poſſesſionem non ſemper neceſſariam eſſe traditionem & adprehenſionem corporalem *l. 74. ff. de contrah. empt. l. 1. §. 21. & l. 18. §. 2. ff. de acq. poſſ.* Petr. Frid. *de mater. poſſeſſ. cap. 11. num. 19. ſeqq.*

VI. Præſtationem penſionis argumentum eſſe traditæ poſſesſionis. *arg. l. 28. & l. 35. §. 5. C. de donat. l. 77. ff. de R. V. l. 19. 28. ff. de acq. poſſ.*

VII. Eum verè posſidere, cujus nomine posſidetur. *d. l. 18. pr. l. 9. ff. eod.* Posſidemus ergò corpore etiam alieno *l. 3. §. 12. ff. eod.* Et qvi aliis posſident, propriè non posſident, qvamvis & ipſi naturaliter posſidere dicantur. *l. 7. §. 11. ff. comm. div.*

VIII. Jure Canonico licere appellare non tantùm ab interlocutoriâ ſententiâ & qvovis alio gravamine *c. 1. de appell. in 6. c. 2. de dol. & cont. in 6.* ſed etiam à gravamine futuro, qvod qvis ſibi veretur illatum iri. Sic enim in antiqva decretali dicitur, Canonicos appellaſſe, cum timerent potentiam & invaſionem Archi-Epiſcopi, Conf. *c. 51. X. de appell.*

Ad c. ex conqveſtione 10.

Titius Uxorem, poſtqvam ex eâ filiam ſuſcepiſſet, domo ejecerat, ſub prætextu impedimenti ex conſangvinitate ſibi antea ignota, emergentis, & ut de impedimento iſto plenius conſtaret, Commiſsarios impetraverat à Pontifice, qvi de causâ diſceptantes audirent & cognoſcerent. Anteqvam mulier ab his citaretur, ipſa apud Epiſcopum diœceſanum reſtitutionem ſui petiit, & hoc idem repetiit, poſtqvam citata coram Commiſſariis comparuiſſet, reſtitutionem ante omnia fieri debere contendens. Commiſſariis verò reſtitutionem denegantibus & ad cauſam principalem prope-

pe-

Digitized by Google

perantibus, ipſa ad Pontificem appellavit. Pontifex reſtitutionem fieri debere reſpondit, atqve in eum finem alios delegavit judices, qvi & reſtitutionem facerent, & cauſam inſimul principalem definirent.

Ratio, cur reſtitutio fieri non debeat, duplex hæc dari poteſt. Primò qvia impedimentum ex conſangvinitate proveniens tale eſt, ut etiam conjuges cohabitantes rectiùs ab ſe invicem abſtineant, qvàm ut debitum conjugale alter alteri præſtet, tantum abeſt, ut à ſe invicem ſeparati conglutinari iterum debeant. Deinde qvia delegatio facta fuit in ipſâ causâ principali, & qvidem, remoto appellationis obſtaculo.

Ratio autem Pontificis eſt iſta, qvia in dubio pro matrimonio legitimo aut canonico præſumitur, nec alter conjugum alterum interim defraudare poteſt, tùm verò qvia non debet qvis ante reſtitutionem litigare de proprietate rei violenter ſubtractæ. Atqve ſic etiam deciſum eſt in *c. X. ut lit. pend. nihil innov.*

Ego verò fateor, tanti mihi non videri rationem decidendi, ut non diverſa magis placeat ſententia, poſito, impedimentum ex conſangvinitate tale eſſe, qvod non impedit tantùm matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum. Error enim vel ignorantia vel delictum circa gradûs *Levit. XVIII.* prohibitos facit, ne ſit matrimonium, ſeu impedit validitatem ejus, imò verò propriè non dirimit formam matrimonii, ſed potiùs negat formam matrimonii. Aut igitur certus eſt conjux de tali impedimento, aut dubius. Neutro caſu cohabitare debet carnaliter. Non primo, uti fatetur Thomas Sanchez *de matrim. lib. 2. diſp. 39. num. 3.* & expreſsè probatur per *c. 44. X. de ſentent. excomm.* Non ſecundo, qvia tùm ageret conſcientâ dubiâ, ex qvâ qvi agit, ſine dubio peccat. Hornejus *phil. moral lib. 3. c. 4. n. 8.* Et præſtat tùm abſtinere, atqve tutiorem partem eligere, qvàm in probabili delicto perſiſtere.

ſine judicio Eccleſiæ] h. e. propriâ autoritate, nullâ cauſæ cognitione judiciali præviâ.

de accuſando] Accuſare matrimonium, eſt impedimentum, ob qvod inter conjuges matrimonium conſiſtere non poſſit, explicare.

ſine canonico terminetis] h. e. per canonicam ſententiam decidatis, Phraſis iſta tùm vulgaris fuit, & alibi paſſim reperitur. Vid, *c. 1. X. qvi matr. accuſ. poſſ.*

Digitized by Google

Obſervo hîc I. Dari qvædam, impedimenta, qvæ etiam matrimonium contractum dirimunt. Sed hic cautè atqve circumſpecte procedendum eſt, cùm de gradibus prohibitis maxima adhuc inter Doctores verſentur litigia, & ſint, qui putent, non omnes in Levitico prohibitos gradus tales eſſe, ut matrimonia perfecta & conſummata diſſolvere valeant. Vid Beuſt. *de matrim. num. 52. pag. 204.*

II. Non licere conjugibus propriâ autoritate matrimonium diſſolvere, abſtinere tamen ex juſtâ causâ licere â congreſſu.

III. Conjugem temerè diſcedentem cogi poſſe, ut redeat & cohabitet.

IV. Etiam in cauſis matrimonialibus procuratorum qvandoqꝫ admitti.

V. Poſt appellationem interpoſitam, quæ penes judicem inferiorem, aut ab eo geſta ſunt, revocari debere.

Ad c. gravis 11.

Dolenſis monaſterii fratres ab Archi Epiſcopo circa privilegia turbati & vim paſſi fuerant, qvæ tamen qvalis fuerit, non usqve quaque conſtat. Videtur tamen ea admodum damnoſa multisqve cum injuriis conjuncta fuiſſe. Pontifex & ablata reſtituere & damna reſarcire & de illatis injuriis ſatisfacere, fructusqve omnes & perceptos & percipiendos reddere jubet.

In hoc igitur capitulo ſolum id tractatur, qvid reſtituere debeat violentus invaſor. Et eſt hæc deciſio generalis, amputatis omnibus circumſtantiis casûs propoſiti, â compilatore propoſita. Unde nec de rationibus, qvas in contrarium Archi Epiſcopus propter factum ſuum allegavit aut allegare potuit, qvicqvam proferre nunc licet.

Ratio decidendi eſt, qvia fructus rei cujusqve acqviruntur domino ejus rei, aut ei qvi loco domini eſt; Malæ autem fidei poſſeſſor nullum jus in re habet, & propterea per ſententiam ſalva debet conſervari conditio actoris, ut ea talis exiſtat, qvalis futura fuiſſet, ſi rem ſuam nunqvam perdidiſſet, idqve ita conſtitutum ſimul eſt in pœnam malæ fidei poſſeſſoris, ut etiam id, qvod ipſe non percepit, reſtituat.

Archidiaconum] legendum, *Archi Epiſcopum*, ex antiqva Decretali.

fratribus] Ita olim ſe invicem compellabant omnes Chriſtiani. Vid. Minut. Felix *in Octav. p. 20.* Deſid. Herald. *ad Tertull. apolog. p. 162.* Patritius Junius *ad Clement. Epiſt. 1. ad Cor. N. 3.* Sed ſciſsâ fraternâ unitate verè Chriſtianâ in ſegreges & varias factiones, nomen iſtud uſum ſuum univerſalem

per-

perdidit, & qvibusdam ſocietatibus, maximè monachorum, adhæſit. Gisb. Voët. *polit. Eccleſ. part. 2. l. 4. tr. 4. ſect. 3. c. 1.*

Notandum hinc I. reſtitutionem ex interdicto recuperandæ ita fieri debere, ut non ipſum tantum prædium reſtituatur, ſed omnia etiam mobilia, qvæ dejectus tempore dejectionis ibi habuit, *l. 1. § 33. ff. de vi & vi arm.* & qvicqvid præterea damni ſenſit ob hoc, qvod dejectus eſt, *d. l. 1. §. 31. eod.* Hoc enim eſt, qvod dicit hîc Pontifex, ablata cum integritate reſtitui, & damna plenaria reſarciri debere.

II. Malæ fidei poſſeſſorem non perceptos tantùm, ſed etiam percipiendos reſtituere debere fructus *l. 5. l. 22. C. de R. V. l. 10. §. 19. 20. ff. qvæ in fraud. cred.* Atqve eorum ratio haberi debet ex ipſo illo die, qvo qvis dejectus eſt, *d. l. 1. §. 40. ff. de vi & vi arm.* Neqve tum perſona poſſeſſoris conventi, ſed petitoris ſpectanda eſt. Negligentia enim poſſeſſoris doloſi domino nocere non debet, qvo minus conſeqvatur, qvod conſeqvi potuiſſet, ſi ipſi licuiſſet rem poſſidere. *l. 33. l. 62. §. 1 ff. de R. V. l. 4. C. unde vi.* Joh. Cop. *de fruct. lib. 2. tit. 4. c.* 1. Sed & præter fructûs cæterarum etiam utilitatum habenda eſt ratio, qvia omnia illa, qvæcunqve habiturus vel adſecuturus erat is, qvi dejectus eſt, ſi vi dejectus non fuiſſet, reſtitui debent, & tantum conſeqvi eum oportet, qvanti ſua intereſt, ſe vi dejectum non eſſe *l. 1. §. 41. ff. de vi & vi arm.*

Ad c. olim 12.

Exemplum hîc habetur ejus, vulgò qvod dici ſolet: Qvi vi, aut clam aut precariò poſſidet ab adverſario, impunè dejicitur, dummodo id fiat in continenti.

Caſus talis eſt: Epiſcopus Terdonenſis ordini fratrum Humiliatorum prædia qvædam eâ lege conceſſerat, ut ipſe dominium retineret, & poſſeſſionem, illi verò Oratorium & hoſpitale iſtic ædificarent, annuum cenſum darent, obedientiam promitterent, & præfectus loci inveſtituram à ſe peteret. Magiſter ordinis Templariorum cùm locum iſtum ſibi opportunum videret, perſvaſit Humiliatis, ut ſibi eum cederent. Atqve iſti haud gravatè conſenſerunt, dum tamen accederet inſuper conſenſus Epiſcopi & capituli, qvæ conditio expreſſis verbis addita erat. Templarii non expectantes Epiſcopi conſenſum illicò prædia occupant, & ut eſt in veteri decretali, exinde paramenta Eccleſiæ, inſtrumenta domus & libros auferunt,

Digitized by Google

& nonaginta oves abigunt. Re auditâ, Epiſcopus non tantùm conſenſum denegat, ſed etiam Templariorum homines cedere inde nolentes & reſiſtentes vi ejicit. His verò interdicto unde vi agentibus Pontifex Epiſcopum abſolvit, & Templarios non eſſe reſtituendos reſpondet, ſalvâ tamen qvæſtione proprietatis, ſalvâ etiam ſatisfactione debitâ, ſi fortè Epiſcopus defendendo jus ſuum modum exceſſerit.

Qværitur igitur, utrum hoc caſu Magiſtro Templariorum interdictum unde vi competat?

Ratio dubitandi eſt, qvia hoc interdictum competit illi, qvi dejectus eſt, etſi is ab eo, qvi vi dejecit, vi, clam, vel precario poſſideat, § 6. *Inſt. de interdict.* Poſito ergò vitioſam fuiſſe Templariorum poſſesſionem, non tamen propterea debuerunt vi dejici, & qvia dejecti fuerunt, applicari eis debet interdictum recuperandæ. Ipſa autem eorum poſſesſio dici nequit vitioſa, qvandoqvidem præceſſerit traditio ex parte Humiliatorum.

Ratio decidendi eſt, qvia Epiſcopus Terdonenſis ſimul atqve ipſi compertum fuit, clam ingreſſos fuiſſe Templarios, non modò prohibuit eos poſſesſionibus iſtis; ſed & cum cedere nollent, confeſtim vi dejecit. Tali autem modo dejecto non competit interdictum, cùm expellere ita confeſtim liceat *l. 3. §. 9 ff. de vi & vi arm.* Et videtur duplici vitio laboraſſe poſſesſio à Templariis apprehenſa, tum qvod ab initio clam intraverint, clam, inqvam, Epiſcopo, qui dominium ſibi & poſſesſionem ipſam reſervaverat, tùm quod poſt prohibitionem cedere noluerint, & advenienti Epiſcopo reſtiterint, qvâ ratione poſſeſſio clancularia degeneravit, in violentam, & tùm ipſe Epiſcopus vi dejectus fuiſſe videtur *l. 1. §. 24. l. 3. §. 8. ff. eod.* Nec qvicqvam facit traditio ab Humiliatis facta, tum quod illi poteſtatem tradendi non habuerint, dominio ſcil. & poſſeſſione ad Epiſcopum pertinentibus, ipſiqve adeò nomine alieno in poſſesſione conſiſtentibus, tùm qvod traditioni expreſſa hæc adjuncta fuerit conditio, ſi Epiſcopo complacitum iſtud negocium fuerit. Qvâ conditione deficiente non potuit non reſpectu Epiſcopi vitioſa eſſe poſſesſio à Templariis occupata.

& fratres militiæ Templi] communiter dici ſolebant Templarii, qvia ſcil. primò conſederant Hieroſolymis, parte templi Dominici eis ad habitandum conceſsâ. Prætextum ordinis jactabant iſtum, qvod peregrinantes ad loca ſancta contra Saracenorum vim protegere vellent. Initium cœperunt circa annum 1119. & pauperrimi tùm erant. Auctis verò in infinitum

Digitized by Google

nitum facultatibus cùm & formidabiles fierent principibus ſecularibus, & nefanda facinora committerent, totus Ordo à Clemente V. abrogatus eſt, bonaqve ejus addicta ordinibus Eqveſtribus aliis, inprimis Melitenſibus. Qvi illis præerat, Magiſter dicebatur. Vid. Raph. Volaterran. *lib. 21.* Hoornbek *in exam. bull. pap. contra Jeſuitiſſas p. 39.* Matth. Stephan. *diſcurſ. Acad. 4. & 18. vol. 2.*

poſſesſiones qvasdam] Poſſesſio hîc idem eſt, qvod fundus ſive prædium. Vid. *l. 115. ff. de V. S.* & ibi Gœddæus.

Humiliatis] Eos ſemimonachos vocat Raphael Volaterranus *d. l. 21.* & originem duxiſſe ait circa annum 1017. ab Mediolanenſibus qvibusdam ab Henrico III. exilio mulctatis. Sabellicus verò ad Friderici Barbaroſſæ tempora refert, nomenqve tuliſſe ait, qvod ad Friderici pedes qvandoqve humiliter proſtrati jacuiſſent. Aliter Jacobus de Vitriaco *hiſt. Occident. c. 28.* qvod ſcil. in paupertate & aſperitate habitus & geſtûs exterioris compoſitione & morum gravitate & in omnibus verbis & operibus ſuis magnum oſtenderent humilitatis exemplum. Eorum ordo à Lucio III. penitus erat reprobatus, ſed ab Innocentio III. & Clemente IV. reſtitutus. Aliqvando pauperibus de Lugduno ſive Waldenſibus æqviparati, & ferè pro iisdem habiti ſunt, uti conſtat ex *cap. ult. de hæret.* in primâ collectione. Vid. Chron. Carion. *lib. 4. p. m. 272.* Chaſſaneus *in catal. glor. mund. l. 4. conſid. 60.*

Oratorium] Ita dicebatur primitùs, qvod intra privatos parietes extructum erat ſacellum, cauſa pietatis & orationis. Aliqvando tamen etiam publica ædificia dicebantur Oratoria, qvibus congruam conſtituere oportebat dotem. Et tandem Monachorum capellæ oratoriorum nomine veniebant, qvæ monimentis & inſignibus locorum publicorum ſeu Eccleſiarum, qvalia ſunt campanæ ad convocandum populum, carebant. Vid. Nic. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. l. 2. c. 4. & 5.*

Hoſpitale] Talia olim freqventer ædificabantur in animæ remedium. Hieron. Bignon. *ad Marculfi form. p. 545.*

tres ſolidos] Solidi ubique freqvens eſt mentio, nec tamen ejus pondus & æſtimatio conſtans & perpetuò fuit eadem. Sollicitè eâ de re agit Didacus Covarruvias *de collat. vet. numiſm. cap. 3.* Rener. Budelius *de monet. cap. 22.* Et tres iſti ſolidi ſpeciali nomine cathedraticum dicebantur, qvod Epiſcopo ob

ob honorem cathedræ & in ſignum ſubjectionis perſolverentur. Lancellott. *Inſtit. jur. Can. l. 2. tit. 21.*

inveſtituram] veſtire & inveſtire nihil aliud eſt, qvàm electionem alicujus perſonæ factam ſuo ſuffragio vel conſenſu confirmare, aliqvando etiam ſolenniter aliqvid tradere, uti fit in Sacerdotiis, Eccleſiis, feudis &c. Vid. Lindenbrogg. *in Gloſſar. ad Leg. antiqv.* Hottomann. *de verb. feudal. verb. inveſtitura.*

Obedientiam faceret manualem] i. e. obedientiam per manum, interpoſito juramento fidelitatis junctis manibus. Anton. Dadin. Alteſerra *ad h. t.* juramentum tamen fortè raro additum fuit propter *c. 5. X. de jurejur.*

Hinc verò notandum I. Omnia loca ſacra in diœceſi exiſtentia Epiſcopo diœceſeos ſubeſſe, niſi ſpecialiter ſint exempta. *c. 3. X. de relig. dom. c. 16. X. de off. jud. ord.*

II. Poſſe reſervari ab Epiſcopo propter locum ſacris deſtinatum penſionem aliquam annuam ſine vitio Simoniæ. *c. 6. v. cum autem X. de religioſ. dom.* Vid Bengeus & Pinſon *de benefic. c. 4. part. 1.*

III. Conditionem adjectam totum ſuſpendere actum & nihil omninò ponere *l. 8. l. 37. l. 38. l. 39. ff. de R. C. l. 79. de cond. & de monſtr.* imò verò qvod ſub conditione datum eſt, ſub contrariâ conditione ademptum intelligi *l. 107. ff. de cond. & dem.* Conditio enim eſt velut cauſa ipſius actûs, qva ceſſante ipſum pariter ceſſare oportet. Joh. Bapt. Coſta *de fact. ſcient. & ign. in ſubject. conſult. n. 17* Galganett. *de condit. p. 1. c. 8. n. 4.*

IV. Per eos, qvi noſtro nomine in poſſeſſione ſunt, etſi dereliqverint poſſeſſionem, & alius eam occupaverit, ſive poſſeſſionem alii prodiderint, nihil penitus ex eâ re præjudicii nobis generari. *l. ult. C. de acq. poſſ.* Et qvanqvam ſint inter recentiores, qvi ſtatuant diverſum obtinere, qvando in poſſeſſione relictus alii eam tradit, ut adeò differentia ſit inter tradentem & prodentem, uti poſt alios vult etiam Gregor. Biccius *ad l. 3. §. 5. ff. de acq. poſſ. qvæſt. 10. n. 2.* ratio tamen, qvæ in *d. l. ult. C. de acq. poſſ.* habetur, æqvè tradentem ac deferentem comprehendit, ne ſcil. ex alienâ malignitate alienum damnum emergat. Vid. Arnold. Vinn. *ad §. 5. Inſtit. de interdict. n. 2.* Atqve hanc ſententiam videtur hîc probare Pontifex, dum ait, ex eo, qvod Magiſter Templariorum Epiſcopo ignorante à tradentibus humiliatis poſſeſſionem accepit, nullum juri ejus præjudicium irrogari.

V. Vi-

V Vi dejectum dejectorem impune iterum dejicere, dum tamen id fiat confeſtim non ex intervallo. *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm.* Qvi enim poſſeſſionem vi ereptam vi in ipſo congreſſu recuperat, in priſtinam cauſam reverti potiùs, qvam vi poſſidere intelligendus eſt, *l. 17. ff. eod.* Et ſic non tàm dejicitur violentus invaſor, qvàm potius poſſesſio ab altero dejiciente conſervatur. Ex intervallo autem qvæ fit dejectio violenti invaſoris eodem non cenſetur jure, ſed tum invaſori dejecto datur interdictum unde vi § *6. Inſt. de interdict.* Confeſtim verò dicitur, uti ex hoc textu apparet, non tantùm qvod fit ſtatim in ipſo articulo vis illatæ ejus propulſandæ cauſa, ſed etiam qvod fit ſtatim atqve certiores facti ſumus vi aut clam rei noſtræ poſſeſſionem occupatam eſſe. Cujac. *ad h. t.*

VI Repulſionem vis illatæ fieri debere cum moderamine, nec tàm ad ſumendam vindictam, qvàm ad defenſionem & ad propulſandam injuriam.

Ad c. literas 13.

Diſputatorem hìc potiùs agit Pontifex, qvàm legislatorem aut judicem. Decernit tamen, ſed ita, ut nihil decedere velit aut derogari opinionibus à ſe relatis, qvod videtur planè ἀσύςατον.

Caſus in ipſo textu habetur, in veteri tamen Decretali plenius, hoc modo: Imberta mulier, qvæ hìc Gulielma vocatur, à Viro divertens ſeparationem petebat, allegans tum conſangvinitatis in qvarto gradu impedimentum, tùm ſævitiam in ſe exercitam. Maritus verò, anteqvam qvicqvam in causâ decerneretur, reſtitutionem Uxoris ſibi fieri debere contendebat. Qværebatur, an facienda eſſet reſtitutio?

Ratio dubitandi in promptu eſt, tùm qvia cavendum eſt, ne inceſtus committatur, tùm qvia ex ſævitia mariti periculum mortis aut extremi cruciatûs metuendi erant mulieri. Accedebat, qvod paratæ dicerentur probationes circa impedimentum allegatum, nec adeò longiore proceſſu opus eſſet.

Reſpondet Pontifex per ſanctionem generalem, mulierem viro reſtituendam eſſe, & tum demum de cognatione diſceptationem inſtitui debere, ſed ità ut præmittatur & præſtetur ab Uxore juramentum calumniæ, qvod ſcil. non calumniandi & vexandi mariti causâ tale impedimentum, qvod opponit, excogitaverit. Qvia verò caſus oblati non omnes eodem modo & uni-

Digitized by Google

& uniformiter fieri debere ait, & hinc duplicem facit reſtitutionem; plenam & minus plenam. Illa includit copulam carnalem & thorum; hæc excludit, & tantum obſeqvium familiare continet. Illam fieri debere dicit tùm, qvando mulier non habet probationes in continenti paratas. Ratio eſt, qvia præſumitur contra eam, qvod temerè diſceſſerit à viro. Sed tùm tamen rectè facere, ſi propter conſcientiam, qvam de inceſtu committendo gerit, abſtinuerit ab re nuptiali, & debitum conjugale neget atqve ſic pluris fecerit conſcientiam convincentem, qvàm excommunicationem ab Epiſcopo indictam. Hanc verò, minus plenam reſtitutionem, fieri vult, qvando offeruntur probationes in continenti paratæ. Ratio eſt, qvia tùm periculum inceſti clariùs eluceſcit, nec adeò metuendus eſt proceſſus longior propter probationes jam inſtructas & paratas.

Præmittit verò ante hanc ſuam deciſionem Pontifex tres diverſas ſententias diverſorum Doctorum. *Primi* reſtitutionem fieri debere, ſepoſitâ omni aliâ qvæſtione contenderunt, propter *c. 10. h. t.* Et qvanqvam his objiceretur inceſtus periculum, qvod ſubeſſet, nullatenus tamen hoc ſibi obſtare reſponderunt, cùm nec exigi debitum conjugale, nec ſolvi debeat ab eo, qvi conſangvinitatis notitiam habeat. *Secundi* noluerunt admittere reſtitutionem, ſed cauſam cognationis præmitti debere exiſtimarunt, adducentes in eam rem *cap. 1. X. de ord. cogn.* & addentes inſuper, qvod etiam in aliis caſibus reſtitutio differri ſoleat, ut *c. 8. in fin. h. t. c. 4. X. de divort. Tertii* mediam tenuerunt ſententiam, & diſtinctionem fecerunt, inter gradus cognationis jure divino, & jure humano poſitivo interdictos, illo caſu nullam admittentes reſtitutionem, anteqvam cauſa principalis peracta fuiſſet, hoc verò reſtitutionem fieri debere ſtatuentes, ideò ſcil. qvod in hoc diſpenſari, illic verò neqvaqvam poſſit.

Nullam harum opinionum rejectam vult Pontifex, nec ulli per ſuam ſententiam, qvæ ab omnibus diverſa eſt, præjudicium creari, qvod mirum eſt, audiri â Pontifice ex cathedrâ decidente. De probationibus tantùm primæ & ſecundæ opinionis ex Lucii & Clementis Conſtitutionibus depromptis, hoc monet, non eſſe ſibi illas contrarias, cùm Lucii reſponſum de poſſeſſorio, Clementis verô de petitorio agat, nec ergò capitulum *1. X. de ord. cogn.* obſtare illis, qvi reſtitutionem Uxoris differri non oportere cenſuerunt.

No-

Nobis tertia opinio â Pontifice relata probatiſſima videtur. Cognatio enim in gradibus lege divinâ prohibitis eſt impedimentum matrimonii, & contrahendum impediens & contractum dirimens, nec diſpenſari in illis autoritate humanâ poteſt. Nec ergò tolerari, multo minùs injungi aut præcipi debet cohabitatio talium cognatorum, qvoad dubium fuerit de earum cognatione. Secus eſt, ubi manifeſtò conſtat, calumniandi aut vexandi animo impedimentum tale ab alterutro conjugum objectum fuiſſe.

Aſſertio Pontificis, debere in caſu, qvo probationes in continenti paratæ non ſunt, fieri reſtitutionem Uxoris omnimodam; non ſine periculo inceſtûs ſuſtineri poteſt. Et fatetur ipſe, debere mulierem in conſcientiâ ſuâ de injuſto conjugio convictam potiùs tolerare cenſuram Eccleſiaſticam, ſub qvâ illi reſtitutio injuncta fuit, qvam contra conſcientiam qvicqvam committere. At mulier, qvæ ſeparationem propter conſangvinitatem petit, non poteſt non agere contra conſcientiam, qvando actum petitioni ſuæ contrarium committit. Et ſufficit hîc habere conſcientiam dubiam, cum etiam is peccet, qvi exponit ſe periculo peccandi, qviqve utrumqve fieri poſſe putat, id eſt ut rectè faciat, ſi id agat, & ut malè. Nec tollit Pontifex difficultatem, qvam ipſe perplexam vocat, qvia ſcil. propter ſententiam oporteret eam reddere debitum, & propter conſcientiam reddere non deberet. Concludit tamen potiùs conſcientiam obſervandam eſſe. At nonne ſatiùs eſſet, reſtitutionem non fieri, qvàm exponere mulierem periculo agendi contra conſcientiam, cùm præſertim uſtulationibus à conjuge excitatis difficulter reſiſtatur, nec negare tori conſortium ſemper liceat.

Archiepiſcopo in remotis agente] Cauſæ matrimoniales ſunt de majoribus cauſis & ad Epiſcopi cognitionem pertinent. Eo tamen abſente aut aliàs impedito, ab Archidiacono, archipresbytero aut etiam Abbate definiri poſſunt. *c.* 1. *de conſangv. c.* 12. *X. de exceſſ. prælat.* Et Archidiaconus dicitur eſſe vicarius Epiſcopi in omnibus *c.* 1. *X. de offic. Archidiac.*

ſuâ temeritate] Hoc negabant amici & cognati Uxoris, atqve ipſam licentiatam, uti habetur in vetere Decretali, cum lacrymis & invitam à Viro receſſiſſe, proponebant.

diſpenſare non poteſt] i. e. diſpenſare non debet, nec expedit, uti explicat Thomas Sanchez *de matrimon. lib.* 7. *diſp.* 52. *num.* 8. Perperam omninò, cum nulla prorſus in præceptis divinis Pontifici competat diſpenſandi poteſtas.

Eſt autem diſpenſatio relaxatio legis publicâ autoritate facta, qvando ſcil. à Legis obligatione excipitur aliqvis ex ſubditis, eiqve licentia & facultas diverſum qvid agendi conceditur, ſine quâ Legi eſſet obnoxius. Albert. Bolognet. *de Leg. jur. & aeq. c. 32. n. 22.* Didac. Covarruv. *tom. 1. de matrimon p. 2. c. 6. §. 9. n. 2.*

excommunicationem humiliter ſuſtinere] i. e. pati ut excommunicationis ſententia in ſe lata effectum habeat, atqve ſic abſtinere debet à Sacramentorum participatione.

juramento recepto] calumniæ ſcil. qvod etſi ex conſtitutione Eugenii in *c. 2. X. de juram. cal.* in cauſis ſpiritualibus, qvalis etiam eſt cauſa matrimonialis, exigi non debeat, admiſſum tamen eſt deinceps â ſucceſſoribus & inprimis Bonifacio VIII. *in c. 1. §. fin. eod. in 6.*

Notandum hîc I. nulli poteſtati humanæ competere jus diſpenſandi circa leges divinss aut naturales. In qvibuscunqve enim deficit poteſtas legislatoria, in illis deficit etiam jus diſpenſandi, qvia diſpenſatio partem conſtituit poteſtatis legislatoriæ. Et adeò falſa eſt aſſertio Bellarmini, Gregorii de Valentia & aliorum, ſtatuentium, in omnibus gradibus etiam jure divino prohibitis licere Pontifici diſpenſare, excepto, gradu conſangvinitatis primo in lineâ tàm directâ, qvam transverſâ, & primo gradu affinitatis in linea directa. Impudentior adhuc eſt H. Zoeſius *ad tit. de conſangv. & aff. n. 37.* ſtatuens, licitè diſpenſare Pontificem in primo gradu lineæ transverſæ. Vid. qvæ adverſus has Pontificum diſpenſationes diſputat Andreas Rivetus *exercit. 113. in Geneſ.* Non nego, etiam in Eccleſiaſticis rebus diſpenſationem qvandoqve neceſſariam eſſe, qvippe per qvam ſæpè difficillimis temporibus in Eccleſia pax & unitas ſervata fuit, uti obſervat Franciſcus Florens *in diſſertat. c. 2. p. 22. & 102.* Petrus de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 3. c. 13.* Sed diſpenſatio illa, uti olim fieri conſvevit, ingenti diſcrimine abiit ab hodiernâ diſpenſatione Pontificiâ, neqve legibus divinis vim intulit. Recte ait Franciſcus à Victoria *relect. 4. n. 1.* non poſſe Papam mutare, diſpenſare aut abrogare decreta & Canones conciliorum, qvi pertinent ad articulos fidei & ad ſubſtantiam Sacramentorum. aut qvi neceſſariam & manifeſtam habent connexionem ad Legem divinam ſeu naturalem pertinentem ad bonos mores.

II. Propter periculum inceſtûs non debere cogi conjugem diſcedentem, ut revertatur ad obſeqvium aut officium familiare alteri præſtandum, multo

to minus ad lectum genialem. Loqvor autem de inceſtu, qvi committitur contra reverentiam ſangvini debitam & lege divinâ præceptam. Nec enim cogi debet qvisqvam, ut faciat contra conſcientiam. Mulier autem diſcedens ideò, qvod putet maritum ſibi ſangvine junctum, in conſcientiâ hactenus convicta eſt, juſtum non eſſe matrimonium, qvod ſibi cum iſto marito intercedit.

III. Pluris æſtimandam eſſe conſcientiam, qvàm ſententiam judicis, aut etiam excommunicationem ab eo indictam. Atqve hoc etiam de conſcientiâ dubiâ acceptum volo, qvando qvis neutri parti aſſentitur, ſed planè hæret inter aſſenſum & diſſenſum. Peccat enim ex hâc conſcientia, qvi agit, qvia non abhorret â peccato. Nam benè an malè operetur, legem obſervet, an violet, DEUM offendat, an non, perinde æſtimat, atqve ſic ſciens & volens ſeſe periculo peccandi exponit.

IV. Mulierem propter ſævitiam à marito diſcedentem cogi non debere, ut ad eum revertatur, anteqvam ille cautionem præſtiterit, de Uxore aliter habendâ.

Ad c. ex parte 14.

Mulier, cum adhuc impubes eſſet, à patruo ſuo deſponſata fuerat puero nondum ſeptenni, ac deducta in domum ejusdem. Pubes facta in ſponſalia iſta conſentire noluit, & ex domo migravit, petens ab Epiſcopo per procuratorem, ut ſibi licentia fieret alii nubendi, ſimulq; repetens res dotis nomine illatas. Maritus putativus è contrario procuratorem in hâc causâ admittere nolebat, & qvia ſic ſpoliatus Uxore eſſet, ante omnia reſtitutionem ejus fieri oportere contendebat. Duplex igitur qvæſtio occurrebat, primò, utrum mulier in tali causâ per procuratorem agere poſſet; deinde, utrum reſtitui deberet mulier viro, à qvo diſceſſerat. Primam qvæſtionem affirmat Pontifex, alteram negat.

Circa primam hæc occurrit ratio dubitandi, qvod minor non niſi curatore conſentiente litem & intendere & excipere debet *l. 2. C. qvi legit. perſ. ſtandi in jud. hab.* & qvod procurator non ſufficiat, ſed reſtitutio in integrum detur, ſicubi lata fuerit ſententia adverſus minorem ſine curatore litigantem *l. pen. ſi adverſ. rem jud.* imò verò præſentia ipſius perſonæ principalis in judicio matrimoniali neceſſaria eſt.

Digitized by Google

Ratio decidendi ſumitur ex ſpeciali naturâ cauſarum matrimonialium, qvæ perinde ut aliæ cauſæ ſpirituales Curatoris autoritate opus non habent, ſed in illis minor pro majore habetur, *c. 3. de judic. in 6.*

In qvæſtione ſecunda ratio dubitandi eſt, tùm qvia mulier jam olim cum adhuc impubes eſſet, deſponſata fuit à patruo ſuo, tùm verò præcipuè qvia poſt iſta ſponſalia domum deducta fuit, & per aliqvot annos hactenus cum iſto Viro manſit.

Ratio decidendi eſt, qvia deſponſationes & matrimonia ante ſeptem annos ab infantibus fieri non poſſunt, ſi conſenſus poſtea non accedit *c. 5. X. de deſponſ. impub.* & hinc nec matrimonium nec ſponſalia fuiſſe contracta dici poteſt, *c. pen. eod.* Per conſeqvens non poteſt dici ſpoliatus aut poſſesſionis commodo deſtitutus, qvi nunqvam poſſedit, cujus ea uxor nunqvam fuit. Sola deductio in domum Viri non præcedentibus vel ſecutis ſponſalibus Uxorem non facit, nec adeò poſſeſſionem operatur. Sic enim qvi univerſas ædes poſſidet, ſingulas res qvæ in ædificio ſunt non videtur poſſediſſe *l. 30 ff. de acq. poſſeſs.*

nondum ſeptem annorum] Talis dicitur infans *l. 18. C. de jur. delib.* & talis qvid loqvatur, non intelligere cenſetur.

traducta fuerit] Domum deductio apud Romanos & Græcos olim magnâ feſtivitate peracta fuit. Ritûs circa eam uſitâtos exponit Paulus Cypreus *de ſponſal. c. 5. §. 5.*

Notandum hinc I. impuberes ſponſâlia contrahere poſſe, dummodo ſeptennium exceſſerint, ſeptennio minores contrahere non poſſe. *l. 14. ff. de ſponſal.* Ratio eſt, qvia voluntas, qvæ in naturali conſenſu qvieſcit, in eos, qvi ſeptem annorum ætatem compleverunt, cadit. Vid. Guibert. Coſtan. *de Sponſal. pag. 20.* Barn. Briſſon. *de rit. nupt. pag. 469.*

II. Ante annum ſeptimum contracta ſponſalia poſt ſeptimum annum legitimo conſenſu, vel nixu & conatu ad coitum accedente convaleſcere. *c. un. de deſponſat. impub. in 6.* Sed vid. qvæ diximus ad Lancellott. *l. 2. tit. 10. §. 10.*

III. Non tantùm impuberes ipſos ſponſâlia contrahere, ſed & pro iis alios poſſe, patrem pro filio, matrem pro filiâ, patruum pro nepte, &c. ea tamen effectum non ſortiri, niſi puberes facti conſenſerint.

IV. In cauſis matrimonialibus minores ſine Curatore in judicio comparere poſſe. Vid. Joh. Kitzelius *in Synopſ. matrimon. c. 10. theorem. 10. lit. e.*

V. Eti-

Digitized by Google

... procuratores admitti in cauſis matrimonialibus. Obſervantia tamen in foro Saxonico introductum eſt, ut procuratores non admittantur. Vid. Carpzov. *in Jp. Conſiſtor. lib. 3. def. 31.*

VI. Deductionem in domum aliis adminiculis deſtitutam non inducere vinculum matrimoniale, nec inde de ſponſalibus contractis argumentum ſumi poſſe. Et fruſtra ſunt, qvi ſtatuunt, deductionem in domum mariti eſſe de ſubſtantia matrimonii, qvos refutat Franzkius *exerc. 2. q. 7.* Vinn. *ad §. 1. Inſt. de patr. pot.*

Ad c. cum ad ſedem 15.

Nuncius Epiſcopi Cumani fratres Hoſpitalarios dejecerat ex poſſesſione ſpecialis cujusdam Eccleſiæ, qvæ in diœceſi Epiſcopi erat. Hoſpitalarii interdicto unde vi agebant adverſus Epiſcopum, & judex â Pontifice delegatus reſtitutionem ab Epiſcopo fieri debere pronunciabat. Appellatione ad Pontificem interpoſitâ qværebatur de juſtitiâ ſententiæ, & interdictum unde vi in præſenti caſu locum non habere, nec reſtitui Eccleſiam debere, in conſiſtorio Pontificis judicatum eſt.

Hoſpitalarii allegabant poſſeſſionem diutinam, & qvod Eccleſia iſta ad Hoſpitale Hieroſolymitanum pertineret, qvodqve Epiſcopi nuncius cruces ſuas, qvas in ea Eccleſiâ fixerant, qvæqve ſigna erant poſſesſionis, abſtuliſſet, reditumqve interdixiſſet.

E contrario Epiſcopus per litis conteſtationem negabat poſſesſionem, qvam prætendebant Hoſpitalarii, negabat, ſpoliationem à ſe factam, ſeqve juſtè Eccleſiam iſtam poſſidere contendebat, ideò qvod ea in ſua eſſet diœceſi.

Qvanqvam verò probata deinceps ab Actoribus fuiſſet tùm poſſeſſio, tùm ſpoliatio, qvia tamen ſpoliatio hæc neqve ab ipſo Epiſcopo, neqve conſenſu aut mandato ejus facta neqve ab eo rata habita, fuerat, negat Pontifex, interdictum locum habere.

fratrum Hoſpitalis] De Hoſpitalariis, qvi poſtea milites Rhodienſes dicti ſunt, nunc Melitenſes ſive Maltenſes vocantur, videri poteſt Chaſsaneus *catal. glor. mund. part. 9. conſid. 4.* Polydor. Virgil. *de inventor. rer. l. 7. cap. 5.* Matth. Stephani *vol. 2. diſcurſ. Academ. 18.* Limnæ. *de jur. publ. l. 6. c. 2.*

ad Hoſpitale Hieroſolymitanum] ſive potius ad fratres hoſpitalarios. Pertine-

tinere dicitur ad Eccleſiam, ad cœnobium, aut monaſterium, qvod etſi longius diſſitum, Canonicis aut Monachis proprium factum eſt.

in ſuâ diœceſi] Diœceſis hîc ſumitur communi uſu pro toto illo tractu, qvi Epiſcopi jurisdictioni ſubeſt. Interdum latius ſumitur & extenditur ad integram provinciam Archi-Epiſcopi, imò etiam ad Primatis territorium, qvod multas provincias complectitur. Nonnunqvam etiam contrahitur ad parochias, qvæ multæ ſunt in una diœceſi. Jacob. Sirmond. *ad Appollin. Sidon. lib. 9. Epiſt. 16.*

cruces hoſpitalariis abſtulit] Signum crucis argumentum erat, non pertinere locum iſtum ad jurisdictionem Epiſcopi. Sic enim in Orientalibus Eccleſiis qvandoqve cruces ex Patriarchæ mandato aut conſenſu figebantur, qvæ propterea σαυροπήγια dicebantur, & indicium erant, Eccleſias iſtas jurisdictione Diœceſani exemptas, Patriarchæ immediatè ſubjectas eſſe. Jacob. Goar. *in EuchＯlog. pag. 612.*

motum animi ſui] Vid. *l. 19. ff. de offic. præſid. l. 2. C. ad SCt. Turpil. l. 19. C. de pœn. l. 14. C. de teſtib.* Motus autem ille debet ex probationibus & rei qvalitate ſubnaſci *d. l. 14.*

Notandum hinc I. poſſeſſorium & petitorium de jure Canonico cumulari poſſe, ex qvo tamen intricatum haud rarò & perplexum oriri proceſſum, dixi ad tit. *de cauſ. poſſeſs. & propr.*

II. Litis conteſtationem plerumqve ita adornari à reo, ut ſingula libelli capita neget, etſi probè ſciat, rem ita ut propoſitum eſt, ſe habere, tantùm ut difficilior actori reddatur probatio. Id qvod tamen vix eſt, ut in conſcientiâ excuſari qveat.

III. Loca, qvæ in territorio alicujus ſunt, regulariter ejus ſubeſſe jurisdictioni, cujus eſt ipſum territorium, niſi ſpecialiter probentur exempta. Tùm enim in territorio qvidem ſunt, ſed non de territorio. Dn. Parens p. m. *ad aur. prax. Calvoli ſ. Landſaſſii concluſ. 1. n. 26. ſeqq.* Add. Carpzov. *in proceſſ. tit. 2. art. 2. n. 9. ſeq.*

IV. Interdictum unde vi non dari, niſi adverſus eum, qvi vi dejecit, vel poſſeſſorem dejici mandavit, vel dejectionem ratam habuit, *l. 1. §. 12. & 14. ff. de vi & vi arm.*

V. Cavendum eſſe, à judice ne motus animi ſit præproperus & præceps, neve motum iſtum vultus detegat. *l. 19. ff. de offic. præſid.*

Ad

Digitized by Google

Ad c. olim vobis 16.

Circa formationem caſus hujus capituli non conveniunt Doctores. Henricus Cardinalis Hoſtienſis, eumqve ſecutus Cujacius hanc faciunt ſpeciem: Rex Legionis & Caſtellæ, qvi tùm fuit Alphonſus IX. Epiſcopum Ouetenſem ære alieno liberaverat, & credita ejus extinxerat, hâc tamen lege atqve conditione, ut donec ſibi ſatisfactum eſſet qvod creditoribus ſolviſſet, univerſos interim Epiſcopatûs reditûs perciperet, certâ aliqvâ penſione annuâ Epiſcopo relictâ. Hæc verò cum non ſufficeret, Epiſcopus partem finitimæ diœceſeos Zamorenſis proprio auſu occupavit. Id indignè ferens Epiſcopus Zamorenſis reſtitutionem petebat non ablatæ tantum partis, ſed & omnium fructuum perceptorum. Et videtur Epiſcopus Ouetenſis per ſententiam condemnatus fuiſſe. Sed cum ipſe ſolvendo non eſſet, niſi reſtitueretur Epiſcopatu ſuo, Pontifex ſuſpendendam interim eſſe reſtitutionem fructuum reſpondit, qvoad ille Epiſcopatum ſuum recipiſſet.

Hanc caſus formationem improbat Antonius Dadinus Alteſerra, & aliam planè ex epiſtolis Innocentii conſtituit his verbis: *Legionenſis Rex à Guilielmo S. Angeli Diacono Cardinali & Legato Pontificio excommunicatus eſt, & Regno ſacris interdictum ob vetitas nuptias cum filia Regis Caſtellæ, qvæ vinculo cognationis conjuncta erat. Eandem ob cauſam Aſtoricenſis, Salamantinus, Legionenſis & Zamorenſis Epiſcopi excommunicati, fortè eò quod interdictum non ſervarent, ut nos docet ipſe Innocentius III. lib. 1. epiſt. 92. Ouetenſis Epiſcopus cùm forte interdictum ſervaret, & ſuâ in diœceſi ſervari curaret, de Epiſcopatu dejectus eſt à Legionenſi Rege: idcircò Pontifex mandavit fratri Rainerio tùm Legato in Hiſpaniâ, ne ante Regem Legionenſem abſolveret, quàm caveret de reſtituendo Epiſcopo & fructibus medii temporis, ut idem teſtatur epiſt. 125. ejuſdem libri. Hâc occaſione, quod Zamorenſis Epiſcopus eſſet excommunicatus ob non ſervatum interdictum, Ouetenſis Epiſcopus ſede ſuâ pulſus occupavit partem Zamorenſis diœceſis. Paulo poſt cum Zamorenſis Epiſcopus adito pontifice reſtitutus eſſet, ut patet ex prædicta Innocentii epiſtolâ 92. & poſt abſolutionem idem cùm experiretur interdicto unde vi adverſus Ouetenſem Epiſcopum de recuperandâ poſſeſſione partis diœceſis cum fructibus medii temporis, Pontifex reſcripſit Burgenſi & Palentino Epiſcopis, ad qvos pertinet inſcriptio hujus cap. qvæ reſtituenda eſt ex ipſius Innocentii epiſtolâ 238. ejuſd. lib. Ouetenſem Epiſcopum eſſe qvidem compellendum reſtituere partem diœceſis Zamorenſis, qvam tempore interdicti occupaverat*

rat, ſed non eſſe prius compellendum reſtituere fructûs, quos percepit, quàm ipſe ita reſtitutus fuerit ſuis rebus, ut habeat, unde fructus perceptos ex alienâ diœceſi reſtituat. Hactenus Alteſerra.

Carolus Molinæus ſimplicem hunc ponit caſum, Epiſcopum Ouetenſem, cum occupaſſet partem diœceſis Zamorenſis, ſpoliatum fuiſſe à Rege Legionis & Caſtellæ Epiſcopatu ſuo: Conventum tamen fuiſſe ab Epiſcopo Zamorenſi ad reſtituendum occupata cum fructibus; reſpondiſſe Papam, ſuperſedendum, donec reus eſſet reſtitutus. Per conſeqvens non agi hîc de violenta ſpoliatione per reum facta, nec de ejus dolo, alioqvin nihilominus puniri potuiſſe.

Qvicqvid ſit de hiſtoria & ſpecie facti, in ſcopo hujus textus conſentiunt omnes, exceptionem inopiæ impedire executionem ſententiæ.

Ratio dubitandi peti poterit ex effectu ſententiæ, qvia res judicata paratam habet executionem, & qvia ſententia, qvæ executione deſtituitur, eſt veluti campana ſine piſtillo.

Ratio decidendi petitur ex *l. 6. ff. de dol.* qvia ſcil. is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adverſarii inanis actio eſt. Et qvanqvam aliqvando in carcerem detrudi ſoleant debitores *l. 1. C. qvi bon. ced. poſſ.* id tamen locum non habet, qvando debitoris inopia exinde cauſata eſt, qvod bona ejus ab alio poſſideantur.

inanis] ita eleganter dicitur actio, qvæ ſine ſuo & exitu deſtituitur. Cujac. *ad l. 7. §. 8. ff. de dol.*

Notandum hîc I. Fruſtra inſtitui actionem adverſus eum, qvi inops eſt & egenus, qvia etiam in obſeſsa via pauperi pax eſt, ut ait Seneca.

II. Non iniqva eſſe reſcripta moratoria, qvæ conceduntur debitoribus præter ſuam culpam calamitoſis.

Ad c. olim inter 17.

Epiſcopus Pariſienſis jura parochialia prætendebat in qvadam parochia, qvam ſibi vindicabat Abbas S. Genovefæ, ſeqve ab Abbate in poſſeſſione iſtorum jurium diceбat turbatum, atqve hinc reſtitutionem petebat. Sed eam nullo jure aut fundamento peti reſpondit Pontifex.

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus allegabat, qvod populo ejus parochiæ aliqvando ſacris interdixerit, populusqve interdicto huic ſuo paruerit & ſacris aliqvandiu abſtinuerit, & qvod nihil ominus Abbas reus nunc juribus parochialibus uti velit, atqve hinc ſe ut ex poſſeſſione dejectum reſtitui petebat.

Rationem decidendi petit Pontifex ex defectu probationis, qvod ſcil. Epiſcopus poſſesſionem, de qvâ lis erat, & cujus nomine ex interdicto agebatur, nondum probaverit. Ad actum allegatum reſpondet, eum nihil commune habere cum juribus parochialibus. Etſi enim paruerit populus interdicto ab Epiſcopo publicato, & aliqvandiu à ſacris abſtinuerit, non tamen propterea poſſeſſionem jurium parochialium acqviſitam fuiſſe ab Epiſcopo. Per interdictum ſcilicet exercuit Epiſcopus actum jurisdictionis, qvæ cuilibet Epiſcopo in ſuâ diœceſi & qvâvis ejusdem parochiâ competit, ſed ab hâc longè diverſum eſt jus parochiale. Et qvanqvam forte etiam parocho aliqvando competat poteſtas excommunicandi, inferri tamen hinc non poteſt, per excommunicationem ab Epiſcopo factam exercitum ab eo fuiſſe jus parochiale. Paruit igitur populus Epiſcópo interdictum promulganti ut Epiſcopo, cui ratione jurisdictionis Eccleſiaſticæ ſubjecti erant, non ut parocho.

juris parochialis] Inter parochialia jura referuntur oblationes, qvarta parochialis ſeu portio canonica, ſepultura defunctorum, & reditûs exinde provenientes, primitiæ, decimæ, &c. qvatenus à parochis percipiuntur. Vid. Auguſtin. Barboſa *de offic. & pot. parochi part. 3. per tot.* Joh. Honorius Von Axel *ad tit. X. de parochiis num. 12. ſeq.*

in parochiâ] Parochia eſt locus, in qvo degit populus alicui Eccleſiæ deputatus. Goffred. *tit. de paroch. n. 1.* Bart. Cartagena *ad d. tit. obſ. 2.* Nomen eſt antiqvum, ſed non tàm illuſtri ſignificatione. Parochus enim antiqvis idem ferè erat, ac diverſorii dominus, qvi peregrinantes parte commeatus juvabat, maximè cum Reip. cauſa eſſet iter inſtitutum. Sed & ille, qvi vehicula præbet magiſtratibus aut gentium exterarum legatis. Vid. Jacob. Cruqv. *ad Horat. lib. 1. ſat. 5.* Iſtud vocabulum deinceps in Eccleſiâ receptum eſt, & dubitatur tamen adhuc, utrum parœcia, an parochia ſcribendum ſit. Illud enim ἀπὸ τοῦ παροικεῖν, qvod juxta habitent curiones, uti vocantur, ſive paſtores animarum, & illi, qvorum curam habent, hoc verò ἀπὸ τοῦ παρέχειν à præbendo dicitur, qvod parochus commiſſæ ſibi plebi ſacrum divini verbi & ſacramentorum pabulum præbeat. Neutra derivatio videtur in-

Digitized by Google

congrua, & à pleriſqve retinetur utraqve. Vid. Anton. Vallenſ. *d. t. n. 4. 5.* Petr. Gregor. *in ſyntagm. jur. lib. 15. c. 24. n. 6. 7.* Ubicunqve igitur eſt Eccleſia, certis limitibus diſtincta, cui ſolus presbyter moderatur, ibi eſt parochia. Et in hoc diſtingvitur à diœceſi, qvod autoritate Epiſcopi regatur diœceſis, parœcia verò presbytero ſubſit, qvem Epiſcopus ad curam animarum inſtituit, licet parochia qvandoqve ipſam etiam Epiſcopi diœceſin in latiore ſignificatu denotet. Vid. Nic. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. l. 2. c. 9.* Et tales Eccleſiæ parochiales Græcis catholicæ dicebantur, qvod viris & mulieribus paterent. Jacob. Goar. ad Codin. Curopalat. *de offic. Conſtantinop. c. 1. num. 11.*

Notetur hinc I. Spoliatum dici non poſſe, niſi qvi tempore illo, qvo dejectus eſſe dicitur, poſſedit, nec alii interdictum dari, cùm nec alius dejici poſſit, qvam qvi poſſidet, *l. 1. §. 23. ff. de vi & vi arm.* nec intereſt civiliter, an naturaliter poſſideat. *d. l. 1. §. 9. eod.*

II. In probatione poſſesſionis, imò & alterius cujusqve rei argumenta non debere eſſe aliena aut peregrina & parum ad rem facientia.

III. Interdictum, qvo ſacris abſtinere jubetur populus, impium eſſe inventum Eccleſiæ pontificiæ, nec alium ferè ejus eſſe ſcopum, qvàm ut propter principis delictum privatus populus divino cultu, in principem concitetur & Pontifici obedientem reddat. M. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 5. c. 9. n. 39. ſeq.*

Ad c. ſæpè 18.

Valdè levem & truffatoriam hanc vocat Papæ proviſionem Johan. Petr. de Ferraris *in prax. tit. 45. gl. 1. n. 8.* ideò, qvod liberalius jam antea ſubventum fuiſſet per *c. redintegranda 3. q. 1.* Sed obſervat H. Zoeſ. *ad h. t. n. 5.* generalitatem dicti *can. redintegranda* reſtringi per hoc cap. ad poſſeſſorem, qvi ſcienter alienam poſſeſſionem tenet, neqve adeò, qvod multi putant, dari adverſus tertium poſſeſſorem bonæ fidei. Caſus talis eſt: Titius fundo Tuſculano dejectus fuerat â Mævio, & ab hoc Cajus non ignarus dejectionis factæ fundum iſtum titulo emtionis acceperat. Qværitur qvâ ratione Titius fundum iſtum recuperare qveat? De jure civili remedium aliud non occurrit, qvam qvod ex rei vindicatione petendum eſt. Sed id difficile nimis videtur Pontifici, qvod in probatione dominii facilè deficere poſſit actor. Remedium poſſeſſorium nullum competit adverſus tertium

Digitized by Google

um poſſeſſorem & ſucceſſorem ſingularem, *l. 7. ff. de vi & vi arm.* qvia interdictum unde vi datur tantùm adverſus eum, qvi vi dejecit, vel dejectionem fieri mandavit, vel dejectionem factam ratam habuit *l. 1. ſ. 12. & 14. ff. eod.* Qvia verò iniqvum videtur, tertium poſſeſſorem, qvi ſciens rem ab alio vi ereptam ſuam fecit, prorſus nullo judicio compellari poſſe, Pontifex per interpretationem extenſivam interdictum unde vi etiam adverſus talem poſſeſſorem tertium locum habere voluit.

Rationem igitur dubitandi petit Pontifex ex rigore juris civilis, qvod interdictum unde vi in perſonam edidit, nec adverſus ſucceſſorem ſingularem dari voluit.

Rationem decidendi ſumit ex eo, qvod qvi ſciens rem ab alio per vim occupatam ſuam facit, participet de ſpolio & ſpoliatori qvaſi ſuccedat in vitium, cùm non multùm interſit, qvoad periculum animæ, an qvis injuſtè invaſerit alienum, an ab alio invaſum ſciens injuſtè poſſideat.

commodo poſſeſſionis] qvod, qvale ſit, explicatur in *ſ. 4. Inſt. de Interdict.* qvo cùm deſtituatur ille, qvi rei vindicationem inſtituere tenetur, commodum poſſeſſionis amiſiſſe dicitur.

amittit effectum] qvi eſt, qvod condemnetur poſſidens, ut actori rem reſtituat.

juris civilis rigore] Rigor juris in ſtrictâ ratione conſiſtit. Seb. Medic. *de leg. & ſtat. p. 2. q. 6. n. 11.* & legem præciſè ſeqvitur. Vid. Alb. Bolognet, *de legib. c. 32. & 33.*

ſcienter] Scientia rei alienæ actionem qvalificat, facitqve ut vitium anteceſſoris in ſucceſſore ſingulari continuetur, cùm participare hîc videatur de delicto ab illo commiſſo. Et hic dicitur ſpoliator fictus à Celſo Bargalio *lib. 6. de dol. reg. 16. n. 9.* qvia ſcil. ipſe violentiam non commiſit, ut ſpoliator tamen tenetur.

Notandum hinc I. Interdictum unde vi eſſe perſonale & dari adverſus eum tantùm, qvi per ſe vel per alium dejecit vel dejici mandavit, vel dejectionem ratam habuit, aut accedere prohibuit. *l. 1. §. 12. ſeq. ff. de vi & vi arm.* Et qvia adverſus heredem dejicientis aut bonorum poſſeſſorem non tàm ipſum interdictum, qvàm actio in factum competit, & qvidem in id tantùm, qvod ad eos pervenit *d. l. 1. §. ult.* facilè hinc patet, adverſus ſucceſſorem ſingularem iſtud non dari. Omnino enim ſingulare eſt, neqve ad caſus alios extendendum, qvod Juſtinianus in *l. ult. C. unde vi,* voluerit utile

 inter-

interdictum dari adverſus eum, qvi vacuam abſente domino poſſeſſionem occupavit, illumqve poſſeſſorem, qvem furem dicere non poteſt, prædonem eſſe pronunciat. Vid Franc. Balduin. *in Juſtin. lib. 3.*

II. In rei vindicatione neceſſariam ſed admodum difficilem eſſe ex parte Actoris probationem dominii. Tenetur enim actor non ſuum tantum, ſed & anteceſſoris ſui dominium docere. Cæſ. Contard. *de moment. poſſ. oppoſ. 1.* Atqve ideò plerumqve actor in libello conjungit actionem Publicianam, petitqve rem jure dominii vel qvaſi. Bachov. *de act. diſp. 3. th. 17.* imò verò, ut omnis probatio evitetur, jubentur actores diſpicere an aliqvo interdicto poſſint nanciſci poſſeſſionem, qvia longe commodius eſt ipſum poſſidere & adverſarium ad onera petitoris compellere, qvàm alio poſſidente petere *l. 24. ff. de R. V.* & idcircò ferè ſemper ingens exiſtit contentio de ipſa poſſeſſione. *§. 4. Inſt. de interdict.*

III. Actore non probante, reum, etſi nihil ipſe probet aut præſtet, eſſe abſolvendum *l. 4. C. de edend. l. 2. C. de probat.* Et in hoc ſcil. conſiſtit commodum poſſesſionis à Practicis tantoperè decantatum, ut etſi reus ipſe titulum ſuæ poſſesſionis non probet, imò etſi vitioſa planè ſit ſua poſſesſio niſi tamen dominium ex ſuâ parte probatum dederit Actor, nihil omninò qvicqvam decerni per ſententiam adverſus reum qveat.

IV. Remedium ex hoc capitulo competere adverſus qvemcunqve poſſeſſorem violentæ dejectionis conſcium, ſive is rem immediatè â ſpoliatore acceperit, ſive mediatè, etiam â poſſeſſore bonæ fidei intermedio. Valet enim adhuc ratio â Pontifice adducta, qvod non multum interſit, qvoad periculum animæ, injuſtè detinere ac invadere alienum. Neqve vitium ſpoliationis purgatur, niſi res reverſa ſit in poteſtatem poſſeſſoris dejecti. Andr. Vallenſ. *tit. de reſtit. ſpol. §. 2. num. 2.* Etſi ſecus ſentiat Jacob Menochius *de recup. poſſ. remed. 16. n. 56.*

V. Non dari hoc remedium, niſi adverſus conſcium dejectionis. Ignorans enim poſseſſionem vi invaſam, conveniri, ex hoc cap. neqvit, qvia tùm ceſſat periculum animæ, neqve is ſpoliatori æqvi parari poteſt.

VI. Non ſufficere ſcientiam rei alienæ, ſed reqviri ſcientiam rei alienæ violenter occupatæ. Adeoqve ab actore probari debet illa qvalitas, qvod reus ſcienter ſucceſſerit in vitium violentiæ, qvippe qvæ veluti forma eſt condictionis ex hoc cap. competentis. Joh. Maſcard. *de probat. concl. 1248. num. 33.*

VII. Stan-

Digitized by Google

VII. Stante tamen ignorantiâ ſpoliationis locum huic remedio poſſeſſorio eſſe poſſe eo caſu, qvo qvis vacuam ſeu vacantem poſſeſſionem ingreſſus eſt, cùm ad hunc caſum ab Imperatore ipſum etiam interdictum unde vi extenſum fuerit *in l. fin. C. unde vi.* Andr. Vallenſ. *d. l. num. 2.* Talis enim per ingreſſum propria autoritate factum violentiæ commiſſæ ſe participem conſtituit.

VIII. Scientiam violentæ dejectionis non præſumi, ſed reum pro ignorante haberi, per conſeqvens actorem hoc remedio utentem, cùm fundamentum ſuæ intentionis ponat inſcientiâ rei, eam probare oportere.

IX. Competere hoc remedium etiam adverſus eum, qvi rem accepit â ſpoliatore bonâ fide, nec dejectionis tùm temporis conſcius fuit, ſi eâ acceptâ de dejectione deinde certior factus eſt. Siqvidem & iſte injuſtè rem detinet; & injuſtam hanc detentionem invaſioni æqviparat Pontifex. Etſi enim etiam hîc diſſentiat Menochius *d. remed. 16. n. 11. ſeqq.* Ejus tamen rationes omnes juri civili, qvod ſupervenientem ſcientiam vitii non attendit, conveniunt magis, qvàm juri canonico. Et rationi ſanè Pontificis optime noſtra ſubſternitur aſſertio, qvæ indiſtinctè locum invenit, ſive titulo lucrativo ſive oneroſo qvis ſucceſſerit, ſive ſolvendo ſit ſive non primus ſpoliator, qvia hîc Pontifex non tàm ſpectat cauſam acqviſitionis qvàm modum, h. e. ſcientiam acqvirentis & recipientis ac detinentis injuſtè. Andr. Vallenſ. *d. l. n. 4.*

X. Ex hoc capitulo differentiam oriri inter jus civile & Canonicum. Jure civili emptor non ſuccedit in vitium venditoris nec alius qvisqvam ſucceſſor ſingularis. *l. 5. ff. de diverſ. temp. præſcript.* Ægid. Hortenſ. *ad §. 4. Inſt. de uſucap.* Sed ex hoc cap. malæ fidei emptor etiam in vitium venditoris ſuccedit.

XI. Eum qvi ſcienter ſuccedit in vitium violentiæ teneri de fructibus perceptis & percipiendis, & de omni eo, qvod fuit in fundo, licet ad illum non pervenerit. Aug. Barboſa *ad h. t. n. 5.* Sed qvod erit tùm attendendum tempus, num illud, qvo ſucceſſit, an dies dejectionis? Prioris rationem haberi vult Barboſa *d. l.* Mihi potior videtur poſterioris conſideratio: Si enim ex mente Pontificis nihil refert, abſtulerit qvis rem per vim, an retinuerit ſciens prudensq; per vim ablatam ab alio, ad eandem etiam aut parilem uterqve condemnari debet reſtitutionem. In condemnatione autem veri dejectoris, ex die, qvo qvis dejectus eſt, fructuum ratio habetur. *l. 1. §. 40. ff. de vi.* Reſtituenda ergo â tali ſingulari ſucceſſore ſunt omnia, qvæcunq;

Digitized by Google

habiturus vel adſecuturus erat is, qvi dejectus eſt, ſi vi dejectus non eſſet, isqve tantum conſecuturus eſt, qvanti ſua intereſſet, ſi vi dejectus non eſſet, *d. t. l. §. 41.*

XII. Non ita, uti ex hoc cap. datur actio adverſus tertium poſſeſſorem, etiam dari exceptionem adverſus eundem, etſi is rem ſpolio ablatam poſſideat. Omnia enim jura, qvæ de exceptione ſpolii agunt, de ipſo ſpoliatore loqvuntur, & ex odio ſpolii conſtituta ſunt. Odioſa autem non facile extendenda. Hartman. Piſtor. *obſerv. 135.* Carpzov. *in proceſſ. tit. 9. art. 6. n. 40.* Diſſent. Dav. Mev. *part. 4. deciſ. 69.*

Ad c. 19. & ult.

Inter plerasqve civitates Italiæ jam inde à ſeculo duodecimo ad Gregorii IX. usqve tempora gravia diſſidia, & cruenta bella intercesſerant. Aliqvam eorum mentionem facit Otto Friſingenſis *l. 7. c. 29.* B. Platina *de vitis Pontif. paſſim.* qvæ qvidem aucta deinceps fuerunt magis magisq; poſtqvam Gibellinorum & Guelphorum factiones exortæ ſunt, de qvibus videri poſſunt Platina *in vit. Gregorii IX,* Limnæus *de jur. publ. lib. 1. cap. 7. n. 63.* Hottinger. *in hiſt. Eccleſ. ſeculo XII. pag. m. 150.* Totum diſſenſionum cauſam ex inimicitiis inter Imperatores & Pontifices Romanos ortam ſcribit Leon. Aretin. *in hiſt. Florent. lib. 1. in fin.*

Tali bello cum valdè attritæ eſſent civitates Piſana atqve Luccenſis, atqve Epiſcopus Luccenſis reſtitutionem peteret poſſeſſionum qvarundam ſibi à Piſanis ablatarum, qvatenus reſtitutio fieri deberet, in hâc decretali deciditur, ſimulqve improbatur proceſſus à delegato Pontificis hactenus obſervatus.

Caſus talis eſt: Conqveſtus fuerat apud Pontificem Epiſcopus Luccenſis, occupata à Piſanis caſtra nonnulla ad ſe ſpectantia, eorumqve reſtitutionem petierat. Pontifex ut ad reſtitutionem adigeret, interdicto eos aut excommunicatione coërcuerat. Qvia autem de quibusdam certo conſtabat, fuiſſe ea ab Epiſcopo Luccenſi invaſionis tempore poſſeſſa, de qvibusdam verò dubitabatur, Pontifex ſubdiaconum qvendam delegaverat, eiqve mandaverat, ut qvæ certa eſſent, plenè & integrè reſtitui faceret, de reliqvis cautionem exigeret qvod ſtare vellent & parere pronunciato atqve ſententiæ Pontificis, atqve ſic Piſanos ab interdicti aut excommunicationis ſententiâ abſolveret. Inter ea, qvæ dubia habebantur, erat

poſ-

Digitized by Google

poſſeſſio penſionum & redituum ex eo caſtro percipiendorum qvippe qvâ nec ſpoliatus fuerat Epiſcopus Luccenſis. Reſtitutionem ejus caſtri cum urgeret Epiſcopus, reſpondebant Piſani, probari debere ab eo, qvod poſſeſſionem illius tempore diſcordiæ motæ habuiſſet, anteqvam iſtud fieret, ipſum Epiſcopum in culpâ eſſe, qvo minus mandato Pontificio ſatisfieret, & ſic injuſtè, ſe propter alterius culpam & moram vinculo excommunicationis innodatos eſſe. Qvid hic faceret judex delegatus? ut caſtrum reſtitueretur, imperare non poterat, qvippe de qvo non conſtabat, qvod ante invaſionem ab Epiſcopo actore poſſeſſum fuiſſet. Penſiones & reditus non denegabantur, nec illis ſpoliatus unqvam fuerat Epiſcopus, nec adeò de reſtitutione eorum controverſia erat. Ipſe igitur cautione judicio ſiſti & judicatum ſolvi recepta. excommunicationis aut interdicti vinculo eos ſolvebat. Pontifex re compertâ proceſſum hunc irritum declarat, & reſtitutionem ipſius caſtri fieri debuiſſe pronunciat.

Ratio dubitandi extat in textu, qvod judici delegato nihil compertum fuerit de poſſeſſione caſtri ipſius, qvodqve utrum ante invaſionem poſſeſſum id ab Epiſcopo unqvam fuerit, dubium extiterit.

Rationem decidendi petit Pontifex ex perceptione redituum & penſionum plenâ ac liberâ ab Epiſcopo allegatâ, qvod ſc. penſionum iſtarum poſſeſſionem tempore motæ diſcordiæ, pleniſſimè habuerit.

Sed enim cùm jus percipiendi penſiones & reditûs ex re aliqvâ ſeparari poſſit à poſſeſſione ipſius rei, nec neceſſe ſit, ut rem ipſam poſſideat, qvi reditûs inde percipit, non videtur improbari debuiſſe ſententia judicis delegati. Præſertim, cùm Pontificis deciſio non tàm ex facto, qvàm ex conſeqventiâ petita ſit, ideò ſcil. caſtrum reſtituendum eſſe, qvia ante motum bellum poſſeſſio penſionum plena ac libera fuiſſe præſupponatur apud Epiſcopum; talem autem habere eum non poſſe, nec potuiſſe, niſi ſimul ipſius etiam caſtri poſſeſſionem habuerit, qvandoquidem à Piſanis caſtrum tenentibus impediri is ſemper poſſit in perceptione penſionum & redituum. Qvæ conſeqventia mihi parum firma videtur, imò valdè violenta, cùm, uti dixi, qvaſi poſſeſſio juris incorporalis multum differat à poſſeſſione rei, cui jus iſtud incorporale inhæret, neqve ex unius poſitione inferre illicò liceat ad poſitionem alterius, neqve ex eo, qvod turbari aliqvis in ſua poſſeſſione poſſit, inferendum protinus ſit, extendi debere iſtam poſ-

ſes-

ſeſsionem etiam ad alias res planè heterogeneas, turbationem tamen utcunqve impedientes. Cautionibus tùm opus eſt & interdictis, non ceſsione rerum juribus iſtis affectarum & ſervientium. Et fruſtrà ſanè diſtingvit Pontifex hoc caſu inter factum & modum. Factum non potuiſſe adimpleri ait, & tamen fuiſſe peccatum in modo, modum autem conſtitiſſe in eo, qvod & ipſum factum debuiſſet adimpleri. Qvæ profectò parùm ſibi cohærentia imò prorſus pugnantia videntur. Niſi ergò præſupponas in hoc capitulo, poſſesſionem ipſius caſtri Pontifici in ſecundâ inſtantiâ probatam fuiſſe ab Epiſcopo, id qvod difficile erit aſſerere, Pontifice ipſo per conſeqventiam tantùm poſſeſſionem talem adſtruente, non vana erit conjectura Cujacii *ad h. t.* Pontificem Luccenſibus potiùs qvàm Piſanis faviſſe, illos enim Guelphos fuiſſe, h. e. Eccleſiæ partes ſecutos, hos verò Gibellinos, & ab Imperatoris partibus ſtetiſſe.

ſententias relaxaret] h. e. à ſententiâ interdicti aut excommunicationis, qvâ innodati erant Piſani, abſolveret.

ſufficienti cautione] Sufficiens cautio dicitur, qvando fidejuſſores vel pignora dantur *l. 59. §. 6. ff. mandat. l. 4. §. 8. ff de fideicomm. lib.* Qvid ſi verò fidejuſſor datus poſt aliqvod tempus inidoneus factus fuerit, num cautio de novo præſtanda? Ita videtur per *l. 4. ff. ut in poſſeſſ. legat. l. 10. §. 1. ff. qvi ſatisd. cog.* Auguſt. Barboſ. *ad h. t.* David. Mev. *part. 4. deciſ. 16. & part. 5. deciſ. 8. & 9.*

plenè ac liberè] Libertas hæc non ad reſtitutionis actum referri debet qvia non reſtituit liberè, qvi reſtituere juſſu judicis tenetur, ſed ad uſum, qvem reſtitutus habet, ita nempe faciendam reſtitutionem, ut liberè dehinc re iſtâ uti poſsit reſtitutus.

affictuum] ita dicuntur reditûs, vulgari Italorum vocabulo, qvi & affitare dicunt, pro, locare prædia ſub certâ penſione. Cujac. *hic.*

ſicut habebas, qvando ipſi] Unde verò compertum habuit Pontifex, Piſanos caſtra minimè detinuiſſe. Negaverant enim Piſani, poſſeſſionem caſtrorum apud Epiſcopum fuiſſe, & ſupra dixit, hâc de re nihil qvicqvam probatum fuiſſe judici delegato.

Not. I. Injuſtè rapta videri, qvæ rapiuntur his, qvi in ſocietatem belli non venere, etſi ſint ejusdem nationis cum hoſtibus. Alberic. Gentil. *de jure bell. lib. 3. cap. 17. in fin.* Id enim exigit humanitas, ut his, qvi extra culpam ſunt

ſunt belli, relinqvantur ſua bona. Hug. Grot. *l. 3. cap. 14. n. 4.* Et propterea, ſi qvid raptum ex his fuerit, reſtitutioni id obnoxium eſſe.

II. Non admittere jus Canonicum, ut bona Eccleſiaſtica diripiantur, aut bello capta capientium fiant.

III. Mandati fines diligenter cuſtodiendos eſſe. Qvi enim illos excedit, aliud qvid facere videtur *l. 5. pr. ff. mandat.* Vid. Fr. Card. Mantica *lucubrat. Vatic. l. 7. tit. 15.* & conf. Agell. *lib. 1. noct. Attic. c. 13.*

IV. Ea ſine qvibus mandatum impleri non poteſt, omninò mandata cenſeri *l. 56. l. 62. ff. de procur. arg. l. 2. ff. de juris dict.* qvia talia connexa mandato ineſſe videntur. Unde qvi mandatum habet ad vendendum, etiam ad pretium recipiendum mandatum habere putatur, *arg. l. 35. ff. de ſolut.*

V. In rebus dubiis & latiorem indagationem exigentibus utiliter cautiones præſtari, per qvas ſcil. ſecurus reddatur creditor aut adverſarius fieri debere id, qvod deſiderat. Ita e.g. qvando ab unâ parte rebus ſuis qvem privari, ab alterâ in diſcrimen adduci iniqvum videtur, rectè tùm à cautione ſumitur remedium, & ea pro te eſt *l. 5. ff. de hered. petit.*

VI. Cautionem non debere exigi ſine cauſa, & hinc judicis arbitrio relinqvi, qvando exigi debeat. Jac. Men. *de arb. jud. quæſt. caſ.* 140.

VII. Cautionem ſufficientem & idoneam dici eam, qvæ fit fidejuſſoribus vel pignoribus *l. 59. §. 6. ff. mandat.* Ant. Hering. *de fidejuſſ. cap. 5. n. 92.* ita ut cogi qvandoqve poſſit Creditor accipere pignoratitiam cautionem, ſi videlicet debitor fidejuſſoriam debens, præſtare hanc nullo modo poteſt. Dav. Mev. *part. 5. deciſ.* 347. Imò verò fidejuſſores dare promittens dando pignora etiam invito Creditore liberatur. Pyrrh. Maur. *de fidejuſſ. part. 2. ſect. 10. §. 11.*

VIII. Reſtitutionem ſpoliati fieri debere ad omnem modum, locum, & cauſam, *c. 51. X. de appellat.* non ſolùm in immobilibus, ſed etiam mobilibus inde ablatis, adeoqve præter rem principalem cætera omnia, cum omnibus fructibus perceptis & percipiendis omniqve damno & lucro ceſſante ad ultimum usqve qvadrantem reſtitui oportere. Vid. Tabor. ad Barboſæ axiom. *vocab. Spolium.*

IX. Confesſionem partis judicialem apud judicem competentem & in tribunali ſedentem in præſentia partis adverſæ factam eſſe probationem efficacisſimam, & habere paratam executionem, imò reſcindere ſententiam, qvæ in rem jud. tranſiit, Hunnius *ad jus Can. diſp. 11. th. 111. ſeq.*

Digitized by Google

AD TIT. 16. LIB. II.

UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

Ad cap. 1.

PRæmittendum, inter Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos antiqvam & diutisſimè reciprocatam de primatu totius Angliæ fuiſſe controverſiam, eamqve ab ipſis qvandoqve Pontificibus Romanis reſuſcitatam. Inter privilegia ſua, qvæ ampliſſima ſemper fuerunt, prætendebat Cantuarienſis, debere à ſe Eboracenſem in ipſa Cantuarienſi Eccleſiâ ſacrari & conformari, illumqve in conſecratione iſtâ obedientiam profiteri. Id non renuebant tantùm ſæpè numero Archi Epiſcopi Eboracenſes, ſed & alia ad Cantuarienſem pertinentia ſibi vendicabant. Qvo & illud referri poteſt, qvod jus coronandi Reges aliqvando affectaverint. Plena eſt hâc de re hiſtoria ſeculi XI & XII. *qvæ legi poteſt apud Autorem hiſtoriæ de antiqvitate Britannicæ Eccleſiæ*, & Franciſcum Godwinum *comment. de præſulib. Angliæ paſſim.* Rationes utriusqve Archiepiſcopi, qvibus qvisqve primatum ſuſtinere voluit, ſtudioſè collegit Gulielmus Neubrigenſis *rer. Angl. lib. 5. c. 10.* Cedere verò non unis vicibus coactus eſt Archi Epiſcopus Eboracenſis, qvandoqve etiam transactione res compoſita, qvod ab Hiſtoricis petendum eſt. Ante Normañorum adventum inqvit Stubbeſius apud Godwinum *in vit. Thom. I.* hi duo Metropolitæ non ſolum poteſtate, dignitate, & officio, idqve ex conſtitutione Gregorii I. Papæ, ſed etiam ſuffraganeorum numero pares cenſebantur. Nunc autem Cantuarienſes novo & credulo Regi Gulielmo perſvaſerunt, Eboracenſem Eccleſiam Cantuarienſi debere ſubjici. Et utile eſſe ad Regni firmitatem, ut Britannia uni qvaſi primati ſubderetur. Alioqvi poſſe contingere, ut de exteris gentibus, qvæ Eboracum navigio venientes, regnum infeſtare ſolebant, unus aliqvis ab Eboracenſi Archi Epiſcopo & ab illius provinciæ indigenis Rex crearetur, & ſic regnum turbatum ſcinderetur.

Ad verum hujus capituli ſenſum indagandum præmittendum porrò, prælationem Crucis eſſe inſigne non patriarcharum tantùm & primatum, ſed

ſed etiam Archi-Epiſcoporum, cum hâc tamen diſtinctione, qvod patriarchis ubiqve locorum crucem elatam præferre liceat, præterqvam in Urbe Româ, aut ubi Pontifex Rom. præſens fuerit *c. antiqva X. de privileg.* Sed Archiepiſcopis in ſuâ tantum id liceat provinciâ, niſi [qvod in hoc noſtro textu fieri ajunt] ex privilegio id habeant Summi Pontificis ſpeciali. Et ArchiEpiſcopis ideò id denegari ajunt, qvia in illis hoc inſigne denotat ſuperioritatem & poteſtatem in loco, qvæ extra locum iſtum expirat. Idem etiam de patriarchis dicendum eſſe, niſi communi jure eis conceſſum reperiretur, ut propterea in his crucis prælatio extra provinciam ſuam dignitatem magis perſonæ, qvàm poteſtatem denotet. Auguſtin. Barboſ. *de offic. Epiſc. part.* 1. *tit.* 3. *c.* 1. *num.* 23. *ubi ſub num.* 25. adhuc aliam ponit differentiam, qvod ſcil. Patriarchis crux gemino ligno transverſo, Archi Epiſcopis autem unico tali conſtans præferatur.

Cæterùm uſum hunc anteferendæ crucis ex ceremoniâ ſupplicationum publicarum & proceſſionum ortum habere putat Petrus de Marca *diſſertat. de primat. n.* 129. in qvibus cruce prælatât ab unâ ſtatione ad alteram clerus & populus procedere ſolebat. Qvod & â Juſtiniano conſtitutum legitur *Novell.* 123. *c.* 32. ut litaniæ & ſupplicationes fiant prælatâ cruce ab iis, qvi eam geſtare conſveverunt. De qvibus proceſsionibus qvid ſentiendum, videri poteſt. Andr. Rivetus *in Cathol. Orthodox. tr.* 2. *qvæſt.* 39. qvibus addendum, qvod in primitivâ Eccleſiâ alio ſenſu id vocabulum acceptum fuiſſe fateatur Franciſcus Florens *in diſſert. ad c. auditis X. de præſcript, cap.* 4. Ab his autem proceſſionibus facilè induci potuit conſvetudo, ut eximiæ dignitatis viri ad Urbem accedentes crucibus antelatis exciperentur, ut & deinceps etiam extra ſupplicationes publicas, Eccleſiæ proceres, ſi in publicum procederent, crucem ſibi anteferri facerent.

Qvia igitur ut dixi Archi Epiſcopis extra ſuam provinciam crucem anteferri non liceat, etiam Cantuarenſis Archi Epiſcopus, qvi primatum ſibi deberi aſſerebat, Eboracenſi Archi Epiſcopo id permittere nolebat. Atqve hinc circa poſſesſionem iſtiusmodi juris utrinqve diſceptabatur, qvam Eboracenſi interim, donec de jure plenius conſtet, inviolatam & inconcusſam relinqvi debere reſpondet Pontifex. Patet autem ex hac decretali, conſtitutionem, qvam ex conſenſu Papæ circa primatum inter utrumqve Epiſcopum fecerunt anno MLXXII. Wilhelmus Rex & proceres Eccleſiæ Anglicanæ, uti ea legitur *in antiqv. Britannicis pag.* 111. de primatu qvidem litem

 com-

Digitized by Google

compoſuiſſe, reliqvam tamen adhuc manſiſſe de cruce anteferenda controverſiam, qvam ſibi integram poſt multos annos putarunt Archi Epiſcopi Eboracenſes.

Caſus talis eſt: Acceperat Archi Epiſcopus Eboracenſis Thurſtanus ab Honorio II. Pontifice hoc privilegium anno 1125. ut liceret ei & omnibus ejus ſucceſſoribus per totam Angliam ante ſe deferre crucem. Idqve ab Alexandro III. primo ſui Pontificatus anno 1160. Rogero Archiepiſcopo confirmatum fuerat. Id indignè ferens Thomas Archi Epiſcopus Cantuarienſis inhibitionem impetraverat ab eodem Alexandro, ne in provinciâ Eccleſiæ Cantuarienſis id facere auderet Archiepiſcopus Eboracenſis, qvandoqvidem id jus ei nunqvam antea competierit. Acceptâ hâc inhibitione Eboracenſis Archiepiſcopus plurimorum annorum poſſeſſionem allegat, atqve eâ injuſtè ſe dejici oſtendit. Qværebatur qvid faciendum? Pontifex revocatâ inhibitione Eboracenſem ArchiEpiſcopum in poſſesſione tuetur, nec proinde pendente controverſiâ innovari qvid vult circa eam donec ſuper jure ſententia feratur definitiva.

Ratio dubitandi eſt, qvia ab eodem Pontifice ad inſtantiam Cantuarienſis Archi Epiſcopi inhibitum fuerat Eboracenſi, ne cruce uteretur per provinciam Eccleſiæ Cantuarienſis. Inhibitio autem præſumitur facta præviâ ſummariâ cauſæ cognitione, præſertim ad relationem Viri tam ſancti, qvalis tùm fuit Archi Epiſcopus Cantuarienſis, Thomas, Sanctorum numero illicò poſt obitum adſcriptus. Cum inhibitio declaret poſſeſſorem de præſenti, Carpzov. *lib. 1. reſponſ. 21. n. 7.* fruſtra nunc reſuſcitabitur poſſeſſorium per inhibitionem jam deciſum.

Ratio decidendi eſt, qvia nemo privari debet ſuâ poſſesſione, ne qvidem per reſcriptum Principis, niſi ordine judiciario præmiſſo. Qvintil. Mandoſ. *de inhibit. q. 46. n. 3.* atqve idcircò inhibitio, qvæ lite pendente parte alterâ non auditâ impetratur, ut ille privetur ſua poſſesſione, nullius eſt momenti, idqve etiam de privilegio in hunc modum impetrato concludit, Joh. Bapt. Vivianus *ad h. t.* Proinde ſatius erit, inhibitionem revocare, qvam poſſeſſione inauditum privare.

Cæterùm gratioſa hac deciſione per plures annos uti haud potuit Archiepiſcopus Eboracenſis. Godefridus enim Archiepiſcopus Regis ex illicito coitu frater cùm circa annum MCXCIII. Regi adventanti occurrere vellet,

Digitized by Google

vellet, & in itinere cruce ante ſe lata Cantuarienſem provinciam atti geret, regia via cum cruce progredi auſus non eſt, & ne crucem videre ut deponere, per devia atqve dumos proceſſit, atqve id ipſum tamen ægre tuliſſe, & de injuria illa conqveſtum fuiſſe Cantuarienſem referunt annales. Donec tandem circa annum MCCCCXLIII. certis conditionibus de toto negotio transactum eſt, autore qvidem non Papa, ſed Rege & Parlamento, præcipuè in hunc modum: ut Eboracenſibus in Cantuarienſi provincia crucem ante ſe ferre liceret, ſed ut in ſubjectionis ſignum ſingulis vicibus, qvando provinciam ingreſſi fuerint, pro pacifica crucis delatione per nuncium aliqvem ſolennem ad Eccleſiam Cathedralem Cantuarienſem imaginem auream valoris 40. & 50. ſterl. ſculptam ad ſimilitudinem Archiepiſcopi crucem in manu ſua deferentis, vel aliud jocale aureum prædicti valoris mitterent. uti id legitur in Antiqvitat. Britann. *p 240.*

Archi Epiſcopi Cantuarienſis] qvi aliàs primas dicitur Angliæ. Duo autem erant genera primatum, patriarcharum ſcil. & eorum, qvi inferiores qvidem eſſent patriarchis, ſuperiores tamen vulgaribus metropolitanis. Sed & patriarchæ. & primatis & Archiepiſcopi nomina diverſimode ſumpta fuiſſe patet ex iis, qvæ notant Johannes Seldenus *in Eutychii orig. Alexandrin. p. 5. ſeq.* Petr. de Marca *de primatib. p. 112. ſeqq.* Autor. Euchariſtici *ad Jac. Sirmond. de Eccleſ. ſuburbicar. c. 3. & 4.*

tuæ fraternitati] Stylus Curiæ Romanæ hic eſt, ut Papa Rom. patriarchas, Archiepiſcopos & Epiſcopos appellet fratres, Reges & Principes, ut & ſimplices Cardinales, filios. Fuit autem hoc nomen in veteri Eccleſia Chriſtianorum qvaſi proprium, qvi ſe invicem fratres & ſorores compellabant. Minut. Felix *in Octav. p. 20.* Patrit. Junius *ad Clementis epiſt. 1. ad Cor. n. 3.* Deſid. Herald. *ad Tertull. apol. pag. 162.*

Apoſtolicæ ſedis] ita vult κατ' ἐξοχὴν dici Eccleſia Romana aut potius Papa, cum tamen olim qvævis ſedes Epiſcopalis diceretur apoſtolica.

de jure] De jure diſceptatur non niſi in petitorio judicio. Et hinc ergò jubet Pontifex Archi Epiſcopum Eboracenſem in poſſesſione anteferendæ crucis tamdiu manere, donec in petitorio diverſum qvid judicatum fuerit.

Noto hinc I. Lite pendente nihil eſſe innovandum. Et ea qvidem innovatio pluribus modis fieri poteſt, vel privatione poſſesſionis, vel alienatio-

ne rei litigioſæ, vel impetratione juris novi aut privilegii. Nihil horum qvo vel actoris vel rei perſona aut conditio, vel litis pendentis qvalitas ſtatusve aliqvo modo in præjudicium alterius immutetur, fieri poteſt, dum in judicio lis pendet.

II. Litem pendentem in hoc titulo dici, ſimulatqve controverſia mota fuerit, nec reqviri, ut litis conteſtatio facta ſit. *Clement. 2. h. t.* Etſi enim propriè lis non intelligatur, niſi poſt conteſtationem *l. 25. §. 7. ff. de hered. pet.* Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. l. 1. c. 5. n. 19.* in qvamplurimis tamen juris articulis controverſia tantùm mota attenditur, uti fit *in l. 10. C. de præſcript. long. temp. it. Novell. 112.* eaqve facit, ut lis qvandoqve dicatur ante litis conteſtationem Joh. Bapt. Aſinius *in prax. in rubr. n. 12.* Atqve hinc ſtatuunt Doctores, litis pendentiam per ſolam citationem induci. Mynſing. *cent. 4. obſ. 26.*

III. Ad unius partis inſtantiam, inauditâ parte alterâ, malè decerni inhibitionem. Eſt enim etiam Principis reſcriptum tali modo impetratum, omninò nullum *l. fin. C. ſi per vim.* neqve reſcriptum ad preces unius partis datum in rem judicatam tranſit. Carpzov. *p. 1. c. 26. def. 18.*

IV. Judicem ſicut facilis fuit ad faciendum, ita facilem eſſe debere ad perperam factum revocandum. Achilles Perſonal. *de adipiſc. poſſ. n. 255. 269. 273.* Neqve hoc pudori fuit Pontificibus Romanis, ut ſententias mutarent *c. ſententiam 35. q. 9.*

V. Ne qvidem ſanctiſſimi viri, extra θεοπνευςίαν, autoritatem infallibilis eſſe veritatis *c. ego ſolis 4. diſt. 9.* Nec debuit ergo Thomæ Cantuarienſis imploratio commovere Pontificem, ut qvid decerneret inauditâ parte alterâ. *Vid.* Nicol. Everhard. *Loc. 95. n. 17.*

VI. Jure noviori licere omnibus Archi Epiſcopis crucem ante ſe deferre, per qvævis loca, etiam exempta ſuæ provinciæ *clem. ult. de privileg.*

Ad c. laudabilem 2.

Caſus talis eſt: Cajus & Caja conjuges, de conjunctione ſuâ neſcii, in gradu prohibito matrimonium contraxerant. Stante hoc matrimonio de impedimento certior factus alteruter in judicium cauſam deduxerat, & matrimonium accuſaverat. Qværebatur, utrum pendente lite congreſſu geniali alter privari, & conjuges ſeparari deberent?

Ratio dubitandi eſt, qvia, ſi congreſſus genialis continuandus fuerit, continuabitur delictum, &, ſi non uterqve conjugum, accuſator ſaltem

con-

Digitized by Google

contra conſcientiam aget, qvod concedendum aut permittendum non eſt.

Ratio decidendi eſt, qvia præſumptio eſt pro poſſidente, qvod licitè poſſideat, & qvia lite pendente non ſufficienter conſtat de impedimento allegato. Nec ergo privari debet conjux jure ſuo & commodo poſſeſſionis, qvod interim dum lis pendet, in alterum habet.

Cæterùm vera eſſe hæc dicit Joh. Baptiſta Vivianus qvoad privationem faciendam per judicem, cui adhuc non conſtat de peccato; ſed qvoad partes, illam, qvæ habet certam notitiam impedimenti, non debere exigere nec reddere debitum, ſed potius debere excommunicationem ſuſtinere, ne peccatum in currat *per c. literas 13. X. de reſtit. ſpol. & c. inqviſitioni 44. X. de ſent. excomm.*

Sed Cujacius nihil hîc obſtare *d. c. literas 13.* contendit, agere enim illud de reſtitutione poſſesſionis, qvæ imperfectè aut minus plenè fieri poſſit, hic verò agi de retentione poſſesſionis, qvæ retineri non poſſit, qvin retineatur tota, deniqve retentionem Uxoris non recipere hunc modum, ne cum eâ congrediatur.

Mihi ſententia Viviani non videtur in ſubida. Qvin ſtatuo ego, rectius facturum judicem, ſimulatqve cauſa in judicium deducta fuerit, ut jubeat utrumqve lecto geniali abſtinere, & ut interim ipſe in causâ cognoſcendâ ſtrenuè pergat. Qvandoqvidem poſſeſſionis regulæ ad materiam, qvæ peccatum involvit, parum feliciter applicantur.

matrimonium accuſare] i.e. arguere, matrimonium aut nullum, aut non legitimum eſſe.

carnale commercium] obvelatis verbis eleganter ita expreſſit debitum, uti aliàs vocatur, conjugale.

Notandum hîc I. malè conceptam eſſe rubricam ſive inſcriptionem aut ſummam hujus capituli de accuſatione matrimonii, qvæ fit propter adulterium. Enimverò, ſi privanda non eſt adultera accuſata commercio conjugali, ſeqvitur, fruſtra deinceps accuſationem intendi & peragi, qvandoqvidem delictum condonaſſe cenſetur conjux, ſi poſt delictum commiſſum maritus id ſciens uxorem carnaliter cognoſcat, vel Uxor maritum adulterum admittat. *l. 40. ff. ad L. Corn. de adult. l. 11. C. eod.* Jul. Clar. *l. 5. ſent. §. adulterium n. 18.* Carpzov. *pr. crim. quæſt. 55. n. 40. ſeqq.* Anton. de Gamma *de-ciſ.*

uſ. 2 3. Ergò impedimentum hîc potius intelligendum eſt tale, qvod venit ex gradibus prohibitis.

II. Commercii carnalis poſſesſionem non rectè addici conjugi, ubi periculum ſubeſt inceſtus, cùm ea conſcientiæ res ſit, neqve ad forum externum pertineat.

Ad cap. Eccleſia 3. & 4.

Prolixum hîc recenſet proceſſum Cujacius, facientem ad intellectum plurimorum capitulorum, hâc eâdem de cauſa in Decretalibus exiſtentium, *capitulis ſcil. ultimi de for. comp. in collect. 2. c. 10. X. de conſtitut. c. 1. de reſtitut. ſpol. in collect. 3.* Sed neceſſe non eſt ut ab ovo omnia repetantur. Seqvemur Antonium Dadinum Alteſerram, qvi in formando caſu, ipſius Innocentii III. Epiſtola *228. lib. 2.* utitur, & hanc ponit ſeriem: Eccleſia S. Mariæ in via latâ, qvæ eſt Romæ, agebat actione in rem de qvibusdam prædiis adverſus Johannem de Atteja coram Laurentio judice. Pendente lite Johannes judicii mutandi causâ poſſesſionem prædiorum, de qvibus lis erat, tranſtulit in monaſterium S. Sylveſtri, propter qvod litigioſi vitium poſſeſſio per ſententiam reſtituta eſt Eccleſiæ S. Mariæ. Poſtea verò, cum eadem Eccleſia ſpoliata eſſet poſſeſſione iſtorum prædiorum, egit interdicto unde vi adverſus monaſterium S. Sylveſtri. Qvod cùm accidiſſet, totius cauſæ cognitionem in ſe recepit Cœleſtinus III. & eo mox defuncto Innocentius III. atqve hic in irritum revocavit, qvicqvid geſtum erat poſt evocationem, atqve poſſeſſionem prædiorum Eccleſiæ reſtituendam judicavit. Sed qvia Monaſterium non poterat eadem prædia reſtituere, propterea qvod finitâ conductione Johannis aliis eadem locaverat, qvibus ea avelli, forte propter potentiam, non poterant, ideò cenſuit idem Pontifex, ut in locum eorum prædiorum alia prædia libera & ab hypothecæ nexu libera monaſterium ſubrogaret. Poſt alias plures altercationes judicatum tandem, monaſterium ut priùs ſpoliatum, reſtituendum eſſe. Deniqve monaſterio reſtituendam eſſe poſſesſionem prædiorum ſubrogatorum, hâc tamen lege atqve conditione, ne ea prædia alienaret, qvoad de jure & proprietate Eccleſiæ S. Mariæ judicatum eſſet, ut in cauſa principali ſi vinceret Eccleſia, haberet qvod evincere poſſet. Ordine igitur proceſſus præcedit capitulum 4. ſeqvitur cap. 3. qvod utrumqve in eâdem cauſa exaratum eſt.

Sum-

Summa igitur capituli 3. eſt, non debere alienari rem ſubrogatam in locum rei litigioſæ.

Ratio dubitandi eſt, qvia res talis ſubrogata non eſt ipſa res litigioſa. Litigioſa enim res dicitur, ſuper qva lis inter aliqvos pendet, qvæ nulla eſt ſuper re ſurrogatâ. Et videtur etiam hæc perhibitio pontificis carere ſucceſſu, qvia litigioſam rem non facit denunciatio, qvæ impediendæ venditionis cauſa fit. *l. 1. ff. 1. de litigioſ.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſurrogatur. Hæc tamen ratio, qvæ plerisqve omnibus Doctoribus placet, mihi non videtur h. l. ſufficiens. Axioma enim illud procedit tantum, qvando agitur de naturali causâ, non de causâ accidentali, qvalis eſt eſſe litigioſum. Et qvorſum opus eſſet prohibitione Pontificis, ſi prædia, iſta ſurrogata illico litigioſæ rei naturam induerent? Qvod ergò ſurrogata talia prædia perinde alienari neqveant, ut ipſa prædia litigioſa, id provenit ex prohibitione Pontificis qvi hanc ſuæ prohibitionis reddit rationem, ut haberet Eccleſia, ſi in causâ principali viciſſet, qvod evincere poſſet.

qvasdam poſſeſſiones] Qvicqvid apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſesſionem appellamus *l. 115. ff. de V. S.*

alienare] Prohibetur non tantum dominii alienatio, ſed etiam uſusfructus datio, hypotheca, pignus, it. ſervitutis impoſitio, emphyteuſis conſtitutio &c *l. fin. C. de reb. al. non alien.*

de vitio litigioſi contractus] h. e. de vitio contractus ſuper re litigioſa:

Summa capituli 4. eſt, debere eum, qvi reſtituere rem juſſus eſt, ſi rem ipſam non habeat, rem æqvivalentem aliam ab omni nexu liberam reddere.

Ratio dubitandi eſt, qvia non videtur reſtituere, qvi rem offert planè aliam. Atqve idcircò in eâ cauſa, forma, acceſſione & qvalitate reddi debet, qvod reſtitui oportet, in qvâ fuiſſet, ſi nihil adverſus id, cujus gratiâ reſtitutio deſideratur, factum eſſet. Joh. Gœddæ. *ad l. 22. ff. de V. S. n. 11.*

Ratio decidendi eſt. qvia impoſſibile eſt, ut qvis reſtituat rem, qvam amplius non habet. Satisfiet ergo & reſtituta cenſebitur res, ſicubi æqvivalens aliqva tradita fuerit.

prætermiſſo juris ordine] Spoliatio ergò videtur facta autoritate judicis ordinem judiciarium omittentis.

ciſ. 2 3. Ergò impedimentum hîc potius intelligendum eſt tale, qvod venit ex gradibus prohibitis.

II. Commercii carnalis poſſesſionem non rectè addici conjugi, ubi periculum ſubeſt inceſtus, cùm ea conſcientiæ res ſit, neqve ad forum externum pertineat.

Ad cap. Eccleſia 3. & 4.

Prolixum hîc recenſet proceſſum Cujacius, facientem ad intellectum plurimorum capitulorum, hâc eâdem de cauſa in Decretalibus exiſtentium, *capitulis ſcil. ultimo de for. comp. in collect. 3. c. 10. X. de conſtitut. c. 1. de reſtitut. ſpol. in collect. 3.* Sed neceſſe non eſt ut ab ovo omnia repetantur. Seqvemur Antonium Dadinum Alteſerram, qvi in formando caſu, ipſius Innocentii III. Epiſtola *228. lib. 2.* utitur, & hanc ponit ſeriem: Eccleſia S. Mariæ in via latâ, qvæ eſt Romæ, agebat actione in rem de qvibusdam prædiis adverſus Johannem de Atteja coram Laurentio judice. Pendente lite Johannes judicii mutandi causâ poſſesſionem prædiorum, de qvibus lis erat, transtulit in monaſterium S. Sylveſtri, propter qvod litigioſi vitium posſeſſio per ſententiam reſtituta eſt Eccleſiæ S. Mariæ. Poſtea verò, cum eadem Eccleſia ſpoliata eſſet poſſeſſione iſtorum prædiorum, egit interdicto unde vi adverſus monaſterium S. Sylveſtri. Qvod cùm accidiſſet, totius cauſæ cognitionem in ſe recepit Cœleſtinus III. & eo mox defuncto Innocentius III. atqve hic in irritum revocavit, qvicqvid geſtum erat poſt evocationem, atqve poſſeſſionem prædiorum Eccleſiæ reſtituendam judicavit. Sed qvia Monaſterium non poterat eadem prædia reſtituere, propterea qvod finitâ conductione Johannis aliis eadem locaverat, qvibus ea avelli, forte propter potentiam, non poterant, ideò cenſuit idem Pontifex, ut in locum eorum prædiorum alia prædia libera & ab hypothecæ nexu libera monaſterium ſubrogaret. Poſt alias plures altercationes judicatum tandem, monaſterium ut priùs ſpoliatum, reſtituendum eſſe. Deniqve monaſterio reſtituendam eſſe poſſesſionem prædiorum ſubrogatorum, hâc tamen lege atqve conditione, ne ea prædia alienaret, qvoad de jure & proprietate Eccleſiæ S. Mariæ judicatum eſſet, ut in cauſa principali ſi vincere: Eccleſia, haberet qvod evincere poſſet. Ordine igitur proceſſus præcedit capitulum 4. ſeqvitur cap. 3. qvod utrumqve in eâdem cauſa exaratum eſt.

Sum-

Summa igitur capituli 3. eſt, non debere alienari rem ſubrogatam in locum rei litigioſæ.

Ratio dubitandi eſt, qvia res talis ſubrogata non eſt ipſa res litigioſa. Litigioſa enim res dicitur, ſuper qva lis inter aliqvos pendet, qvæ nulla eſt ſuper re ſurrogatâ. Et videtur etiam hæc perhibitio pontificis carere ſucceſſu, qvia litigioſam rem non facit denunciatio, qvæ impediendæ venditionis cauſa fit. *l. 1. ff. 1. de litig ioſ.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſurrogatur. Hæc tamen ratio, qvæ plerisqve omnibus Doctoribus placet, mihi non videtur h l. ſufficiens. Axioma enim illud procedit tantum, qvando agitur de naturali cauſâ, non de cauſâ accidentali, qvalis eſt eſſe litigioſum. Et qvorſum opus eſſet prohibitione Pontificis, ſi prædia, iſta ſurrogata illico litigioſæ rei naturam induerent? Qvod ergò ſurrogata talia prædia perinde alienari neqveant, ut ipſa prædia litigioſa, id provenit ex prohibitione Pontificis qvi hanc ſuæ prohibitionis reddit rationem, ut haberet Eccleſia, ſi in cauſâ principali viciſſet, qvod evincere poſſet.

qvasdam poſſeſſiones] Qvicqvid apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſesſionem appellamus *l. 115. ff. de V. S.*

alienare] Prohibetur non tantum dominii alienatio, ſed etiam uſusfructus datio, hypotheca, pignus, it. ſervitutis impoſitio, emphyteuſis conſtitutio &c. *l. fin. C. de reb. al. non alien.*

de vitio litigioſi contractus] h. e. de vitio contractus ſuper re litigioſa.

Summa capituli 4. eſt, debere eum, qvi reſtituere rem juſſus eſt, ſi rem ipſam non habeat, rem æqvivalentem aliam ab omni nexu liberam reddere.

Ratio dubitandi eſt, qvia non videtur reſtituere, qvi rem offert planè aliam. Atqve ideircò in eâ cauſa, forma, acceſſione & qvalitate reddi debet, qvod reſtitui oportet, in qvâ fuiſſet, ſi nihil adverſus id, cujus gratiâ reſtitutio deſideratur, factum eſſet. Joh. Gœddæ. *ad l. 22. ff. de V. S. n. 11.*

Ratio decidendi eſt, qvia impoſſibile eſt, ut qvis reſtituat rem, qvam amplius non habet. Satisfiet ergo & reſtituta cenſebitur res, ſicubi æqvivalens aliqva tradita fuerit.

prætermiſſo juris ordine] Spoliatio ergò videtur facta autoritate judicis ordinem judiciarium omittentis.

ciſ. 2 3. Ergò impedimentum hîc potius intelligendum eſt tale, qvod venit ex gradibus prohibitis.

II. Commercii carnalis poſſesſionem non rectè addici conjugi, ubi periculum ſubeſt inceſtus, cùm ea conſcientiæ res ſit, neqve ad forum externum pertineat.

Ad cap. Eccleſia 3. & 4.

Prolixum hîc recenſet proceſſum Cujacius, facientem ad intellectum plurimorum capitulorum, hâc eâdem de cauſa in Decretalibus exiſtentium, *capitulis ſcil. ultimis de for. comp. in collect. 3. c. 10. X. de conſtitut. c. 1. de reſtitut. ſpol. in collect. 3.* Sed neceſſe non eſt ut ab ovo omnia repetantur. Seqvemur Antonium Dadinum Alteſerram, qvi in formando caſu, ipſius Innocentii III. Epiſtola *228. lib. 2.* utitur, & hanc ponit ſeriem: Eccleſia S. Mariæ in via latâ, qvæ eſt Romæ, agebat actione in rem de qvibusdam prædiis adverſus Johannem de Atteja coram Laurentio judice. Pendente lite Johannes judicii mutandi causâ poſſesſionem prædiorum, de qvibus lis erat, transtulit in monaſterium S. Sylveſtri, propter qvod litigioſi vitium poſſeſſio per ſententiam reſtituta eſt Eccleſiæ S. Mariæ. Poſtea vero, cum eadem Eccleſia ſpoliata eſſet poſſeſſione iſtorum prædiorum, egit interdicto unde vi adverſus monaſterium S. Sylveſtri. Qvod cùm accidiſſet, totius cauſæ cognitionem in ſe recepit Cœleſtinus III. & eo mox defuncto Innocentius III. atqve hic in irritum revocavit, qvicqvid geſtum erat poſt evocationem, atqve poſſeſſionem prædiorum Eccleſiæ reſtituendam judicavit. Sed qvia Monaſterium non poterat eadem prædia reſtituere, propterea qvod finitâ conductione Johannis aliis eadem locaverat, qvibus ea avelli, forte propter potentiam, non poterant, ideò cenſuit idem Pontifex, ut in locum eorum prædiorum alia prædia libera & ab hypothecæ nexu libera monaſterium ſubrogaret. Poſt alias plures altercationes judicatum tandem, monaſterium ut priùs ſpoliatum, reſtituendum eſſe. Deniqve monaſterio reſtituendam eſſe poſſesſionem prædiorum ſubrogatorum, hâc tamen lege atqve conditione, ne ea prædia alienaret, qvoad de jure & proprietate Eccleſiæ S. Mariæ judicatum eſſet, ut in cauſa principali ſi vinceret Eccleſia, haberet qvod evincere poſſet. Ordine igitur proceſſus præcedit capitulum 4. ſeqvitur cap. 3. qvod utrumqve in eâdem cauſa exaratum eſt.

Sum

Summa igitur capituli 3. eſt, non debere alienari rem ſubrogatam in locum rei litigioſæ.

Ratio dubitandi eſt, qvia res talis ſubrogata non eſt ipſa res litigioſa. Litigioſa enim res dicitur, ſuper qva lis inter aliqvos pendet, qvæ nulla eſt ſuper re ſurrogatâ. Et videtur etiam hæc perhibitio pontificis carere ſucceſſu, qvia litigioſam rem non facit denunciatio, qvæ impediendæ venditionis cauſa fit. *l. 1. ff. 1. de litig. ioſ.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſurrogatur. Hæc tamen ratio, qvæ plerisqve omnibus Doctoribus placet, mihi non videtur h. l. ſufficiens. Axioma enim illud procedit tantum, qvando agitur de naturali cauſâ, non de cauſâ accidentali, qvalis eſt eſſe litigioſum. Et qvorſum opus eſſet prohibitione Pontificis, ſi prædia, iſta ſurrogata illico litigioſæ rei naturam induerent? Qvod ergò ſurrogata talia prædia perinde alienari neqveant, ut ipſa prædia litigioſa, id provenit ex prohibitione Pontificis qvi hanc ſuæ prohibitionis reddit rationem, ut haberet Eccleſia, ſi in cauſâ principali viciſſet, qvod evincere poſſet.

qvasdam poſſeſſiones] Qvicqvid apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſesſionem appellamus *l. 115. ff. de V. S.*

alienare] Prohibetur non tantum dominii alienatio, ſed etiam uſusfructus datio, hypotheca, pignus, it. ſervitutis impoſitio, emphyteuſis conſtitutio &c. *l. fin. C. de reb. al. non alien.*

de vitio litigioſi contractus] h. e. de vitio contractus ſuper re litigioſa:

Summa capituli 4. eſt, debere eum, qvi reſtituere rem juſſus eſt, ſi rem ipſam non habeat, rem æqvivalentem aliam ab omni nexu liberam reddere.

Ratio dubitandi eſt, qvia non videtur reſtituere, qvi rem offert planè aliam. Atqve idcircò in eâ cauſa, forma, acceſſione & qvalitate reddi debet, qvod reſtitui oportet, in qvâ fuiſſet, ſi nihil adverſus id, cujus gratiâ reſtitutio deſideratur, factum eſſet. Joh. Gœddæ. *ad l. 22. ff. de V. S. n. 11.*

Ratio decidendi eſt. qvia impoſſibile eſt, ut qvis reſtituat rem, qvam amplius non habet. Satisfiet ergo & reſtituta cenſebitur res, ſicubi æqvivalens aliqva tradita fuerit.

prætermiſſo juris ordine] Spoliatio ergò videtur facta autoritate judicis ordinem judiciarium omittentis.

tiſ. 2 3. Ergò impedimentum hîc potius intelligendum eſt tale, qvod venit ex gradibus prohibitis.

II. Commercii carnalis poſſesſionem non rectè addici conjugi, ubi periculum ſubeſt inceſtus, cùm ea conſcientiæ res ſit, neqve ad forum externum pertineat.

Ad cap. Eccleſia 3. & 4.

Prolixum hîc recenſet proceſſum Cujacius, facientem ad intellectum plurimorum capitulorum, hâc eâdem de cauſa in Decretalibus exiſtentium, *capitulis ſcil. ultimis de for. comp. in collect. 3. c. 10. X. de conſtitut. c. 1. de reſtitut. ſpol. in collect. 3.* Sed neceſſe non eſt ut ab ovo omnia repetantur. Seqvemur Antonium Dadinum Alteſerram, qvi in formando caſu, ipſius Innocentii III. Epiſtola *228. lib. 2.* utitur, & hanc ponit ſeriem: Eccleſia S. Mariæ in viâ latâ, qvæ eſt Romæ, agebat actione in rem de qvibusdam prædiis adverſus Johannem de Atteja coram Laurentio judice. Pendente lite Johannes judicii mutandi causâ poſſesſionem prædiorum, de qvibus lis erat, transtulit in monaſterium S. Sylveſtri, propter qvod litigioſi vitium posſeſſio per ſententiam reſtituta eſt Eccleſiæ S. Mariæ. Poſtea vero, cum eadem Eccleſia ſpoliata eſſet poſſeſſione iſtorum prædiorum, egit interdicto unde vi adverſus monaſterium S. Sylveſtri. Qvod cùm accidiſſet, totius cauſæ cognitionem in ſe recepit Cœleſtinus III. & eo mox defuncto Innocentius III. atqve hic in irritum revocavit, qvicqvid geſtum erat poſt evocationem, atqve poſſeſſionem prædiorum Eccleſiæ reſtituendam judicavit. Sed qvia Monaſterium non poterat eadem prædia reſtituere, propterea qvod finitâ conductione Johannis aliis eadem locaverat, qvibus ea avelli, forte propter potentiam, non poterant, ideò cenſuit idem Pontifex, ut in locum eorum prædiorum alia prædia libera & ab hypothecæ nexu libera monaſterium ſubrogaret. Poſt alias plures altercationes judicatum tandem, monaſterium ut priùs ſpoliatum, reſtituendum eſſe. Deniqve monaſterio reſtituendam eſſe poſſesſionem prædiorum ſubrogatorum, hâc tamen lege atqve conditione, ne ea prædia alienaret, qvoad de jure & proprietate Eccleſiæ S. Mariæ judicatum eſſet, ut in cauſa principali ſi vinceret Eccleſia, haberet qvod evincere poſſet. Ordine igitur proceſſus præcedit capitulum 4. ſeqvitur cap. 3. qvod utrumqve in eâdem cauſa exaratum eſt.

Sum-

Summa igitur capituli 3. eſt, non debere alienari rem ſubrogatam in locum rei litigioſæ.

Ratio dubitandi eſt, qvia res talis ſubrogata non eſt ipſa res litigioſa. Litigioſa enim res dicitur, ſuper qva lis inter aliqvos pendet, qvæ nulla eſt ſuper re ſurrogatâ. Et videtur etiam hæc perhibitio pontificis carere ſucceſſu, qvia litigioſam rem non facit denunciatio, qvæ impediendæ venditionis cauſa fit. *l. 1. ff. 1. de litig ioſ.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſurrogatur. Hæc tamen ratio, qvæ plerisqve omnibus Doctoribus placet, mihi non videtur h. l. ſufficiens. Axioma enim illud procedit tantum, qvando agitur de naturali cauſâ, non de cauſâ accidentali, qvalis eſt eſſe litigioſum. Et qvorſum opus eſſet prohibitione Pontificis, ſi prædia, iſta ſurrogata illicò litigioſæ rei naturam induerent? Qvod ergò ſurrogata talia prædia perinde alienari neqveant, ut ipſa prædia litigioſa, id provenit ex prohibitione Pontificis qvi hanc ſuæ prohibitionis reddit rationem, ut haberet Eccleſia, ſi in cauſâ principali viciſſet, qvod evincere poſſet.

qvasdam poſſeſſiones] Qvicqvid apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſesſionem appellamus *l. 115. ff. de V. S.*

alienare] Prohibetur non tantum dominii alienatio, ſed etiam uſusfructus datio, hypotheca, pignus, it. ſervitutis impoſitio, emphyteuſis conſtitutio &c *l. fin. C. de reb. al. non alien.*

de vitio litigioſi contractus] h. e. de vitio contractus ſuper re litigioſa.

Summa capituli 4. eſt, debere eum, qvi reſtituere rem juſſus eſt, ſi rem ipſam non habeat, rem æqvivalentem aliam ab omni nexu liberam reddere.

Ratio dubitandi eſt, qvia non videtur reſtituere, qvi rem offert planè aliam. Atqve idcircò in eâ cauſa, forma, acceſſione & qvalitate reddi debet, qvod reſtitui oportet, in qvâ fuiſſet, ſi nihil adverſus id, cujus gratiâ reſtitutio deſideratur, factum eſſet. Joh. Gœddæ. *ad l. 22. ff. de V. S. n. 11.*

Ratio decidendi eſt. qvia impoſſibile eſt, ut qvis reſtituat rem, qvam amplius non habet. Satisfiet ergo & reſtituta cenſebitur res, ſicubi æqvivalens aliqva tradita fuerit.

prætermiſſo juris ordine] Spoliatio ergò videtur facta autoritate judicis ordinem judiciarium omittentis.

ne rei litigioſæ, vel impetratione juris novi aut privilegii. Nihil horum qvo vel actoris vel rei perſona aut conditio, vel litis pendentis qvalitas ſtatusve aliqvo modo in præjudicium alterius immutetur, fieri poteſt, dum in judicio lis pendet.

II. Litem pendentem in hoc titulo dici, ſimulatqve controverſia mota fuerit, nec reqviri, ut litis conteſtatio facta ſit. *Clement. 2. h. t.* Etſi enim propriè lis non intelligatur, niſi poſt conteſtationem *l. 25. §. 7. ff. de hered. pet.* Ventur. de Valent. *in Parthen. litig. l. 1. c. 5. n. 19.* in qvamplurimis tamen juris articulis controverſia tantùm mota attenditur, uti fit *in l. 10. C. de præſcript. long. temp. it. Novell. 112.* eaqve facit, ut lis qvandoqve dicatur ante litis conteſtationem Joh. Bapt. Aſinius *in prax. in rubr. n. 12.* Atqve hinc ſtatuunt Doctores, litis pendentiam per ſolam citationem induci. Mynſing. *cent. 4. obſ. 26.*

III. Ad unius partis inſtantiam, inauditâ parte alterâ, malè decerni inhibitionem. Eſt enim etiam Principis reſcriptum tali modo impetratum, omninò nullum *l. fin. C. ſi per vim.* neqve reſcriptum ad preces unius partis datum in rem judicatam tranſit. Carpzov. *p. 1. c. 26. def. 18.*

IV. Judicem ſicut facilis fuit ad faciendum, ita facilem eſſe debere ad perperam factum revocandum. Achilles Perſonal. *de adipiſc. poſſ. n. 255. 269. 273.* Neqve hoc pudori fuit Pontificibus Romanis, ut ſententias mutarent *c. ſententiam 35. q. 9.*

V. Ne qvidem ſanctiſſimi viri, extra *θεοπνευςίαν*, autoritatem infallibilis eſſe veritatis *c. ego ſolis 4. diſt. 9.* Nec debuit ergo Thomæ Cantuarienſis imploratio commovere Pontificem, ut qvid decerneret inauditâ parte alterâ. *Vid.* Nicol. Everhard. *Loc. 95. n. 17.*

VI. Jure noviori licere omnibus Archi Epiſcopis crucem ante ſe deferre, per qvævis loca, etiam exempta ſuæ provinciæ *clem. ult. de privileg.*

Ad c. laudabilem 2.

Caſus talis eſt: Cajus & Caja conjuges, de conjunctione ſuâ neſcii, in gradu prohibito matrimonium contraxerant. Stante hoc matrimonio de impedimento certior factus alteruter in judicium cauſam deduxerat, & matrimonium accuſaverat. Qværebatur, utrum pendente lite congreſſu geniali alter privari, & conjuges ſeparari deberent?

Ratio dubitandi eſt, qvia, ſi congreſſus genialis continuandus fuerit, continuabitur delictum, &, ſi non uterqve conjugum, accuſator ſaltem

con-

contra conſcientiam aget, qvod concedendum aut permittendum non eſt.

Ratio decidendi eſt, qvia præſumptio eſt pro poſſidente, qvod licitè poſſideat, & qvia lite pendente non ſufficienter conſtat de impedimento allegato. Nec ergo privari debet conjux jure ſuo & commodo poſſeſſionis, qvod interim dum lis pendet, in alterum habet.

Cæterùm vera eſſe hæc dicit Joh. Baptiſta Vivianus qvoad privationem faciendam per judicem, cui adhuc non conſtat de peccato; ſed qvoad partes, illam, qvæ habet certam notitiam impedimenti, non debere exigere nec reddere debitum, ſed potius debere excommunicationem ſuſtinere, ne peccatum incurrat *per c. literas 13. X. de reſtit. ſpol. & c. inqviſitioni 44. X. de ſent. excomm.*

Sed Cujacius nihil hîc obſtare *d. c. literas 13.* contendit, agere enim illud de reſtitutione poſſesſionis, qvæ imperfectè aut minus plenè fieri poſſit, hîc verò agi de retentione poſſesſionis, qvæ retineri non poſſit, qvin retineatur tota, deniqve retentionem Uxoris non recipere hunc modum, ne cum eâ congrediatur.

Mihi ſententia Viviani non videtur inſubida. Qvin ſtatuo ego, rectius facturum judicem, ſimulatqve cauſa in judicium deducta fuerit, ut jubeat utrumqve lecto geniali abſtinere, & ut interim ipſe in causâ cognoſcendâ ſtrenuè pergat. Qvandoqvidem poſſeſſionis regulæ ad materiam, qvæ peccatum involvit, parum feliciter applicantur.

matrimonium accuſare] i.e. arguere, matrimonium aut nullum, aut non legitimum eſſe.

carnale commercium] obvelatis verbis eleganter ita expreſſit debitum, uti aliàs vocatur, conjugale.

Notandum hîc I. malè conceptam eſſe rubricam ſive inſcriptionem aut ſummam hujus capituli de accuſatione matrimonii, qvæ fit propter adulterium. Enimverò, ſi privanda non eſt adultera accuſata commercio conjugali, ſeqvitur, fruſtra deinceps accuſationem intendi & peragi, qvandoqvidem delictum condonaſſe cenſetur conjux, ſi poſt delictum commiſſum maritus id ſciens uxorem carnaliter cognoſcat, vel Uxor maritum adulterum admittat. *l. 40. ff. ad L. Corn. de adult. l. 11. C. eod.* Jul. Clar. *l. 5. ſent. §. adulterium n. 15.* Carpzov. *pr. crim. quæſt. 55. n. 40. ſeqq.* Anton. de Gamma *deciſ.*

ciſ. 2 3. Ergò impedimentum hîc potius intelligendum eſt tale, qvod venit ex gradibus prohibitis.

II. Commercii carnalis poſſesſionem non rectè addici conjugi, ubi periculum ſubeſt inceſtus, cùm ea conſcientiæ res ſit, neqve ad forum externum pertineat.

Ad cap. Eccleſia 3. & 4.

Prolixum hîc recenſet proceſſum Cujacius, facientem ad intellectum plurimorum capitulorum, hâc eâdem de cauſa in Decretalibus exiſtentium, *capituli ſcil. ultimi de for. comp. in collect. 3. c. 10. X. de conſtitut. c. 1. de reſtitut. ſpol. in collect. 3.* Sed neceſſe non eſt ut ab ovo omnia repetantur. Seqvemur Antonium Dadinum Alteſerram, qvi in formando caſu, ipſius Innocentii III. Epiſtola *228. lib. 2.* utitur, & hanc ponit ſeriem: Eccleſia S. Mariæ in viâ latâ, qvæ eſt Romæ, agebat actione in rem de qvibusdam prædiis adverſus Johannem de Atteja coram Laurentio judice. Pendente lite Johannes judicii mutandi causâ poſſesſionem prædiorum, de qvibus lis erat, tranſtulit in monaſterium S. Sylveſtri, propter qvod litigioſi vitium poſſeſſio per ſententiam reſtituta eſt Eccleſiæ S. Mariæ. Poſtea verò, cum eadem Eccleſia ſpoliata eſſet poſſeſſione iſtorum prædiorum, egit interdicto unde vi adverſus monaſterium S. Sylveſtri. Qvod cùm accidiſſet, totius cauſæ cognitionem in ſe recepit Cœleſtinus III. & eô mox defuncto Innocentius III. atqve hic in irritum revocavit, qvicqvid geſtum erat poſt evocationem, atqve poſſeſſionem prædiorum Eccleſiæ reſtituendam judicavit. Sed qvia Monaſterium non poterat eadem prædia reſtituere, propterea qvod finitâ conductione Johannis aliis eadem locaverat, qvibus ea avelli, forte propter potentiam, non poterant, ideò cenſuit idem Pontifex, ut in locum eorum prædiorum alia prædia libera & ab hypothecæ nexu libera monaſterium ſubrogaret. Poſt alias plures altercationes judicatum tandem, monaſterium ut priùs ſpoliatum, reſtituendum eſſe. Deniqve monaſterio reſtituendam eſſe poſſesſionem prædiorum ſubrogatorum, hâc tamen lege atqve conditione, ne ea prædia alienaret, qvoad de jure & proprietate Eccleſiæ S. Mariæ judicatum eſſet, ut in cauſa principali ſi vinceret Eccleſia, haberet qvod evincere poſſet. Ordine igitur proceſſus præcedit capitulum 4. ſeqvitur cap. 3. qvod utrumqve in eâdem cauſa exaratum eſt.

Sum-

Summa igitur capituli 3. eſt, non debere alienari rem ſubrogatam in locum rei litigioſæ.

Ratio dubitandi eſt, qvia res talis ſubrogata non eſt ipſa res litigioſa. Litigioſa enim res dicitur, ſuper qva lis inter aliqvos pendet, qvæ nulla eſt ſuper re ſurrogatâ. Et videtur etiam hæc perhibitio pontificis carere ſucceſſu, qvia litigioſam rem non facit denunciatio, qvæ impediendæ venditionis cauſa fit. *l. 1. ff. 1. de litig ioſ.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſubrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſurrogatur. Hæc tamen ratio, qvæ plerisqve omnibus Doctoribus placet, mihi non videtur h. l. ſufficiens. Axioma enim illud procedit tantùm, qvando agitur de naturali causâ, non de causâ accidentali, qvalis eſt eſſe litigioſum. Et qvorſum opus eſſet prohibitione Pontificis, ſi prædia, iſta ſurrogata illicò litigioſæ rei naturam induerent? Qvod ergò ſurrogata talia prædia perinde alienari neqveant, ut ipſa prædia litigioſa, id provenit ex prohibitione Pontificis, qvi hanc ſuæ prohibitionis reddit rationem, ut haberet Eccleſia, ſi in causâ principali viciſſet, qvod evincere poſſet.

qvasdam poſſeſſiones] Qvicqvid apprehendimus, cujus proprietas ad nos non pertinet, aut nec poteſt pertinere, hoc poſſesſionem appellamus *l. 115. ff. de V. S.*

alienare] Prohibetur non tantum dominii alienatio, ſed etiam uſusfructus datio, hypotheca, pignus, it. ſervitutis impoſitio, emphyteuſis conſtitutio &c. *l. fin. C. de reb. al. non alien.*

de vitio litigioſi contractus] h. e. de vitio contractus ſuper re litigioſa.

Summa capituli 4. eſt, debere eum, qvi reſtituere rem juſſus eſt, ſi rem ipſam non habeat, rem æqvivalentem aliam ab omni nexu liberam reddere.

Ratio dubitandi eſt, qvia non videtur reſtituere, qvi rem offert planè aliam. Atqve idcircò in eâ cauſa, forma, acceſſione & qvalitate reddi debet, qvod reſtitui oportet, in qvâ fuiſſet, ſi nihil adverſus id, cujus gratiâ reſtitutio deſideratur, factum eſſet. Joh. Gœddæ. *ad l. 22. ff. de V. S. n. 11.*

Ratio decidendi eſt, qvia impoſſibile eſt, ut qvis reſtituat rem, qvam amplius non habet. Satisfiet ergo & reſtituta cenſebitur res, ſicubi æqvivalens aliqva tradita fuerit.

prætermiſſo juris ordine] Spoliatio ergò videtur facta autoritate judicis ordinem judiciarium omittentis.

ab aliis] *in antiqvâ decretali apud* Anton. Auguſtinum *collect. 3. de reſtit. ſpol. c. 1.* refertur, alios Senatorum [intelligit autem illos, qvi in Urbe præerant jurisdictioni & Curiæ Capitolinæ] ſententiam pro monaſterio, alios latam pro Eccleſiâ proceſſu temporis confirmaſſe, omne id qvod poſt avocationem cauſæ factum eſt, revocari debere dicit Pontifex.

Ex his nota I. Judicem, qvi procedit juris ordine non ſervato, cenſeri perſonam privatam, & hoc ipſo violentiam aut ſpolium committere, ut adeo pars, cui nocitum eſt, reſtitui ante omnia debeat. Achill. Perſonal. *de adipiſc. poſſ. n. 251. 274. ſeq.*

II. Avocationes cauſarum in inferiore judicio pendentium, etſi jure civili â ſuperiore fieri qvandocunqve poſſit, moribus tamen noſtris, qvibus jurisdictio plerumqve patrimonialis eſt, non facilè locum invenire, niſi ex cauſa judicis ſuſpecti, litis protractæ & ſimilibus. Carpzov. *lib. 2. reſponſ. 20.*

III. Factâ avocatione judicem inferiorem omni ulteriori cognitione ſuperſedere debere, non aliter, ac ſi ei fuerit inhibitum. Per avocationem enim dempta ei cenſetur omnis poteſtas, qvæ ei circa cauſam iſtam antehac competebat.

IV. Attentata talia, qvæ poſt avocationem cauſæ aut appellationem interpoſitam à judice inferiore committuntur, & totum deinceps inſecutum proceſſum irritum eſſe & nullum. Petr. Gregor. *de appell. l. 2. cap. 14. num. 15.*

V. Si res, qvam reſtituere qvis juſſus eſt, reſtitui neqvit, aliam ejusdem valoris & conditionis ſubſtituendam eſſe.

VI. Redditionem cautionis pignoratitiæ factum debitori argumentum eſſe remiſſi pignoris *l. 7. C. de remiſſ. pign.* qvemadmodum ſi debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter eos conveniſſe, ne peterem. *l. 2. ff. de pact.*

VII. Etiam injuſto poſſeſſori & prædoni rem vi ereptam reſtitui debere *c. 5. X. de reſtit. ſpol.*

VIII. Subrogatum ſapere naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur. Aug. Barboſ. *in axiom. lib. 17. c. 59.*

IX. Alienationem rei litigioſæ eſſe nullam, neqve ex tali alienatione poſſeſſionem transferri. Robert. Lancellott. *de attentat. p. 2. c. 4. in præfat. n. 520.* Joh. Vincent. Hondedæ, *vol. I. conſult. 20. n. 6.*

Digitized by Google

Cæterùm non capio, cur *in cap. 4.* ſurrogatio aliarum poſſeſſionum æqvivalentium injuncta fuerit, præſertim poſtqvam priores illæ, qvæ litigioſæ factæ fuerant, locationis tantùm titulo apud tertium erant. Siqvidem etiam in terminis fortioribus, ubi res litigioſa titulo dominii translativo alienata eſt, alienatione illâ non attentâ lis peragi poteſt, & tùm, qvi comparavit ſibi rem, reſtituere eam tenetur, ſive ſciverit, ſive neſciverit, rem iſtam eſſe litigioſam. *Vid. l. 2. & ult. C. de litigioſ.* Ad qvid ergo opus eſt, ut interim ſubſtituantur poſſesſiones aliæ, cum in illas ipſas qvæ petuntur, executio detur lite finitâ, nec dici poterit in vanum laboras ſe actorem, reo non poſſidente. *Conf.* Dav. Mev. *part. 4. deciſ. 104.*

Ad c. Dilectus 5.

Litigium erat inter parochum & monaſterium aliqvod, circa decimas novalium intra fines parochiæ conſiſtentium, & ad monaſterium pertinentium, nolente monaſterio eas Rectori parochiæ exſolvere. Et hâc lite pendente impetratum fuerat pro monaſterio privilegium à ſede pontificiâ, ut decimas eas ſibi haberet, neqve ſolvere teneretur earum nomine qvicqvam dicto parocho. Qværebatur, utrum privilegium iſtud eum haberet effectum, ut à lite cœptâ deſiſtere parochum oporteret? Reſpondet Pontifex, privilegio conceſſo proceſſum intentatum non ſufflaminari, nec eum propterea intermitti oportere.

Ratio dubitandi eſt, qvia ut privilegium impetretur, nullibi eſt prohibitum. Dumqve id ab eo, qvi dandi poteſtatem habet, conceditur, jus plenum atq; integrum privilegiato acqviritur, Georg. Acac. Enenckel. *de privileg. l. 2. c. 5. n. 49.* Neqve tàm adſtricta eſt poteſtas principis, ut jus concedendi privilegium ex alterius arbitrio, ſi præſertim is ſubditus fuerit, pendere debeat. Accedit qvod omnibus religioſis generaliter hoc privilegium jam ante conceſſum fuit, ut de novalibus ſuis decimas exſolvere non teneantur *c. 10. X. de decim.*

Ratio decidendi eſt, qvia in precibus Papæ oblatis nulla facta fuit mentio litis pendentis, Privilegium enim lite pendente non factâ mentione litis obtentum, nullius eſt momenti. Ant. Gabriel. *de jud. lib. 2. concl. 4.* Imò verò ne ſupplicare qvidem licet causâ pendente, *l. 2. C. ut lit. pend.* atqve ex hinc omnia privilegia ita accipienda ſunt, ut nullum inde tertio naſcatur præjudicium, Sig. Scaccia *de judic. l. 2. c. 7. n. 582.* Marchiſell. *q. 59. n. 2.* Nec

Digitized by Google

obſtat adductum *c. 10. X. de decim.* qvia id agit de novalibus, qvæ religioſi propriis manibus vel ſumptibus excolunt.

Perſona Eccleſiæ] Perſonatum ſæpè inter dignitates referunt Canoniſtæ, utplurimum verò ab illis planè ſeparant. Anton. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de benefic. tit. de diviſ. benef.* §. *19. n. 11.* Communiter autem definitur perſonatus, qvod ſit functio Eccleſiaſtica dignitate inferior, aut prærogativa qvædam in Eccleſiâ ſine jurisdictione. Dicitur in hoc capitulo Rector Eccleſiæ parochialis ſive curio talis perſona.

Priorem] ita dicitur qvi monaſterio præeſt. Et qvia hic ſubeſſe dicitur Abbati & Conventui majoris monaſterii Turonenſis, prior ille clauſtralis fuiſſe intelligendus eſt, non conventualis, uti hos accuratè à ſe invicem diſtingvunt Canoniſtæ. *Vid.* Beng. & Binsſon. *d. l.* §. *9.*

novalium] Sic dicuntur agri nunc primùm proſciſſi, & nuper ad culturam redacti, de qvibus, qvod aliqvando culti fuerint, memoria non extat. *c. 21. X. de V. S.*

parochiæ ſuæ] ita dicitur diſtrictus alicui Eccleſiæ intra certos terminos deputatus. *Vid.* Nic. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. lib. 2. cap. 9.*

Ex his notandum I. decimas prædiales Curioni illius parochiæ deberi, in qvâ prædia ſita ſunt.

II. Privilegium conceſſum non factâ mentione litis pendentiæ nihil omninò valere. *Vid.* Anton. Capyc. *deciſ. 86. n. 20.* Idem intelligendum de qvovis reſcripto. Per conſeqvens in ſupplicatione pro reſcripto impetrando mentio fieri debet litis pendentiæ, & qvidem ſecundum omnes circumſtantias, ita ut ſi impetrans non plenè omnia expoſuerit, dicatur ſubreptionem commiſiſſe Joh. Bapt. Leonellius *de ſubrept. reſcript. q. 6. art. 3. ſeqq.*

III. Non teneri judicem ad qvodvis reſcriptum principis deſiſtere à proceſſu, ſed qvaliter iſtud ſe habeat, probè examinandum eſſe, ne per ſub & obreptionem judicia eludantur.

DE-

Digitized by Google

DECRETAL. TIT. 19.

LIB. 2.

DE PROBATIONIBUS.

Ad cap. 1.

CAſus talis eſt: Recaredus Wiſigothorum Rex (adhunc enim ſcripta fuit hæc epiſtola decretalis, uti patet ex Regeſtro Gregorii *lib 7. epiſt. 128.* & ſic emendanda eſt inſcriptio, qvæ habetur in vulgatis exemplaribus) poſtqvam ſubditos ſuos ab Arianiſmo ad veram fidem converterat, ſignificaverat id Gregorio Magno Pontifici Romano, ſimulqve petierat, ut qvia ſibi controverſia eſſet cum Mauritio Imperatore Conſtantinopolitano circa jura qvædam, eaqve commodiſſimè decidi poſſet ex inſtrumento conventionis prædeceſſorum ſuorum cum Juſtiniano Imperatore, ut, inqvam Gregorius autoritate ſua interpoſita ab ipſo Mauritio editionem ejus inſtrumenti procuraret, ſe enim eo deſtitui. Qværebatur igitur, utrum jure peti poſſet ab Mauritio Imp. inſtrumenti iſtius editio. Idqve negat Pontifex.

Ratio dubitandi ex parte Recaredi eſt, qvia ex iſto inſtrumento manifeſta fieri poterit bonitas & juſtitia cauſæ ſuæ, & qvod jura iſta controverſa bono titulo hactenus ſibi vindicaverit, præſertim cùm evitari ita poſſit bellum à Mauritio ſibi intentatum.

Ratio decidendi eſt, qvia adverſarius non tenetur edere documenta, qvæ contra eum faciunt; & qvia unusqvisqve probationes adferre debet, non petere, ut adverſarius eas adverſus ſeipſum exhibeat.

Utrum autem ratio hæc decidendi ſufficiens ſit in præſenti negocio, meritò dubitat Carolus Molinæus *in not. marg.* præſertim ſi in documento, qvod petitur, negocium commune contineatur, idqve cum prædeceſſoribus geſtum fuerit, qvale per modum transactionis hîc interceſſiſſe probabile eſt. Accedit, qvod propter bellum evertendum & ſalutem publicam conſervandam, ſubtilitates juris vel negligi prorſus, vel non admodum urgeri debeant.

Tua Excellentia] Jamdudum eſt, cùm ita in abſtracto cœperunt compellari honoratiores. Sed qvam ſæpè non conveniat ſubjectum hoc prædicato ſuo, eleganter oſtendit Claudius Ptolomæus *in literis Italicis lib. 3. epiſt. 1.* Excellentiæ autem titulum, qvem hodiè multo cum ſupercilio vix admittunt Rectores Scholæ, Regibus olim tributum, præſens hic locus oſtendit.

chartophylacio] qvod archivum aliàs dicitur *auth. ad hæc C. de fid. inſtrum.* item tabularium *l. 92. §. 1. ff. de leg. 3.*

Principem] h. e. Imperatorem. Sub hoc enim nomine Cæſares ab initio invidioſam potentiam occultantes omnia in imperium acceperunt. Jac. Lampad. *de Rep. Germ. part. 3. cap. 2. n. 2.*

qvia nulli dicendum eſt] Verba obſcura, ſenſus planus, à nemine ſcil. debere poſtulari, ut is contra ſe documenta producat.

Ex hoc textu communiter ſolent Doctores decidere qvæſtionem in judiciis vulgarem, ſed adhuc valdè controverſam, utrum Reus inſtrumenta ſua edere teneatur actori, qvibus ille ad fundandam ſuam intentionem contra reum utatur. Et generaliter qvidem concludunt, non teneri propter *l. 4. 1. f. C. de edend. l. 7. C. de teſtib. l. 10. §. 4. ff. de qvæſtion.* & ſolidam rationem, qvod non oporteat originem petitionis ex inſtrumentis ejus qvi convenitur, fundari, qvodqve nimis grave ſit, urgeri ad exhibitionem eorum, per qvos ſibi negotium fiat. In applicatione tamen tot faciunt exceptiones, ut non immeritò ſcribat Alvarus Valaſcus *de jur. emphyt. q. 8. n. 6.* ſatius fore, regulam affirmatè concipere, & pauciores caſus excipere. At enim ſubſiſtendum hîc eſt in terminis legum civilium, qvæ negativam ubiqve continent. Et tunc plurimæ faciendæ ſunt exceptiones, qvas congeſſerunt Barthol. Socinus *reg. 149.* Fulv. Pacian. *de probat. l. 1. c. 61. 62.* Philipp. Maſſinius *ad l. 1. C. de edend. n. 54. ſeqq.* Hillig. *in Donell. l. 23. c. 7.* Exceptiones autem iſtæ veniunt vel ex perſona rei, ſi fuerit argentarius, adminiſtrator, Tutor, procurator &c. vel ex perſonâ actoris, ſi agat fiſcus, Eccleſia &c. vel ex natura cauſæ, ſi ſit matrimonialis, vel ex qvalitate inſtrumentorum, ſi ſint communia &c. *Add.* Carpzov. *in proceſs. tit. 14. art. 4. n. 27. ſeq.* Cæterùm, qvæ ſint documenta communia, videri poteſt apud Rutger. Ruland. *de Commiſſar. part. 2. lib. 5. c. 19. n. 6.* ubi dicit, communia eſſe vel qvoad proprietatem chartæ, qvalia ſunt inſtrumenta hereditaria, vel qvoad materiam & contractum in eis contentum, vel ex natura negocii, qvod

ſit

Digitized by Google

ſit pro cautione plurium, ut ſunt rationes tutorum, Curatorum, vel propter publicum officium, qvod qvis geſſit, ut ſunt argentarii &c. In genere circa editionem multum tribuitur arbitrio judicis.

Ad cap. ſicut 2.

Agitur hîc de conſvetudine, qvæ non contra jus tantùm ſed etiam contra omnem rationem introducta eſt, utrum valere & deinceps ſervari debeat? Et ait Pontifex aboleri & reprobari eam debere. Nempe, receptum alicubi erat in judiciis, ut qvantumvis pleniſſimè per documenta aut per teſtes intentionem ſuam probaſſet actor, non vinceret tamen, nec probationes qvicqvam facerent, niſi inſuper juramento eam confirmaſſet. Qværebatur igitur, qvid de conſvetudine illa ſentiendum eſſet?

Rationem dubitandi ſuggerit ipſe Pontifex *in decretali antiqvâ apud Anton. Auguſtinum, in collect. 2. h. t.* qvod conſvetudo laudabilis nullâ debeat novitate divelli. Effectus enim ejus præcipuus hic eſt, qvod inſtar legis ſcriptæ efficaciter obliget, & legem ipſam abrogare atqve tollere poſſit. *c. fin. X. de conſvet. l. 32. ff. de legib.*

Ratio decidendi in eâdem antiqvâ decretali habetur, qvia allegata conſvetudo nullâ ratione eſt ſubnixa. Debet enim conſvetudo eſſe rationabilis, ita ut ratio conſvetudinem ſvadeat *l. 1. C. qvæ ſit long. conſv.* Qvæ ratio ſi deficiat, vitio imbutam eſſe conſvetudinem neceſſe eſt, nec proinde obtinere ea debet *l. 39. ff. de legib.* multo minus legem tollere poteſt. Et talis eſt in præſenti caſu conſvetudo illa, qvæ ultra firmiſſimas & pleniſſimas probationes ab actore juramentum exigit, qvippe qvod tunc demum injungitur, qvando probationes deficiunt. Aut ergò plenè non probaſſe dicendus erit, qvi plenè probavit, qvod implicat, aut conſvetudo illa juramentum inſuper exigens eſt irrationabilis & proinde damnanda.

Sacramentum] i. e. juramentum, qvod obligationem numinis & religionis interpoſitu confirmatam contineat.

Suffragium] ſive auxilium, qvod juramentum qvaſi ſuffragetur probationibus. Ita ſuffragio juſtæ pœnitentiæ abſolvi dicitur *in l. 19. ff. ad L. Corn. de falſ.*

Nota hîc I. Conſvetudinis reqviſitum primum & præcipuum eſſe, ut ſit rationabilis, aliàs nullius eſſe momenti aut valoris.

II. Ra-

Digitized by Google

II. Rationabilitatem illam potiſſimum conformem eſſe debere juri naturali & gentium. Etſi enim etiam lex civilis, qvæ per conſvetudinem ſæpè tollitur, ratione ſua non careat, ratio tamen illa ad hoc & nunc ſæpè reſtricta, & proinde mutabilis eſt, ita ut ratio illa per aliam novam rationem ſupervenientem tolli poſſit. *Vid.* Franzk. *ad tit. de legib. n. 92. ſeqq.*

III. Juramentum temerè præſtari non debere, nec locum eſſe ei niſi in ſubſidium, & deficientibus probationibus legitimis.

Ad c. ex literis 3.

In judicio finium regundorum diſceptabatur, utra pars probare deberet, & utrum etiam poſſeſſor hoc onus ſubire teneatur: Decanus ſcil. Cicoſtrenſis in Angliâ & Archidiaconus de finibus villarum ſuarum lites habebant. Uterqve tùm & poſſesſionem & dominium allegabat, prior tamen judicium hoc intentaverat, ut videtur, Decanus. Qværebatur igitur, uter probare deberet?

Ratio dubitandi eſt, qvia poſſeſſor non cogitur probare, ſed petitori neceſſitas probandi incumbit, atqve in ea probatione ceſſante aut deficiente petitore res apud poſſeſſorem manet, licet ipſe nihil probaverit. *l. 2. C. de probat. l. fin. C. de R. V. l. 4. C. de edend.* At cùm hîc uterqve dicat ſe poſſidere, uterqve etiam rem ſuam, qvæ intra fines ſuos eſt, perſeqvatur, qvo reſpectu actio hæc pro rei vindicatione eſt. *l. 1. ff. fin. regund.* difficile erit explicare, qvis probandi onus ſuſcipere debeat.

Ratio decidendi eſt, qvia judicium finium regundorum duplex eſt, h. e. tale, in qvo uterqve litigans & actoris & rei partibus fungi dicitur *l. 10. ff. fin. reg. l. 44. §. 4. ff. fam. hercisc.* qvatenus in eo uterqve partem ab altero petit, & viciſſim pars ab eo petitur. Dum igitur uterqve agit, & neceſſitas probandi incumbit illi, qvi agit, *l. 21. ff. de probat.* uterqve etiam onus probandi ſubire debet.

Non obſtat, poſſeſſorem à probationis onere immunem eſſe, tùm qvia hæc actio proprietatis controverſiæ cohæret *l. 3. C. fin. reg.* tùm qvia aliqvando etiam probare tenetur poſſeſſor, uti contingit in objectione præſcriptionis, qvâm nemo recte objicit, niſi, qvi poſſidet.

Qvia autem expeditâ utriusqve partis probatione expeditum ſæpè non eſt judici litem decidere, qvod fieri poſſit, ut teſtes ab utraqve parte producti & numero & dignitate pares exiſtant, atqve hinc nova ratio dubitandi mo-

moveri qveat, eam ut removeat Pontifex, pro poſſeſſore tùm pronunciandum reſpondet. Ratio eſt tùm qvia in pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet *l. 125. ff. de R. J. l. 91. §. 3. ff. de V. O.* tùm qvia promptiora ſunt jura ad abſolvendum, qvàm ad condemnandum. *l. 47. ff. de O. & A.*

Ab hâc tamen regulâ rurſus excipit Pontifex liberalem cauſam, qvippe in qvâ ſi exiſtat par teſtium numerus & conditio, pro libertate pronunciandum eſt, ut maximè is, qvi ſervum ſuum eſſe dicit, in poſſeſſione inveniatur. Ratio eſt, qvia libertas omnibus rebus favorabilior eſt. *l. 122. ff. de R. J. & ibi* Jacobus Gothofredus.

Lucius III.] Scribendum: Alexander III. Cicestrenſi Decano, uti hæc Decretalis legitur poſt Concilium Lateranenſe inter epiſtolas Alexandri *part. 38. c. 2.*

admittat] non ad examen. Eos enim jam examinatos præſupponit textus, ſed ad fidem ſibi faciendam, h. e. ad id, ut intentio dici poſſit probata, & ut ſecundum hanc probationem ferri poſſit ſententia.

Notetur hîc I. Judicium finium regundorum tantùm in prædiis ruſticis locum habere. *l. 2. l. 4. §. pen. ff. fin. reg.*

II. Terminorum confuſionem, ex qvâ actio hæc naſcitur, non intelligi ratione actoris, qvippe qvi jure potiùs dominii terminos tanqvam partem fundi ſui vindicat, ſed ratione Rei conventi, qvi reſtitutionem actori denegans controverſiam facit. Franzk. *h. t. n. 12.*

III. In judiciis diviſoriis utrumqve litigantem & actoris & rei vices ſuſtinere *l. 10. ff. h. t.* ſcil. ſi uterqve contra petat. Si enim qvi convenitur ſimpliciter actoris petita neget, actor ipſe dici neqvit. Hieron. de Monte *de finib. reg. c. 48. n. 5.*

IV. Etiam eo caſu, qvo uterqve vindicat terminos ſuos, eum nihilominus intelligi actorem, qvi primus ad judicium provocavit *l. 13. ff. de judic. l. 2. ff. comm. divid.* ſcil. qvoad ordinem judicii, ne indicatur cauſæ & proceſſus confuſio, non qvoad cauſæ merita & litis deciſionem, qvippe ſecundum qvæ uterqve & actor & reus cenſetur. Joh. Ronchegall. *de duob. reis rubric. n. 30.*

V. In probationibus utrinqve factis vincere eum, qvi plures ſuæ intentionis produxerit teſtes.

VI. Numero teſtium exiſtente pari, pro poſſeſſore ſententiam ferendam

Digitized by Google

dam eſſe. Potiora enim & potentiora videntur eſſe teſtimonia, qvæ ſuffragium habent poſſesſionis.

VII. Proniora eſſe jura ad abſolvendum, qvàm ad condemnandum, ſcil. in obſcuris & dubiis. Aug. Barboſa *lib. 1. cap. 4. axiom. 3.*

VIII. Favore libertatis multa contra jus commune eſse recepta. *§. f. Inſt. de donat. l. 24 §. 10. ff. de fideicomm. lib. l. 3. in fin. de his qvæ in teſt. del.*

IX. Etiam poſſeſsori onus probandi incumbere, qvando exceptionem aliqvam opponit, qvia reus in exceptione actor eſt. *l. 1. ff. de except. l. 19. ff. de probat.*

Ad c. tertio loco 5.

Caſus talis eſt: Productum erat in judicio inſtrumentum ſigillo capituli munitum, per qvod fundus Eccleſiæ alienatus probabatur. Negabat procurator capituli, inſtrumentum iſtud bona fide confectum, ſed furtivum id eſſe ſigillum, dicebat aut adulter n m. Idqve ut probaret, faciebat jurare fratres illius capituli, qvod qvoties de alienatione actum fuiſſet, toties eam uno conſenſu recuſaſſent, nec admittere voluiſſent. Cumqve adverſus hæc dicta teſtium diverſum qvid probare non ſuſtineret adverſarius, qværebatur, utrum inſtrumento, an verò teſtibus credendum eſſet?

Ratio dubitandi ex parte inſtrumenti eſt, qvia pro veritate inſtrumenti ſemper præſumitur, non tantum qvoad ſolennitatem, ſed etiam qvoad conſenſum partium, idqve propterea probatio probata dicitur, & probatio evidentiſſima *Vid.* Jac. Bornit. *de inſtrument. lib. 1. cap. 15.* Nec objici poteſt, qvod in præſenti caſu nulla inveniatur ſubſcriptio, ſed nudum ſigillum, & propterea videatur inſtrumentum ſuâ probandi vi deſtitutum. Sigillum enim habet vim ſubſcriptionis, adeò ut hæc neceſſaria non ſit, niſi pro formâ reqviratur. Sig. Scaccia *de judic. lib. 2. c. 11. n. 1159.* Nec obſtat porrò, qvod ſigillum ab alio dolosè potuerit ſubjici, qvia id non præſumitur, ſed præſumitur potius voluntate Domini adpoſitum. Jac. Menoch. *l. 2. præſumpt. 58.* Didac. Covarruv. *pract. qvæſt. cap. 22. n. 9.*

Rationem decidendi ſuggerit Paulus *lib. 5. ſentent. tit. 15.* qvando ait: Teſtes cùm de fide tabularum nihil dicitur, adverſus ſcripturam interrogari non poſſunt. Ergò à contrario ſenſu, qvando inſtrumenti fides in dubium vocatur, adverſus hujusmodi inſtrumentum teſtes admittuntur, & fidem faciunt, ſi de falſitate ejus teſtentur, eisqve plus tàm, qvàm inſtrumen-

mento credendum eſt. *Vid.* Anton. Fab. *Cod. lib. 4. tit. 15. def. 15.* Mynſing. *cent. 4. obſ. 59.*

Ratio dubitandi ex parte teſtium eſt, qvia illi omnes ex capitulo ſunt, & ſic teſtes in propriâ causâ. Tales verò planè ſunt inidonei & rejiciendi. *l. 10. C. de teſtib. l. 10. ff. eod.* Accedit, qvod eorum dicta probationem negativæ intendant, cujus per rerum naturam nulla eſt probatio *c. 5. X. de renunciat. l. 23. C. de probat.* Et qvanqvam teſtimonium præbeant, fratres noluiſſe in conventu alienationi conſentire, potuit tamen fieri, ut conſenſus impetratus fuerit tùm, cum teſtis illi abſentes eſſent. Nec omittendum eſt, qvod Clerici prohibeantur jurare *c. 1. X. de juram. cal.* ut adeò fratrum hæc dicta juramento vallata parum faciant ad probationem contra inſtrumentum.

Ratio decidendi eſt, qvia in illis, qvæ fiunt ſecretò in conventu Collegii aut capituli, rectè admittuntur teſtes, qvi ſunt ex illo Collegio, cùm veritas aliter haberi neqveat, maximè ſi negocium principaliter ſpectet ad totum Collegium. *Vid.* Nicol. Loſæus *de jur. univerſ. part. 2. c. 1. n. 79.* Negativa autem optimè probatur ab illis, ſine qvorum conſenſu aut præſentiâ negocium peragi non potuit. Qvâ ratione bona Eccleſiaſtica alienari neqveunt, niſi cum conſenſu capituli, *c. 2. de reb. Eccleſ. non al. in 6.* Cæterùm etiam Clericis jurare licere, ſi id fiat autoritate & permisſu ſuperioris ex allegato *c. 1. X. de juram. cal.* patet. Cumqve adverſus hæc teſtium dicta nihil amplius moviſſet aut probaſſet pars adverſa, rectè concludit Pontifex, ſecundum aſſertionem teſtium judicandum eſſe.

Tertio loco] De pluribus enim capitibus qvæſitum fuerat: *uti patet ex c. pen. X. de transact. c. 2. X. de cauſ. poſſ. & propr. c. 3. de confirm. util. vel inut.*

regularis] qvi ſub regulâ eſt, laxiori tamen, qvàm eſt monachus, monacho tamen in hoc ſimilis, qvod nihil proprium ei poſſidere liceat, & in hoc differt à canonico ſeculari, qvi patrimonium habere poteſt. *Vid.* Fr. Florens *in diſſertat. p. 247.* Sed canonicum ſecularem eſſe Canonicum ſine canone poſt alios oſtendit Andr. Rivet. *tom. 3. p. 966.*

procurator univerſitatis] is aliàs unico verbo Syndicus dicitur. *Vid.* Franzk. *ad tit. qvod cujusq. univ. nom. n. 4.*

conventus] ſive Collegii, aut capituli, qvod in conventu expediantur ea, qvæ Collegium ejusqve bona ſpectant.

Digitized by Google

fratres] Chriſtiani veteres ita ſe invicem appellabant. Minut. Felix *in Octav. p. 20.* Patritius Junius *in not. in Clement. Epiſt. 1. ad Corinth. lit. N. 3.* Hodiè id nomen monachi ſibi præ cæteris vindicant.

Notetur hîc I. Inſtrumentum vel ſigillo tantum, vel ſubſcriptione tantùm, vel & ſubſcriptione ſimul & ſigillo munitum conſenſum probare & obligationem inducere. Aymo Cravett: *de antiq. temp; c. 6. n. 44.* Joſeph. Maſcard. *de probat. concluſ. 1302.*

II. Inſtrumentum tale maximam habere præſumptionem, legitimè omnia geſta eſſe, qvæ in eo continentur. Jacob. Menoch. *l. 2. præſumpt. 44.* admitti tamen probationem in contrarium.

III. Reprobari & falſitatis argui poſſe inſtrumentum non tantùm per inſtrumentum aliud, ſed etiam per teſtes. Hi verò, qvot numero eſſe, debeant, multa & intricata eſt controverſia. *Vid.* Proſp. Farinac. *de falſitate & ſimulatione qvæſt. 158. n. 30. ſeqq.* Nic. Boër. *deciſ. 118.* Sed enim vix videtur certa regula dari poſſe, qvod circumſtantiæ admodum variare ſoleant, & hinc judicis arbitrio id potiùs relinqvendum erit. *Conf.* Zoeſ. *tit. de fid. inſtrum. num. 14.*

IV. Negativæ nullam omninò eſſe probationem, ſcil. ſi ſimplex & infinita ſit. At datur ſæpè negativa, qvæ verborum tantùm conceptione talis eſt, vi verò & poteſtate affirmativam continet, qvalia exempla permulta refert Fr. Duaren. *tit. de probat. cap. 12.* Talis eſt potiſſimum illa, qvæ loco, tempore & aliis circumſtantiis coarctata eſt. Atqve hæc cùm in ſenſum cadat, probari ſine dubio poteſt. Probatio autem ita inſtitui debet, ut teſtes removeant actum à ſenſu, h. e. dicere debent, illâ die & horâ, qvod aſſeritur non fuiſſe factum, eò qvod ibi fuerunt præſentes, & non potuiſſet fieri, qvia vidiſſent & audiviſſent. Non ſufficit autem ſenſum removere ab actu. Nec enim ſufficeret, ſi dicerent, qvod non viderint, nec audiverint illud fieri, qvia ipſis non animadvertentibus fieri potuiſſet. Joſ. Maſcard. *de prob. concluſ. 1091. n. 9.* Fulv. Pacian. *de probat. l. 1. c. 35. 36. 37.* Franciſc. Herculan. *de probat. negativ. per tot.*

V. In cauſis univerſitatis, civitatis, vel collegii teſtes eſſe poſſe ſingulos, qvi ſunt de illâ civitate vel collegio. Scil. ſi non ad ſingulos, ſed ad totum Collegium principaliter ſpectet emolumentum iſtius negocii. Nic. Rodriguez Fermoſin. *ad h. cap. q. 1. 2. 3.* Fernand. Vaſqvius *controv. illuſtr. part.*

Digitized by Google

part. 2, controv. 33. n. 12. ſeq. Camillus Borell. *part. 2. deciſ. tit. 10.* Garſ. Maſtrill. *deciſ. 255.* Carpzov. *l. 3. reſponſ. 93.*

VI. Alienationem bonorum Eccleſiaſticorum fieri non poſſe, niſi cum conſenſu capituli, aut majoris tantùm partis. *Vid.* Ant. Bengeus & Franc. Pinsſon. *de benef. tit. de reb. Eccleſ. al. §. 6. & 7.*

Ad cap. juravit, 6.

Contracta erant Sponſalia inter Titium & Cajam. Eam cum Titius domum ducere vellet, impedimentum conſangvinitatis allegatum & juramento præſtito probatum erat â qvibusdam. Poſt publicata iſta atteſtata venit alius, qvi nullo conſangvinitatis vinculo eos junctos aſſerebat, idq; probare ſuo ſuffragio volebat. Qværebatur utrum admitti is deberet? Et non audiendum eſſe, reſpondet Pontifex.

Ratio dubitandi eſt, qvia ſponſalia, præſertim ſi juramento firmata fuerint, uti in præſenti caſu ſupponitur, non ſunt diſſolvenda, niſi ex juſtâ cauſa. At ſi ceſſet cauſa impeditiva, & removeri poteſt per teſtimonia contraria, non videntur teſtimonia illa reſpui debere.

Ratio decidendi eſt, tùm, qvod in contrarium unicus tantùm teſtis produci videatur, uti patet ex antiqva Decretali, tùm præcipuè, qvia iſta probatio inſtituenda venit, poſtqvam priora atteſtata jam publicata ſunt; qvo caſu nullæ novæ probationes admittuntur, tùm deniqve qvia facilius dirimuntur ſponſalia, qvàm matrimonium. Et ex hoc reſponderi poteſt *ad c. 26. X. de teſtib.* qvòd aliàs graviter obſtare videtur, qvia illic agitur de matrimonio jam contracto, in qvo ideò admittuntur teſtes etiam publicatis atteſtationibus, ut evitetur peccatum, qvod in illo eſſet, ſi validum diſsolveretur, vel ſi nullum confirmaretur. Joh. Bapt. Vivianus *in rational. ad h. t.*

traducere] Apud Romanos novæ nuptæ in domum mariti & qvidem velatæ traducebantur. Inde ducere Uxorem domum, & ſimpliciter, ducere Uxorem dicitur, qvi nuptias celebrat. Barn. Briſſon. *lib. 1. ſel. ant. c. 8. & de rit. nupt. p. m. 508.*

in qvinto] Antiqvitus prohibitio nuptiarum usqve ad ſeptimum cognationis gradum ſecundum computationem canonicam extendebatur. Id mutatum deinde & reſtrictum fuit ad gradum qvartum incluſivè, qvæ

Digitized by Google

mutatio facta fuit tempore Innocentii III. *Vid. qvæ dixi ad Lancellott. l. 2. tit. 13. §. 10.*

Ex his notandum I. Non malè Principem ultra gradus jure divino prohibitos, prohibere adhuc alios ulteriores, ut veluti vallum ac ſepimentum aliqvod legi divinæ addatur & divinæ prohibitiones majore cum reverentiâ obſerventur. *Vid.* Carpzov. *Jp. Conſiſt. lib. 2. def. 77.*

II. Poſt publicationem atteſtationum non admitti teſtes alios vel ſuper iisdem vel directè contrariis articulis. *c. 25. X. de teſtib. Clem. 2. eod.* Nic. Calvelus *in prax. §. publicatio proceſſus 19. concl. 2.* Frid. Hiltrop. *in proceſs. part. 3. tit. 9. c. 6. n. 60. ſeq.* propter periculum ſcil. ſubornationis.

III. Facilius dirimi matrimonium contrahendum qvam contractum.

Ad c. poſt ceſsionem 7.

Summa hæc eſt, excommunicatum non poſſe eſſe procuratorem idoneum in judicio. Fingamus, Titium ſuſcepiſſe litem alienam & procuratorio nomine comparuiſſe, partem autem adverſam ex literis Epiſcopi ordinarii oſtendiſſe Titium inter excommunicatos eſſe, qværebatur an repelli deberet ille â limine judicii.

Ratio dubitandi eſt, tùm qvia rei partes ſuſtinet Titius, cujus defenſio ſemper favorabilis eſt, cùm excommunicatus etſi agere non poſſit, conveniri tamen qveat *c. 7. X. de judic.* tùm præcipuè, qvia ad probandam excommunicationis innodationem unicæ proferuntur literæ Epiſcopi, qvæ ſufficere non videntur, cùm nec tabellionis ſcripturæ credendum ſit, niſi habeat teſtium ſubſcriptionem. *Novell. 73. cap. 1.* Fr. de Caldas *de empt. cap. 6. num. 2. 3.*

Ratio decidendi eſt, qvia excommunicatio major non ſolum ſeparat à perceptione ſacramentorum, ſed etiam à communione fidelium. Dum igitur unusqvisqve excommunicatos vitare debet *c. 8. X. de ſent. excomm.* etiam in judiciis id obſervare oportet *c. 8. eod. in 6.* ne communicando cum iisdem ipſi qvoqve judices excommunicationis notam incurrant. *cap. 30. X. eod.*

Non obſtat ratio dubitandi prima, tùm qvia excommunicatus conventus per alium reſpondere debet, *d. c. 7. X. de judic.* tùm qvia facilius admittitur, ut ipſe ſuo nomine, qvàm ut alieno nomine litem ſuſcipiat. Nec obſtat

ſtat ratio dubitandi ſecunda, qvia literis Epiſcopi tamdiu ſtandum eſt, donec probetur contrarium.

Innocentius III.] In antiqvâ Decretali hæc legitur inſcriptio: *Idem Epiſcopo Pariſienſi & Magiſtro R. de Curcon. Canonico Noviomen. Pariſiis commoranti.*

judicis ordinarii] qvi aliàs ordinarius abſolute dicitur & in jure Canonico eſt omnis ille, qvi ſuo jure ſive jure ſuæ dignitatis jurisdictionem habet, non autem ex ſolo mandato ſive delegatione alterius. Communiter ita dicitur Epiſcopus.

excommunicatus erat] ſcil. excommunicatione majore, qvæ communione fidelium privat.

Notandum hîc I. excommunicatum non habere perſonam legitimam ſtandi in judicio, ne qvidem nomine alieno. Et ſimpliciter qvidem ei agendi poteſtatem etiam per alium denegant jura Canonica, ſin autem conveniatur, id admittunt qvidem, ſed ita, ut non per ſe, ſed per alium de jure ſuo experiri cogatur. *c. 7. X. de judic.* Qvid ſentiendum eâ de re ſit, videri poſſunt, *qvæ dixi ad Lancellott. l. 3. tit. 2. n. 13.*

II. Excommunicatus, ſi admittatur in judicio ut procurator, acta non videri nulla. Graviter hic diſſentiunt Canoniſtæ, uti videre licet apud A. Barboſam *ad h. t.* Steph. de Avila *de cenſur. p. 2. c. 2. diſp. 7.* Anton. in Dianam *p. 5. tr. 9. reſol. 114.* Joſeph. Gibalin. *de cenſur. diſq. 7. q. 8. n. 8.*

Ad c. in præſentiâ 8.

Caſus hic eſt: Amatus qvidam condiderat teſtamentum, & heredem inſtituerat Milonem filium, addito fidei commiſſo, ut ſi Milo ſine liberis decederet, hereditas reſtitueretur Amati fratribus. Milo adhuc minorennis, cùm graviter decumberet, univerſa ſua bona monaſterio Caſſemarii, qvod ingreſſus erat mortis causâ donaverat; ſed cum priſtinam ſanitatem recuperaſſet, pœnitentiâ ductus, revocaverat donationem, & cùm licentia Abbatis monaſterium reliqverat. Deinde revertens ſemet ipſum & univerſa ſua bona denuò per donationem inter vivos juramento firmatam monaſterio obtulit. Eo defuncto diſqvirebatur inter fidei commiſſarios & Syndicum monaſterii de ſucceſſione, illis impletam conditionem, hoc vero defectam arguentibus. Relatione factâ ad Pontificem cauſa hunc habuit exitum, ut pro monaſterio pronunciaretur.

Amati fratres ſive fideicommiſſarii allegabant ex ſua parte, Milonem deceſſiſſe ſine liberis, & hinc integram ex teſtamento ad ſe ſpectare hereditatem, reſtitui ergò ſibi debere bona, qvæ monaſterium ex hereditate defuncti detineret. Donationem autem objectam nullius eſſe momenti, tùm qvod Milo oblationis tempore in minori ætate conſtitutus fecerit, tùm, qvod gravi decubuerit morbo & fervore infirmitatis votum fuerit, id autem & totam oblationem ſanitati reſtitutus revocaverit, tùm deniqve, qvia rerum fideicommiſſo ſubjectarum alienatio non eſt permiſſa *l. 3. §. 2. C. commun. de legat.*

E contrario Syndicus monaſterii referebat, bis ingreſſum fuiſſe Milonem in monaſterium, bis etiam ſe & bona ſua eidem obtuliſſe, & ſecundâ qvidem vice juramento promiſiſſe, nunqvam ſe donationem factam revocaturum. Nec obſtare proinde poſſe minorem Milonis ætatem, qvandoqvidem donatio à minore facta revocari non poteſt, ſi jurejurando firmata ſit, *auth. ſacramenta puberum C. ſi adverſ. vendit.* Ut maxime ergò revocata fuiſſet oblatio prior, revocatam tamen non fuiſſe, nec potuiſſe revocari poſteriorem.

Pontifex cauſa cognita, & argumentis utriusqve partis probè diſcuſſis, cùm vidiſſet, probationes fideicommiſſariorum planè incertas & dubias eſſe, neqve conſtaret exactè, oblationis poſterioris tempore Milonem adhuc minorem fuiſſe, & minorem ipſam ætatem, æqvivocè dici, cùm is etiam minor ſit, qvi intra pubertatis annos adhuc conſiſteret, & circa Milonis ætatem probationes deficerent, nec ſine herede decedere dici poſſet, qvi monaſterium ſibi heredem inſtituit, Monaſterio hereditatem Milonis addici debere pronunciavit.

In his rationibus decidendi ultima illa de monaſterio herede non videtur conſideratè adpoſita. Non enim qværitur, an ſine herede decedat, qvi monaſterium ſibi heredem inſtituit, ſed an decedat ſine liberis. Rectiùs dixiſſet Pontifex, conditionem, ſi ſine liberis, irritam & pro non ſcriptâ haberi, eo caſu, qvo gravatus monaſterium ingreditur, *ſecundum l. 53. §. 2. de Epiſc. & Cler. Novell. 123. cap. 37.* Ex qvo corruit etiam ultima ratio dubitandi, ex prohibitâ alienatione rerum fideicommiſſo ſubjectarum petita, qvia ſcil. perinde excluditur fideicommiſſarius gravato monaſterium ingreſſo, atq; ſi is liberos ſuſcepiſſet.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm favore religionis â Juſtiniano ita conſtitutum eſſe dubium, non eſt. Cùm vero religio iſta in meram ſuperſtitionem reſolvatur, vix erit, ut excuſari poſſit, qvod ita conſtitutum eſt. Imò verò cùm clara ſit & aperta mens teſtatoris, fideicommiſſarios ſuccedere debere in caſum deficientium liberorum cumqve fictio ceſſet, ubi veritas habere locum non poteſt, per æqvipollens utiqve conditio talis adimpleri non debet. Accedit, qvod aliàs in poteſtate eſſet gravati, ut pro lubitu excludere poſſet fideicommiſſarios. Qvas & aliàs rationes optimè perpendit, ſed malè refutat Nicol. Rodrigvez Fermoſin *ad h. t. q. 1.*

Et præcepit] i.e. rogavit. Verba enim imperativa ſæpè vim habent precariorum, qvod ex voluntate teſtatoris & objecto æſtimandum eſt. *Vid. § ult. Inſt. de ſing. reb. per fideic. rel. & ibi Dd.* Balduin. *in Juſtinian. lib. 3. p. 212.* Per verba autem talia fideicommiſſum deſcribi ſolet.

Obſervetur hîc I. Non ſubſiſtere teſtamentum, niſi filius, qvem habet teſtator, vel inſtitutus, vel juſtâ ex causâ exheredatus fuerit, *pr. Inſt. de exhered. libb.*

II. Fideicommiſſa utiliter relinqvi in caſu, qvo ſubſtitui non poteſt.

III. Minorem donare non poſſe, niſi mobilia, ſed juvari tamen tùm beneficio reſtitutionis in integrum. *l. 2. C. ſi adverſ. donat.*

IV. Donationem mortis causâ revocari non tantum per reconvaleſcentiam, ſi ab ægrotante facta donatio fuerit, ſed etiam qvandocunqve id libet donatori.

V. Actum minoris per juramentum ita firmari, ut ad beneficium reſtitutionis in integrum confugere deinceps ille neqveat. *auth. ſacramenta puberum C. ſi adv. vendit.* Franzk. *ad Digeſt. pag. 343. ſeq. & l. 2. reſol. 6. num. 10. ſeq.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. p. 426, 429.* Anton. Merenda *l. 1. controv. cap. 7. num 5, 6.*

VI. Conditionem ſi ſine liberis haberi pro non ſcriptâ, ſi gravatus monaſterium ingreſſus fuerit. *Novell. 123. c. 37.* Atqve hanc doctrinam magis convenire conſtitutioni Juſtinianeæ, qvàm ſi cum Doctoribus dicatur, monaſterium eſſe loco filii, non inſubidè contendit Antonius Faber *Cod. l. 1. tit. 2. def. 42.* *Add.* Franc. Mantica *Lucubrat. Vatican. lib. 13. tit. 46.*

VII. Probationes dubias & obſcuras non attendi, imò contra probantem explicari debere. Sig. Scaccia *de ſent. & rejud. gloſſ. 14. q. 21. n. 6.*

Digitized by Google

Ad cap. licet 9.

Species hæc eſt: Lis erat inter Albertum Archiepiſcopum Ravennatem & Rempublicam Faventinam de villâ & caſtro qvodam, & ſuper juribus in talibus locis competentibus. Agebatur interdicto uti poſſidetis, & utrinqve jam probationes abſolutæ atqve publicatæ erant. Præſcripſerat autem Pontifex menſes tres, intra qvos utraqve pars teſtes ſuos tàm ſuper principali negocio, qvàm ſuper exceptionibus, qvas haberet adverſus perſonas teſtium alterius partis, producere deberet. Exactis iſtis tribus menſibus, publicatisqve atteſtionibus, Syndicus Faventinorum intendebat adhuc adverſus teſtes Eccleſiæ Ravennatenſis exceptiones qvasdam objicere, easdemqve probare. Iſtæ verò cùm propter lapſum termini non admitterentur, aliâ ſibi cautelâ opus eſſe ſentiebat. Probaturum igitur ſe dicebat, teſtes adverſæ partis pecuniâ corruptos falſum dixiſſe. Iſtam probationem admittendam qvidem, ita tamen coërcendam putavit Pontifex, ut intra menſem unum tota abſolveretur, dato altero menſe Eccleſiæ Ravennatis Oeconomo, ſi qvid contra teſtes in hoc articulo productos objicere vellet. Qvo facto qværebatur de ſententiâ ferendâ, & qvid ſpectandum eſſet judici in utriusqve partis probationibus.

Igitur in duo hæc tota reſolvitur capituli hujus reſolutio, (1.) utrum poſt publicatas atteſtationes admitti adhuc debeat probatio, qvod teſtes adverſæ partis corrupti falſa dixiſſent [2] qvodnam in interdicto retinendæ judicis ſit officium. Poſterior hæc qvæſtio in facto magis occupata eſt, prior verò in jure enucleando.

Circa priorem hanc ſibi ipſi movet Pontifex rationem dubitandi, qvod crediderint aliqvi, Faventinorum partem exceptionem hujusmodi per excogitatam malitiam ad impediendum proceſſum negocii objeciſſe. Cui addi hæc poteſt altera, qvod probatio talis in ipſas perſonas teſtium directa ſit, qvodqve adeò ea intra terminum priùs poſitum perfici & abſolvi debuerit.

Sed Pontifex nolle ſe à juris tramite declinare profitetur, novumqve idcircò probationi iſti ſtatuit terminum. Jus enim ita ſe habet, ut qverela falſi temporalibus præſcriptionibus non excludatur, niſi viginti annorum exceptione *l. 12. C. ad L. Corn. de falſ.* atqve hinc exceptio falſitatis non ſolum

Digitized by Google

ante, verùm etiam poſt ſententiam objici poteſt. *c. 6. X. de except. c. 4. X. de procurat.*

Nec obſtat, qvod exceptio corruptionis perſonas teſtium concernat, adverſus qvas probatio poſt terminum ei rei præfixum audiri porrò non debeat. Qvandoqvidem non corruptionis tantùm, qvæ demum poſt didicita atteſtata innoteſcere potuit, ſed etiam falſi teſtimonii incuſabantur teſtes, qvæ falſitas non niſi ex publicatis jam atteſtatis diſci & doceri potuit.

Qvod poſteriorem qvæſtionem attinet, probaverant qvidem Faventini, aliqva ſe ſervitia à qvinqvaginta annis in locis controverſis percepiſſe, probaverant etiam corruptos fuiſſe aliqvos teſtes adverſæ partis; qvod dubium reddere poterat judicem in pronunciandâ ſententiâ,

E contrario verò conſiderari debuit, multos qvidem â Faventinis productos fuiſſe teſtes in cauſa principali, vix tamen ſex manſiſſe concordes & alicujus exiſtimationis, reliqvos omnes ſibi contradixiſſe, aut ſingulares extitiſſe. In probatione etiam acceſsoriâ de falſo, teſtes vel contrarios ſibi vel ſubleſtæ fidei fuiſſe, qvin nec probaſſe, qvod intendebatur; de corruptione enim, non verò de falſo depoſuiſſe. Qvandoqvidem igitur plures teſtes ex adverſo iiqve conformes Eccleſiæ Ravennatis cauſam juvabant, qvippe qvi non antiqviorem tantùm & à ſexaginta annis habitam poſſeſſionem, ſed & titulatam eam probaverant, putavit Pontifex, juſtiorem eſſe poſſeſſionem Eccleſiæ, & proinde in interdicto uti poſſidetis vincere eam debere.

Commune Faventiæ] Ita eleganter dicitur Reſpublica imitatione Græcorum, qvi τὸ κοινὸν dicunt pro Rep. *l. 57. ff. de judic.*

Oeconomo Eccleſiæ] Oeconomi appellabantur, qvibus res Eccleſiæ committebantur, qviqve Eccleſiaſticas tractabant rationes *l. 14. C. de ſacr. Eccleſ. l. 3. C. de his qui ad Eccleſ. confug.* Dicitur infra *in hoc cap.* procurator Eccleſiæ.

ſingulares] Teſtes ſingulares dicuntur, qvi non conveniunt in loco & tempore vel aliis cauſæ circumſtantiis.

Notandum hinc I. Termino probationis elapſo novas probationes non admitti. Ratio eſt, qvia terminus ille in modum præſcriptionis ſtatutus eſt, ſive à Lege ſive à judice. Poteſt enim etiam judex præfigere tempus, intra qvod jus ſuum proponat, ita ut eo elapſo amplius non admittatur.

Digitized by Google

Dan. Moller. *part. 3. conſt. 20. num. 20.* Zanger. *de except. p. 2. c. 22. n. 21. & p. 3. c. 26. n. 114.*

II. Exceptionem falſi non ſolùm ante ſed etiam poſt litem conteſtatam objici poſſe. *c. 6. X. de except. l. 11. ff. de except.* Neqve hæc exceptio cenſetur rejecta à Statuto rejiciente omnes exceptiones. *Vid.* Dornſperger *ſyntagm. l. 2. part. 2. c. 15.*

III. In probationibus parem eſſe debere conditionem utriusqve litigantis, eodemqve utrumqve adſtringi debere temporis ſpacio.

IV. Teſtium fidem diligenter examinandam eſſe judici. *Vid. l. 3. ff. de teſtib.*

V. Teſtes variè teſtimonium dicentes nihil probare, & puniri debere *l. 16. ff. de teſtib.* ſive ſibi ipſis contrarii ſint, ſive invicem contrarii *Novell. 90. c. 3.* qvemadmodum etiam ſcripturæ diverſæ fidem ſibi invicem derogantes ab unâ eâdemqve parte prolatæ nihil firmitatis habere poterunt. *l. 14. C. de fid. inſtrum.*

VI. Mille teſtes ſingulares non majorem facere fidem qvàm unum, imò minus adhuc probare, qvia alter alterius fidem debilitat. Si tamen in generali negocio conveniant neqve iſtud ad circumſtantias loci & temporis adſtrictum ſit, conjungi illi inter ſe poſſunt, ut plenam faciant probationem. *Vid.* Rauchbar. *p. 2. q. 5.* Carpzov. *l. 3. reſponſ. 66.* Ant. Fab. *lib. 4. Cod. tit. 15. def. 46.*

VII. Teſtem malæ famæ aut levis opinionis nullam aut exiguam facere fidem.

VIII. Teſtem corruptum præſumi falſum dicere. Utrum autem, qvi dicit, teſtem corruptum falſa dixiſſe, utrumqve ſimul & corruptum eum & falſa dixiſſe, probare debeat, differentem *vid.* Fernandum Vaſqvium *l. 2. controv. c. 36.*

IX. Teſtes ſi diſcrepantes fuerint, judicem teſtimonia attendere debere magis veriſimilia, aut ſi hæc diſcerni neqveant, teſtium ipſorum qvalitates, aut ſi & hæ pares fuerint, majorem eorum numerum, aut tandem partes litigantium favorabiliores. Carpz. *in proceſs. tit. 13. art. 3. n. 63. ſeq.*

X. Poſſeſſionem antiqviorem & titulatam ſuſpectam reddere recentiorem & titulo carentem.

Ad

Digitized by Google

Ad c. per tuas 10.

Facti ſpecies hæc eſt: Mulier qvædam per ſeptennium in concubinatu vixerat cum Thoma cive Tiburtino, ac nullâ prole ſuſceptâ diverterat. Mox reducta filium peperit, eumqve ex Thoma ſe ſuſcepiſſe profeſſa fuit. Thomas difficulter perſvaſus filium tandem ſuum agnovit, indito Rainaldi nomine. Is deinde major factus Sophiam Saturnellæ, qvæ Thomæ ſoror erat, filiam deperire cœpit, eamqve ſibi clanculum deſponſatam carnaliter cognovit. Indignè id ferentibus parentibus Sophiæ & Rainaldo minitantibus, juravit mater Rainaldi & publicè in plateâ profeſſa eſt, ſe non ex Thoma ſed ex alio aliqvo Rainaldum illum ſuſcepiſſe. Qværebatur, utrum hoc mulieris juramentum ſuſtinere poſſet nuptias ſive matrimonium inter Rainaldum & Sophiam.

Ratio dubitandi eſt, qvia aſſertio juramento firmata majorem facit fidem, qvàm aſſertio ſimplex, & aſſertio ſimplex non ex animi ſententiâ facta cenſenda eſt, ſed eum tantùm in finem, ut pro naturali potiùs, qvam pro ſpurio haberetur natus.

Ratio decidendi eſt tùm qvia nimis indignum eſt, ut qvod ſuâ qvisqve voce dilucidè proteſtatus eſt, in eundem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare *l. 13. C. de non num. pec.* tùm, qvia ſi qvis juravit nemine juramentum deferente, juramentum iſtud ut temerarium attendi non debet *l. 3. §. 1. ff. de jurejur.* tùm deniqve, qvia in caſu probandæ filiationis ſtandum eſt verbo Viri & mulieris *c. 3. X. qvi filii ſint legitimi.* Per conſeqvens, non obſtante juramento mulieris, Rainaldus pro filio Thomæ haberi debet, nec adeò licitæ eſſe poſſunt nuptiæ cum conſobrinâ ſuâ.

Concubinam] Concubina propriè ſignificat fœminam ſolutam, minùs honeſtam, qvæ ad tempus habetur causâ concubitus citra affectionem conjugalem.

divertens ab eo] Divortium inter Virum & Uxorem fieri dicitur *l. 101. §. 1. ff. de V. S.* Qvia igitur concubina inſtar Uxoris eſt, & in eam ut in Uxorem adulterium committitur, *l. 13. pr. ff. ad L. Jul. de adult.* non malè & ipſa divertere & divortium facere dicetur. Jure tamen civili divortii cauſa in concubinatu non competit, *l. 17. ff. rer. amot.* hoc ergo concubina propriè dicetur divertere.

Digitized by Google

recognovit] ſive agnovit, qvo pertinet *totus tit. ff. de agnoſc. & al. lib.*

neptem] ſcil. ex ſorore ſive ſororis filiam, vulgari loqvendi uſu, non propriè & ex ſignificatu verbi primævo.

Notetur hîc I. Concubinam dici, qvæ cum Cœlibe Uxoris loco domi vivit *l. 144. ff. de V. S. t. 1. ff. & Cod. de concubin.* Maritus enim concubinam habere non poterat *l. un. C. eod.* Et parum differebat concubina olim à legitimâ Uxore. Ut enim plures Uxores habere non licebat, ita nec plures concubinas *Novell. 18. c. 5. Novell. 89. c. n. ſ. 4 & 5.* adeò ut Ulpianus dicat, inter legitimam Uxorem & concubinam ſolâ dignitate differre *l. 49. §. 4. ff. de leg. 3.* & ſtatuat inſuper, etiam in concubinam adulterium committi.

II. Concubinatum jure civili ante Leonem Imp. licitam fuiſſe conſvetudinem *l. 5. C. ad SCt. Orphit.* & extra Legis pœnam *l. 3. ſ. 1 ff. de concubin.* Nec jure Canonico prorſus illicitam videri, per ea, qvæ diſputat Bachovius *in Trentl. vol. 2. diſp. 16. th. 3. lit. A.*

III. Filiationem optimè probari, ſi probetur, marem & fœminam ut conjuges vixiſſe, filium â patre agnitum, & ab utrisqve ita nominatum, & pro tali etiam â vicinis habitum fuiſſe. *Vid.* Fulv. Pacian. *de probat. lib. 2. cap. 6.* Marcell. Cala *de mod. articulandi n. 284.* Joh. Aloyſ. Ricc. *deciſ. 1741.*

IV. Non aliter in concubinatu atqve in vero matrimonio filium præſumi eum, qvi ex concubina in domo concubinarii natus eſt. Proinde etſi probetur concubinam adulteram eſſe, & eo tempore qvo concepit, habuiſſe conſvetudinem cum adultero, imò etſi filius in phyſiognomiâ ſimilis ſit adultero, & concubina ipſa aſſerat, ſe eum ex adultero ſuſcepiſſe, adhuc tamen non adulteri, ſed concubinarii filius intelligetur. *Vid.* Barboſ. *ad h. t. num. 3.*

V. Probatâ ſemel filiatione per utriusqve parentis confeſſionem alterutrius eorum aſſertionem contrariam, licet juramento firmatam, nullius eſſe momenti.

VI. Juramentum nullo deferente præſtitum pro temerario haberi, & in judiciis parum attendi, *l. 3. pr. ff. de jurejur.*

VII. Etiam ex injuſtis nuptiis conſangvinitatem ortam impedire aut diſſolvere matrimonium, *l. 54. ff. de R. N.*

Ad

Digitized by Google

Ad c. qvoniam 11.

Contigerat, in facto, ut negaretur à parte litigante, qvod judex ſcripſerat ad acta, & hinc de injuſtitia atqve iniqvitate ejus judicis gravis qverela moveretur. Qvid hîc faceret Pontifex? Tanta enim eſt judicialis autoritas, ut ſemper pro ipſo præſumi debeat, donec contra ipſum aliqvid legitime comprobetur *c. 6. X, de renunc.* & pro his, qvæ à judice ſunt acta, præſumitur, qvod omnia ritè fuerint celebrata, *c. 23. verſ. porrò exceſſus X. de elect.* Accedunt præſumtiones aliæ. Illa ſiqvidem in dubio capienda & retinenda eſt præſumptio, ut actus valeat potius qvàm ut pereat. Lud. Schrad. *de feud part. 9. ſect. 10. num. 41.* Sed & illa potior eſt, qvæ excludit delictum. Andr Gail. *l. 2. obſ. 110 n. 5.*

Viciſſim verò conſiderari debuit, reperiri qvandoqve judices tam perditæ & profligatæ fidei, ut non vereantur actis inſerere pro lubitu, qvod actum nunqvam fuit, nec poſſe tamen partem ſimpliciter id negantem probare, cùm negativæ per rerum naturam nulla fieri poſſit probatio, ut adeò neceſſe ſit, falſitatem veritati præjudicare & iniqvitatem æqvitati prævalere.

Huic malo ut remedium qværeret Pontifex, jus novum condidit, & decretali hâc conſtituit, ut acta deinceps non ab ipſo judice, ſed ab aliâ publicâ, ſi haberi poteſt, perſonâ, aut à Viris duobus fide dignis conſcriberentur. & qvidem in præſentiâ judicis aut judice mandante, aut ſaltem non ignorante, utqve deinceps partibus petentibus copia detur eorum, qvæ conſcripta ſunt, originalibus ipſis in judicio retentis.

veram negationem] i. e. negationem talem, qvæ fundamentum in re habet, qvæ veritate non deſtituitur, qvæ in ſe vera eſt, etſi probari neqveat.

directa probatio] per conſeqventiam enim ex circumſtantiis probari poteſt. *uti dixi ſupra ad c 5. notab. 4.*

qvam extraordinario] qvando ſcil. judex datus eſt per reſcriptum Principis. *l. 2. C. de dilat.*

publicam perſonam] i. e. tabellionem, ſive uti hodiè appellare ſolemus, Notarium publicum. De qvibus nominibus *vid. quæ dixi exerc. 6. de jurib. majeſt.*

conſcribant] Si duo adhibentur, non neceſſe eſt, ut ambo ſimul ſcribant, ſed ſufficit, alterutrum ſcribere, alterum verò adſidere & ſubſcribere.

vide-

Digitized by Google

videlicet citationes] De ſingulis his ſeqventibus *vid.* Joh. Teutonici *ſcholia apud Anton. Auguſtin. in collect. 4.*

Obſerva hîc I. Non poſſe eſſe eundem ſimul judicem & actuarium. Ægid. Bellamera *concluſ. 265.* Sig. Scaccia *de ſent. & re jud. gloſſ. 10. n. 41.* Paris de Puteo *de Syndicatu verb. judex, verſ. an ſi judex num. 15.* Gvid. Pap. *qvaſt. 564.* Steph. Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 4. n. 10.* Berlich. *p. 1. concluſ. 8. num. 16. ſeqq. Et verendum hinc, ne acta pro nullis habeantur, ſi judex nullum talem actuarium adhibuerit Carpzov. in proceſſ. tit. 2. art. 4. n. 50.* Etſi enim regulariter alias pro judice præſumptio fuerit, qvod juſtè proceſſerit, ſi tamen non appareat, cum adhibuiſſe perſonas hîc reqviſitas ad ſcribendum acta judicii, pro ipſius proceſſu non eſt præſumendum, niſi qvatenus in cauſa legitimis conſtiterit documentis. Joh. Bapt. Vivianus *ad h. t.* Excipiunt tamen Dd. ſupra citati cauſas leviores, itemqve eas, qvæ ſunt voluntariæ jurisdictionis. *Add.* Hiltrop. *de proceſſ. part. 3. tit. 25. n.* 11. in qvibus judex ipſe acta coram ſe geſta ſcribere poſſit. *Conf. novell. deciſ. Saxon. 39.*

II. Judicem non poſſe teſtari de his, qvæ coram eo acta ſunt, tanqvam coram judice. Capell. Tholoſ. & ibi Steph. Autrerius *qvaſt. 142. num. 3.* Joſ. Maſcard. *de probat. concluſ. 951. n. 5.*

III. Tantam haberi fidem Notario, ut unus duabus aut etiam tribus aliis perſonis æqviparetur. Thom. Grammatic. *deciſ. Neap. 60. n.* 11. Maſcard. *de probat. concluſ. 1099. n. 3.* Camill. Borell. *lib. 2. tit. 18. n. 150. & 213.* M. Ant. de Amatis *deciſ. 7. n. 4.* qvod tamen haud fruſtra ſollicitat Jac. Menoch. *de A. J. Q. caſ. 150. n. 39.* cùm difficile ſit, imò iniqvum teſtium duorum omni exceptione majorum fidem unius hominis teſtimonio elevari. Ego aſſertionem Doctorum veram eſſe & locum habere puto in terminis, de qvibus hîc textus loqvitur, neqve ultra eos extendendam exiſtimo.

IV. Actuarium judicii ſummâ cum diligentiâ conſcribere & obſervare debere acta, deſignando tempora & perſonas, & cavendo, ne qvid vel fraudulenter iis ſubtrahatur, vel adverſa parte invitâ addatur, aut contra formam & modum proceſſus aliqvid fiat, qvod eundem nullum reddere qveat.

V. Actuarium talem ita neceſſarium eſſe in judicio, ut ob defectum illius, nullitatis vitium incurrat proceſſus, & irritus reddatur.

VI. Qvæ ad officium Actuarii ſpectant, ab nullo alio, & nec à judice qvi-

qvidem, ut maximè is Notarius publicus fuerit, expediri poſſe, niſi conſvetudine aliud receptum fuerit.

VII. Actuarium hunc in foro Saxonico, qvod cauſas civiles attinet, Notarium publicum eſſe, non amplius reqviri propter *Novell. deciſ. Saxon. 38.*

VIII. Non malè ſtatuere Auguſtinum Barboſam, in hoc textu jus novum conſtitutum, & ſic diſceſſum eſſe à jure veteri, qvod ſummam fidem deferebat aſſertioni judicis. Qvid in noſtro foro obtineat, diſci poteſt *ex novell. deciſ. Saxon. 3.*

IX. Judicem inferiorem in officio negligentem aut aliàs malè verſantem coerceri debere à judice ſuperiori, & ex hoc capite juſtam à partibus inſtitui qverelam.

X. Acta judicii publicam mereri fidem & perpetuam habere firmitatem. *l. f. C. de re jud.*

Ad c. ad noſtram 12.

Valdè iniqva videtur hæc decretalis, niſi juſtâ explicatione juvetur. Judex enim non minus accuſatorem ad docenda qvæ detulit, qvàm reum ad purganda qvæ negat debet urgere *l. f. in fin. C. de abolit.* Et defenſio rei in criminalibus cauſis tanti eſt favoris, ut nec ſtatuto tolli, nec à judice ullo modo impediri, nec à principe prohiberi poſſit. Jul. Clar. *pract. crim. q. 49. n. 14.* Dum igitur ſtatuit Pontifex, non debere reum ad probationem negativæ admitti, qvando affirmativa ex adverſo probari poteſt, videtur reo omnem defenſionem denegare. Sed & aliàs Pontifex ad purgationem canonicam admittit Clericum qvi de crimine ſuſpectus eſt. Et cur verò hîc non admittat, cùm nondum probatum, ſed probandum adhuc ſupponat crimen. Nec audiendus proinde eſt Nicol. Rodriguez Fermoſinus *ad h. t.* dum ait, improbari hîc conſvetudinem admittentem probationem canonicam poſt plenam & legitimam probationem. Imò loqvitur Pontifex de purgatione, qvæ ante plenam & legitimam probationem fieri ſolita eſt. Ut igitur de vero hujus decretalis ſenſu conſtet præmittendum eſt, non eſſe indicendam purgationem canonicam, ubi crimen probari poteſt *c. 4. 5. X. de purgat. canon.* Andr. Vallenſ. *ad tit. de purgat. can. n. 6.* Diverſum autem obtinebat inter clericos in Daniâ, ubi ad avertendas probationes omnes anteqvam illæ ſuſciperentur, purgatio canonica admittebatur. Qværebatur, qvid de eâ re ſentiendum eſſet.

Ratio dubitandi potiſſimùm ex naturâ conſvetudinis petenda videtur, cujus ea eſt conditio, ut parem cum lege vim habeat. *l. 32. ff. de legib.* & ſi contra eam introducta fuerit, legem prorſus tollat. *c. fin. X. de conſvetud.* præſertim cùm in præſenti caſu, qvæ de purgatione canonicâ conſtituta ſunt juris poſitivi eſſe videantur.

Ratio decidendi eſt, qvia conſvetudo qvæ allegatur, non eſt rationabilis, ſed contraria omni juri, & hinc peſtis potius dicenda, ideò ſcil. qvia delicta hâc ratione manent impunita, ut maximè probari poſſint pleniſſimè.

Daciæ] Daniæ. legendum eſſe jamdiu monuit Cujacius.

temerè] Ex hoc verbo concludit Auguſtinus Barboſa, non ipſam legem Daniæ hîc improbari, ſed pravam interpretationem legis à Clericis factam, & conſvetudine jam receptam, Legem autem fortè non injùſtam fuiſſe.

qvoqvo modo] i. e. nullâ habitâ ratione vel ipſius rei, vel compurgatorum, qvorum omnium tamen qvalitates, num fide digni & probatæ atqve honeſtæ vitæ ſint, attendi debent, nec temerè hoc juramentum deferri debet aut ſolet.

hujusmodi] Reſtringitur ergò Pontificis conſtitutio ad certam qvalitatem probationis, qvam expoſuimus.

Notetur hîc I. Defenſionem reo etiam confeſſo & convicto haudqvaqvam eſſe denegandam. *Vid. qvæ dixi in Dicaſtice concluſ. 31.*

II. Reum, qvi de crimine commiſſo convictus aut confeſſus fuerit, non eſſe admittendum ad juramentum purgatorium, qvippe qvod deficientibus demum plenis probationibus locum habet.

III. Pravam legis interpretationem, qvæ ipſum jus naturæ aut ſtatum publicum violat, penitus eſſe extirpandam.

Ad c. cum cauſam 13.

De finibus diœceſeon inter vicinos Epiſcopos erat controverſia, cumqꝫ probationes neutrubi plenæ ſuppeterent, qværebatur, qvid faciendum eſſet judici. Reſpondet Pontifex, libros antiqvos, teſtes, famam & qvæcunqve adminicula diligenter inqviri & conjungi debere.

Ratio dubitandi eſt, qvia in judiciis is demum probaſſe dicitur, qvi ſufficienter probavit, qvod ex famâ aliisqve adminiculis fieri ſemper neqvit.

Ra-

Digitized by Google

Ratio decidendi eſt, qvia confinia ut plurimum difficillimæ ſunt probationis, præſertim in antiqvis, ut adeò neceſſe ſit ex conjecturis interdum rem decidere.

Diœceſium] Vocabulum hoc non eundem ſemper ſignificatum habet. Hoc loco denotat territorium Epiſcopi. *Vid.* Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 6. c. 16. n. 2.*

Notetur hìc I. Non malè cuilibet Epiſcopo ſuam diœceſin aſſignatam, certosqve fines poſitos fuiſſe, qvos egredi ipſi in rebus Eccleſiaſticis non liceat. *Vid. qvæ collegit Gratianus cauſ. 9. q. 2.*

II. In probandis finibus admitti plures probationes imperfectas ad conſtituendam unam perfectam, & maximè hìc valere arbitrium judicis. *Vid.* Hieron. de Monte *de finib. reg. c. 53.*

Ad c. cum bonæ, ult.

Inter Abbatem monaſterii Pegavienſis & Epiſcopum Martisburgenſem propter ſpolium ab hoc commiſſum lis fuerat, qvæ cùm apud judices noviter delegatos continuanda eſſet, acta prioris judicii nullibi reperiri poterant. Qværebatur de modo procedendi. Reſpondit Pontifex, acta ſummâ cum diligentiâ inveſtiganda, & proceſſum ipſum in ſcriptis continuandum eſſe à partibus. Sin autem acta haberi non poſſint, cùm de litis conteſtatione jam factâ dubium inter partes nullum ſit, probationes de novo faciendas & recipiendas eſſe, tentatâ prius compoſitione amicabili.

Qvæſtio principalis eſt, utrum acta judicii prioris fidem faciant in poſteriore. Ratio dubitandi eſt, qvia unumqvodqve judicium per ſe ſtat, & ſpeciali ſuâ fide nititur. Ratio decidendi eſt, qvia intereſt Reip. ut continuetur potius proceſſus, qvàm ut de novo redintegretur. Ex qvo igitur adverſus acta à partibus nihil excipitur, fidem illa faciunt ubiqve plenam.

in ſcriptis redacta] Confirmari hinc videtur ſententia, qvod exemplum actorum, non ipſum exemplar ſeu originale edi debeat. *Vid.* Nic. Ant. Gravat. *ad Octavii Veſtrii prax. l. 7. c. 1. n. 22.*

Pigamenſis] legendum Pigavienſis ſive Pegavienſis, & infra: Mersburgenſe ſive Martisburgenſe Epiſcopo.

Notetur hìc I. Acta coram uno judice facta fidem facere etiam in alio judicio, etſi deſtituantur ſolennitate ejus judicii, in qvo producuntur, dum non careant ſolennitatibus ejus loci ubi geſta ſunt. Gail. *2. obſ. 123.*

Digitized by Google

II. Perempta inſtantia acta probatoria non perire, & ideò in ſecunda inſtantia plenam fidem facere. Gail *1. obſ. 103.*

III. Judicem prioris inſtantiæ compelli poſſe, ut acta edat.

IV. Ipſa originalia acta in foro noſtro hodiè edenda eſſe. *Vid.* Erkleb. der Landes-Grav. *n. 53.*

Ad Decretalium,
Tit. XXIV.
de
JUREJURANDO.
Ad cap. 1.

AD intellectum hujus capituli præmittendum eſt, uſuras odioſum planè nomen eſſe in jure Canonico, & ſub interminatione graviſſimarum pœnarum prohiberi. Non tamen aliter, niſi ex accipientis perſona, ita ſcil. ut ille peccare dicatur, qvi uſuras accipit, non etiam, qvi ſolvit *c. 6. h. t.* Hoc præſuppoſito firmum erit juramentum ex parte promittentis uſuras, & hinc ſervandum, niſi ab alterâ parte remittatur. Ut autem remittatur, cogendos eſſe Creditores, reſcribit Pontifex.

Ratio dubitandi peti poteſt *ex c. 6. h. t.* qvod ſcil. qvi de uſurarum ſolutione juraverunt, cogendi ſint domino reddere juramentum. Ratio hujus rationis eſt, tùm qvia non creditori tantùm juratur, ſed ipſi etiam DEO, cui unà jurans obligatur, tùm, qvia omne juramentũ, qvod ex parte jurantis ſine detrimento ſalutis æternæ impleri poteſt, ſervari debet, *c. qvamvis 2. de pact. in 6.*

Rationem decidendi petere oportet ex pravitate & iniqvitate Creditoris, qvi non poteſt ſine peccato uſuras accipere, maximè ab iis, qvi adverſus Saracenos militiam ſeqvuntur aut promovent. Hæc enim cauſa ſpecialiter habetur in antiqvâ decretali ex recenſione Antonii Auguſtini *collect. 2. c. cap. 4.* Et igitur, qvia talis juramenti implementum turpitudinem con-

continet ex parte creditoris, compellendus ille erit ad relaxandum juramentum.

Gregorius III.] Alii codices nonum præferunt, adhuc alii octavum. Difficile erit, verum autorem inqvirere. Ut Gregorio VIII. decretalis iſta adſcribatur, facit inprimis bellum Hieroſolymitanum eo tempore maximè fervens, qvod, uti ex antiqva collectione patet, maximè impulit Pontificem, ut hanc conſtitutionem ederet.

relaxanda] Relaxare hîc idem eſt, qvod remittere juramentum aut à juramento abſolvere, qvomodo etiam juris obſervatio relaxata, i. e. remiſsa dicitur *l. 9. C. de teſtam.*

eccleſiaſticâ diſtrictione] i. e. pœnâ, & dicitur aliàs diſtrictio canonica.

Notandum hinc I. Uſuram de jure Canonico non eſſe rem ſuâ naturâ malam. Talis enim ſi eſſet, nec promittere eam poſſet Debitor, nec juramento ad eam ſolvendam adſtringi. Qvod ſi uſura tam funeſtum eſt malum, & tam deteſtabile atqve horrendum crimen, cur non perinde ut acceptionem ejus, ita & dationem ſub Eccleſiaſticâ diſtrictione prohibent Pontifices, cum negari neqveat, dantem communicare peccato accipientis.

II. Juramentum ab eo, cui juratum eſt, relaxari poſſe, & tùm etiam DEUM juramentum iſtud remittere. Didac. Covarruv. *de ſponſal. p, 1. c. 5. num, 1.* Intereſt tamen, utrum DEO ipſi immediatè, aut principaliter contemplatione DEI juratum ſit, an verò principaliter homini ad privatum ipſius commodum. Priori caſu contrahitur obligatio merè ſpiritualis & proximè ad voti religionem accedit, nec ab ullo homine relaxari poteſt. Poſteriori caſu maximam partem & principaliter civilis contrahitur obligatio, qvâ remiſsâ etiam religio ei adhærens tollitur, cùm non in hunc finem juratum ſit, ut alter invitus rem promiſſam acceptat, ſed ut jurans vinculo religionis conſtrictus, tanto facilius præſtet. *Vid.* Franzk. *lib. 2. reſolut. 5. num. 60.*

III. Coactionem iſtam non ab Eccleſiaſtico tantùm, ſed etiam pro re natâ à Laico judice fieri poſſe. Didac. Covarruv. *l. 1. var. reſol. c. 4. n. 5. verſ. verum &c.* Auguſt. Barboſ. *ad c. 2. h. t. num. 5.* Carpzov. *in proceſs. tit. 3. art. 4. num. 27.*

IV. Contractus à privatis qvidem celebrari, Magiſtratus tamen regi-

 mini

mini ita ſubjici, ut, ſi qvid iniqvi contineant, emendari aut prorſus reſcindi poſſint. *Vid.* Gregor. de Valentia *tom. 3. diſp. 6. q. 7. punct. 4.*

Ad cap. pervenit 2.

Agitur hic de juramento per vim & metum extorto, qvatenus illud teneat & vim obligandi habeat. In duobus autem maximè variant Interpretes (1.) utrum ſpolium in rebus Eccleſiæ an verò in bonis ipſius Epiſcopi commiſſum fuerit. (2) Qvid ſit illud, qvod dicit Pontifex, Epiſcopum nullius juramenti vinculis poſſe conſtringi, cum tamen eum à juramento mox abſolvat. Nec enim abſolutione opus eſſet, ſi juramentum nullas omninò haberet vires. Qvod primum attinet, verior videtur ſententia eorum, qvi ſpolium commiſſum de ipſius Epiſcopi bonis intelligunt, cum diſertè textus Epiſcopum rebus ſuis ſpoliatum ſupponat. Circa ſecundum major eſt dubitatio. Qvi in rebus Eccleſiæ ſpolium factum interpretantur, alii juramentum præſtitum obligare contendunt Epiſcopum, ſaltem qvoad commoditatem & utilitatem ipſius Epiſcopi, qvam ex bonis Eccleſiæ percipit, & hactenus abſolutionem volunt eſſe neceſſariam; alii abſolutionem olim etiam in juramentis omninò nullis uſurpatam contendunt, eum in finem, ut non ſolum à perjurio, ſed etiam à perjurii ſuſpicione liberarentur homines, qvam cæteroqvin facilè incurrere poterant. Hoc igitur ſenſu Pontifex abſolvit ad cautelam tantùm, aut potius abſolutum declaravit. Alii juramentum ipſo jure nullum dicunt, non propter metum, ſed qvia erat illicitum, & non poterat ſine diſpendio ſalutis æternæ impleri, abſolutionis autem fieri mentionem, non ratione vinculi, ſed ratione peccati, qvod jurando commiſerat Epiſcopus & officium ſuum, dum res Eccleſiæ non conſervavit, transgreſſus fuerat. Panormitan. & Felin. *ad h. t.* Qvi verò in propriis Epiſcopi rebus ſpolium factum agnoſcunt, duplicem præſupponunt juramenti obligationem, qvarum alterâ homini, alterâ Deo jurans obligatur. Et hinc conficiunt, non de illâ, ſed de hac abſolutionem hic factam eſſe intelligendam, illam enim propter metum incusſum nullam eſſe, hanc vero ideò tenere, qvia DEus nullam habeat culpam coactionis. *Vid.* Auguſt. Barboſa *ad h. t.* Nulla harum explicationum ſuis caret difficultatibus. Qvid ſi dicamus, his verbis (Epiſcopum nullius juramenti vinculis ſuper hoc poſſe conſtringi) diſqviri à Pontifice de poteſtate Comitis, qvi Epiſcopum ad jurandum coegerat, hoc ſenſu: Comitem præ-

præter fas conſtringere Epiſcopum, tùm propter defectum cauſæ Efficientis, dum ei nulla in Epiſcopum competit poteſtas, tum propter modum, qvia per vim id fecit. Et hinc igitur non negat Pontifex obligationem Epiſcopi, ſed negat obligationem juſte partam. Sive, non negat eſſe validum juramentum ſed negat eſſe licitum, cum juramentum illicitum nihilominus poſſit eſſe validum.

Ratio dubitandi petenda eſt *ex cap. ſi vero 8. h. t.* qvod non ſit tutum, qvemlibet contra juramentum ſuum venire, niſi tale ſit, qvod ſervatum vergat in interitum ſalutis æternæ.

Ratio decidendi eſt, qvia Epiſcopus nefandiſſima coactione juravit, ut hinc meritò abſolvi debeat.

Laodicenſem Epiſcopum] Laodicea Urbs fuit ad mare Syriacum haud procul ab Orontis oſtio, cujus Urbis Epiſcopus Apollinarius ſeculo qvarto multa, ſed parum conſideratè ſcripſit. *Vid.* Bellarm. *de ſcript. Eccleſ.*

comite] Comes ſuperioribus ſeculis idem erat, qvod judex. Limnæ. *lib. 4. jur. publ. c. 4.* Lindenbrogg. *in Gloſſar. leg. antiq.*

compulſum] gladiis, uti habetur in antiqvâ decretali. Metus igitur non fuit vani hominis, ſed talis, qvi in hominem conſtantiſſimum cadit, propter qvem etiam in integrum reſtitui potuiſſet Epiſcopus *l. 6 ff. quod met. cauſ.*

contumelià] Contumelia Senecæ *lib. de conſtant. Sap.* eſt minor injuriâ, qvam qveri magis qvàm exſeqvi poſſumus, qvam leges qvoqve nulla dignam vindicta putaverunt. In hoc ſignificatu minus dixit Pontifex, qvàm dicere voluit.

Hinc igitur obſervo I. jurato promiſſa etiam Latroni ſervanda eſſe, propter obligationem, qvæ DEo fit, dum tamen res promiſſa ſit poſſibilis & licita. Etſi enim jus perſonæ deficiat, DEo tamen terminativè juratur. *Vid.* H. Grot. *de jur. bel. l. 2. c. 13. n. 15.* Franzk. *l. 2. reſol. 3.*

II. Juramenti vinculum neqve per diſpenſationem ſuperioris, neqve per commutationem materiæ in aliam ſolvi poſſe, ſed poſſe tamen id vinculum aut reſcindi & irritum reddi autoritate ſuperioris, aut deficiente materia ceſſare aut ab eo, cui promiſſio facta eſt, remitti & relaxari. Robert. Sanderſon *de juram. oblig. prælect. 7.* H. Grot. *d. l. n. 20.*

III. Ju-

Digitized by Google

III. Jurantem abſolvi qvidem hoc caſu à Magiſtratu ſuo poſſe, ſi huic aliunde de iniqvitate facti & juramento vi extorto conſtare cœpit: ipſum tamen jurantem ad relaxationem juramenti agere non poſſe. Videtur enim per obliqvum hoc intendere, ut fides data non ſervetur. *Vid.* Sanderſon *prælect. 4. sect. 17.* Franzk. *d. l. n. 65. ſeq.*

Ad cap. pervenit 3.

In hoc capitulo, qvod caſu & ſpecie facti truncatum eſt, duæ habentur determinationes diverſarum qvæſtionum. Prima eſt, utrum ſatis obſervet juramentum, qvi qvod juravit, commutat in melius. Affirmat Pontifex, & in genere de promiſſione factâ concludit, non infringi eam, ſi promiſſum in melius commutetur.

Ratio dubitandi eſt, qvia juramentum in forma ſua ſpecifica adimpleri debet; neqve aliud pro alio ſolvi poteſt creditori invito, *l. 2. §. 1. ff. d. reb. cred.*

Ratio decidendi eſt, qvia qvi melius accipit, non habet, de qvo conqveratur; cum utiqve plus accipiat, qvam ipſi debetur.

Fatendum verò eſt, rationes dubitandi multo fortiores eſſe ratione decidendi, & propterea Pontificis aſſertum ſatis adhuc dubium eſſe. Dum enim ei, cui juratur, jus acqviritur, non debet id ei ſine ejus conſenſu auferri. Idqve dum obſtare vident Canoniſtæ, malunt illi hunc textum de voto & juramento, DEI duntaxat intuitu præſtito, accipere, qvia videlicet DEO id diſplicere non poſſit, qvod melius eſt. *Vid.* Paul. Laymann. *theol. moral. lib. 4. tr. 3. c. 6. n. 5. 6.* Auguſt. Barboſ. *ad h. t.* Sed enim ſeqventia textûs verba reſtrictionem iſtam non patiuntur, qvippe qvæ homini factam fuiſſe promiſſionem clarè oſtendunt. Et videtur iſta reſtrictio ex opinione meriti in bonis operibus nata eſſe, qvod maximè ſemper deteſtata eſt noſtra Eccleſia. Ut jam taceam, difficile eſſe, in reſpectu ad DEum gradûs bonitatis in operibus noſtris diſcernere, & qvæ inter ea DEo magis placeant, definire.

Altera qvæſtio concernit promiſſionem ſub conditione factam, num adimpleri promiſſio debeat non adimpletâ conditione. Et id negat Pontifex. Agit autem in ſpecie de conditione poteſtativa ex parte promiſſarii, Juravit ſcil. qvis, ſe daturum facturumve ſub conditione, ſi qvid viciſſim daret faceretve is, cui juratur.

Ra-

Ratio dubitandi eſt, qvia omne promiſſum cadit in debitum, neqve per adjectam conditionem fieri poteſt, ut promiſſum non ſit promiſſum. Et cavendum igitur, ne actus ſit fruſtraneus, maximè ſi juramento vallatus ſit, ne in vanum aſſumptum videatur nomen Domini.

Ratio decidendi petitur ex naturâ conditionis, qvæ eſt, qvod conditio totum negocium ſuſpendat, & nihil ponat in eſſe, ita ut pendente conditione nihil qvicqvam deberi dicatur *l. 13. ſ. pen. ff. de pign. l. 19. ff. de conſt. per l. 36. inf. ff. de R. C.* nec dici poſſit, qvod inceperit deberi cum exiſtente demum conditione deberi incipiat *l. 213. ff. de V. S. l. 41 ff. de condit. & dem.* & contractus pendente conditione neqvaqvam perfectus ſit *l. 8. ff. de peric & comm. rei vend.* Dum igitur propter conditionem adjectam obligatio nondum nata eſt, ſed adhuc qvaſi in ſuis cauſis latet, adigi neqvit promiſſor, ut promiſſum, qvod nondum eſt, ſervet, maxime qvando ex parte promiſſarii ſtat, dum conditionem adimplere recuſat.

vel fidei obligatione] fidei ſcil. nudæ, qvæ nullo juramento vallata eſt, uti etiam accipitur *c 3. de iis qvæ vi metusv. cauſ. c. 2. de fidejuſſ.* ut adeò qvoad effectum conditionis nihil interſit, fides nuda an jurata ſit.

Ex his notandum I. Aliud pro alio invito Creditori ſolvi non poſſe. *Vid.* Joh. Guttierrez *de juram. confirm. p. 1. cap. 29.* Jac. Alemann. *in palæſtr. conſult. 8. q. 11.* Barth. Socin. *reg 464.* Joh. Köppen *deciſ 55.*

II. Ex conditionali promisſione tantum ſpem eſſe, aliqvando debitum iri, obligationem autem adhuc eſſe in ſuſpenſo § *4. Inſt. de V. O. Vid.* Leand. Galganett. *de condit. p. 1 c. 8.* Joh. Gœddæ. *de ſtip. cap. 9. n. 169.*

III. Promittendum qvid facere ſub conditione ſi alter prior fecerit, non obligari, ſi prior alter non fecerit. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 3. cap. 19. num 14.*

Ad cap Ego 4.

Notat Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 4. c 7. n. 52.* juramento, qvod in hoc capitulo conceptis verbis habetur, ſolos ab initio Epiſcopi Romani ſuffraganeos illi ut Metropolitano ſuo fuiſſe adſtrictos. Inde verò ab reliqvis etiam univerſi Orbis Epiſcopis fuiſſe exactum, & ſic Papam omnium Epiſcoporum Monarcham agnoſci oportere. Qvin & Archi Epiſcopi præſtare tenentur fidelitatis & obedientiæ juramentum, *c. 4. X. de elect.* Imò ipſi etiam Patriarchæ, qvi in eodem dignitatis gradu cum

Digitized by Google

Papâ Romano ſunt, tale juramentum præſtare jubentur *c. antiqva 23. X. de privileg.* His nempe artibus & hoc religionis vinculo continere neceſſe fuit, qvæ diſſolvi aliàs facilè potuiſſet, monarchiam papalem. Obſervetur & hoc, decretalem hanc non eſſe Gregorii Magni, nec Gregorii III. ſed Gregorii VII. *Vid.* Carol. Molinæus *ad SCt. Franc. contra abuſus Pap. pag. 267.* Adeò autem principum jura violavit hæc formula ab Gregorio concepta, ut cùm ſummo is jure uſurpaſſet dominationem in omnes metropolitanos, in aliâ deinde Synodo prohibuerit, ne qvis Epiſcopus homagium Regibus præſtaret. Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 6. c. 7. num. 8.*

inantea] i. e. in futurum, in perpetuum, in poſterum, uti explicat Barboſa, ſignificatu minus uſitato.

fidelis ero] Fidelitas hîc includit ſimul ſubjectionem, uti explicatur *2. F. 5.*

Sancto Petro] qvia Petrus ab antiqvo fundaſſe Eccleſiam Romanam creditus eſt. Ipſe verò præſens ibi ſedem ſuam ſtatuerit, nec ne, multis adhuc ambigitur.

dominoq; meo] cum ſervus ſervorum dici velit Papa, dominus tamen eſſe maluit, qvando ſubjectionem ei promittunt Epiſcopi, ne eſſent, qvi abſurdum dicerent, ſervum ſervorum habere ſervos.

canonicè intrantibus] qvis verò inter tot ſchiſmata, qvibus implicata fuit ſedes Romana, de verò & genuino Pontifice certus eſſe potuit? præſertim cum in ſchiſmate penultimo Synodus Piſana utrumqve tum temporis Pontificem exauctoraret, & tertium adderet, qvi tamen ſinguli pro veris ſe gererent. & ſinguli duos reliqvos damnarent, qvis tùm canonice intraſſe dici potuit? Canonicè vero intrare dicitur hodiè ille, qvi ſecundum ceremoniale Gregorii XV. eligitur.

aut membrum] Similia jurare jubetur vaſallus *2. F. 7.*

Papatum] multo auctius hodiè eſt juramentum, qvod præſtare oportet Epiſcopos. Jurant inter alia, velle ſe hæreticos, Schiſmaticos & rebelles Papæ pro poſſe perſeqvi & impugnare. Tanto ſcil. rigore opus erat ad conſervandam ſedem Romanam.

& regulas ſanctorum Patrum] qvæ ſcil. Eccleſiæ univerſalis regimen concernunt, uti vult Aug. Barboſa *h. t.* â qvibus diſtingvit alios qvoscunqve Canones Pontificios, qvos hoc juramento contineri negat. Obſervat autem Joh. Rainoldus *in colloq. cum Hart. pag. 9.* mutata eſſe hodiè iſta verba & pro

Digitized by Google

& pro regulis ſanctorum Patrum, ſubſtituta, regalia S. Petri; pravo ſcil. & Petro minimè conveniente uſu.

ſalvo ordine meo] h. e. qvantum patitur ordo. Sed ille hodiè patitur omnia, etiam bellicos apparatus, à qvibus olim abſtinuerunt Epiſcopi. *Vid.* Claud. Eſpencæus *l. 2. digreſs. c. 6.*

Apoſtolorum limina] i. e. ſedem Romanam, qvod Petri & Pauli oſſa ibi reſerventur.

ſingulis annis] id hodiè mutatum eſt, & conſtitutum ut propinqviores triennio, remotiores omni qvinqvennio, remotiſſimi qvolibet decennio Romam veniant. Qvid autem ibi tum agatur, exponit Marcus Ant. de Dominis *d. l. 4. c. 7. n. 53.*

& hæc ſancta Evangelia] Objectum invocationis religioſæ tantùm DEus eſt, non Evangelia. Tolerari tamen hæc poteſt formula, ut intelligatur, qvem DEum in teſtam invocemus, nimirum illum qvi in Evangelio ſeſe manifeſtavit, & ſalutem nobis offert. Rauchbar *p. 2. q. 2. n. 52.* Franzk. *tit. de jurejur. n. 15.*

Tolerari vero hoc poſſet juramentum, qvanqvam adhuc tum ſatis portentoſum & ambitioſum, neqve Epiſcopo ſatis conveniens ſit, ſi intra limites Romanæ diœceſeos conſiſteret. At verò, qvòd id ab univerſis totius Orbis Epiſcopis exigatur, id intolerabile planè eſt, & inſigne tyrannidis papalis ſpecimen. Papam enim totius Eccleſiæ eſſe caput & Epiſcopum Oecumenicum conſtanter negamus. Neqve id ex re eſſet Eccleſiæ. *Vid. ſi lubet, exercitatio noſtra 7. de jur. maj. n. 16. ſeq. & conf.* Rob. Abbot. *de ſuprem. poteſt. reg. prælect. 14. & 15.*

Ad c. Nullus 5.

Intelligendum hoc eſt capitulum, perinde ut antecedens de juramento fidelitatis, tale ſcil. non licere Epiſcopis exigere ab ſuis Clericis.

Ratio dubitandi poteſt peti ab harmoniâ & relatione, qvæ inter Papam Romanum & Epiſcopos, viciſſim inter Epiſcopos & Clericos intercedit; qvæ enim ratio movet, ut Epiſcopi jurent Pontifici Romano fidelitatem ea etiam movet, ut Clerici ſimiliter fidelitatem jurent Epiſcopis, ut ſcil. totum ſyſtema politiæ Eccleſiaſticæ in uniformi fidelitate conſervetur. Ad eundem qvippe modum in politiâ mundi magiſtratûs principibus, & reliqvi ſubditi viciſſim magiſtratibus jurant, ut

Digitized by Google

tota compages in fide contineatur & ſibi invicem religionis vinculo devinciantur.

Ratio decidendi petenda eſt ex ratione ſtatûs Pontificii. Papæ enim arcanum hoc eſt, ut omnibus modis caveat, ne Epiſcopi, in ſuâ qvisqve diœceſi Papæ ſibi partes ſumerent. Fieri autem id facilè poſſet, ſi ut Epiſcopi Pontifici Romano, ſic alii Clerici Epiſcopis juramento adſtringerentur. Et viſa jamdiu fuit Sedi Romanæ nimium excreviſſe Epiſcoporum autoritas, vel ex unico eo, qvod cura inſpiciendi in ſuæ diœceſeos Clericos numero ſæpiusculè haudpaucos incumberet. Et hinc jam olim Pontifices Romani primatui, qvem occuparunt conſervando palladii loco, & principalis arcani habuerunt, Epiſcopos Archi-Epiſcoporum, Abbates Epiſcoporum juriſdictione eximere, ut certas ita haberent perſonas ſibi obligatas. Petr. Svav. *in hiſtor. Concil. Trid. lib. 2. f. 186. & 243.* Ne ergò à reliqvis Clericis, qvi exempti non eſſent, & per qvos Epiſcopi facilè res novas moliri poſſent, metuendum ſibi eſſet, prohibuit Pontifex, ne Epiſcopus Clericos ſibi jurare compelleret.

Excipit tamen Pontifex caſum, ſi Clerico alicui commiſſa fuerit ab Epiſcopo adminiſtratio rerum Eccleſiaſticarum; qvia ſcil. tum intereſt Eccleſiæ, ne bona diſſipentur. Et tale juramentum eſt neceſſarium. Guilielm. Redoan. *de reb. Eccleſ. non al. quæſt. 55. n. 4.*

clericos ſuos] Clerici vocabulum hîc generaliter accipitur, ut intelligantur omnes illi, qvi in Eccleſiâ DEi deſerviunt, cum aliàs pro ſubjectâ materiâ ſæpè reſtringatur. *Vid.* A. Barboſ. *de appellativ. vocab. Clericus.*

diſpenſatio] i. e. adminiſtratio, qvod adminiſtrator expendat pecuniam, vel qvod rationes diſpendat, i. e. procuret, & conſideret, calculumqve ducat. Andr. Alciat. *ad l. 166. ff. de V. S.*

Notandum hinc eſt fulcimentum monarchiæ papalis, qvæ ſuſtineri aliter non poterat, niſi acciſis viribus Epiſcoporum. Et credibile eſt autorem hujus decretalis Urbanum (qvi ſecundus dicitur *c. fin. 22. q. 5.* & tertius fuit à Gregorio VII. primo tyrannidis papalis fundatore) animadvertiſſe, ex Clericorum in Epiſcopos ſuos propenſione nimiâ, periculum aliqvando ſedi papali imminere poſſe, & hinc inductum ad decretalem hanc conficiendam, ut ſibi proſpiceret, & monarchiam ſibi relictam magis confirmaret.

Ad

Ad c. debitores 6.

Deciduntur in hoc cap. tres diſtinctæ qvæſtiones circa promiſſas uſuras. Prima eſt, num cogi debeat debitor, ut ſolvat promiſsas à ſe uſuras? Idqve negatur.

Ratio dubitandi eſt, qvia ex omni promiſſione naſcitur obligatio; ex obligatione actio; ex actione coactio, ſive executio.

Ratio decidendi eſt, qvia uſuræ de jure canonico planè ſunt prohibitæ. *cauſ. 14. q. 5. per tot.* Ubicunqve autem legis prohibitio eſt, ibi promiſſio legi adverſa non tenet, & per conſeqvens nulla inde naſcitur obligatio, nulla actio. Qvin imò condictio datur promiſſori, & rei vindicatio propter ſolutam jam uſuram, cujus nomine, qvicqvid datum eſt, non tranſit in dominum uſurarii. H. Zoeſ. *tit. de uſur. n. 23.* Paul. Laymann. *theol. moral. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 7.*

Secunda qvæſtio eſt de promiſſione juratâ, numqvid hoc caſu teneantur & cogi poſſint Debitores, ut ſolvant uſuras? Et hoc affirmat Pontifex.

Ratio dubitandi peti poteſt ex ratione decidendi primæ qvæſtionis. Cui accedit, qvod jusjurandum naturam, qvalitates & conditiones omnes ejus actus, cui accedit, recipiat. Si igitur non ſubſiſtit actus de jure Canonico; uti eſt promiſſio uſurarum, nihil qvoqve eſt, qvod confirmari poteſt, & hinc juramentum additum cum principali ſuo corruet.

Ratio decidendi eſt, qvia per juramentum Deo obligatur promiſſor, adeò ut obligatio talis per ſe ſtet, & adimpleri meritò debeat, præſertim cùm ex parte promiſſoris nulla adſit legis prohibitio, & ille tantùm peccare dicatur, qvi accipit uſuras, non qvi ſolvit. Solvat ergò qvod juravit, ſolâ religione jurisjurandi & conſcientiâ cogente.

Tertia qvæſtio eſt, utrùm uſuræ juramento promiſſæ & ſolutæ irrevocabiliter fiant accipientis, ut repeti neqveant. Et hoc negat Pontifex.

Ratio dubitandi eſt, qvia ſtipulatoris mens ſine dubio hæc fuit, qvod voluerit uſuras ſibi acqvirere irrevocabiliter. Juramentum igitur præſtitum ita accipiendum & explicandum eſt, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 13. n. 3.* Et uſitatum hoc eſt inter JCtos, ut ſi diſpoſitio aliqva juramento vallata fuerit ea pro irrevocabili habeatur. *Vid.* Franc. de Caldas *de empt. & vend. c. 3. n. 8. 9.*

Ratio decidendi eſt, qvia juramentum non extenditur ad ea, ſuper qvibus non eſt præſtitum, At hîc, qvi juravit ſolvere, non per hoc juravit non repetere. Et per conſeqvens jure repetendi non poterit excidere. Joh. Bapt. Vivian. *h. t.* Ut igitur & promiſſori, qvi juravit, & ei, cui juratum eſt, conſulatur, jubet Pontifex promiſſorem, ut ſolvat uſuras; ſimulatqve verò ſolutæ fuerint, jubet compellere Creditorem, ut uſuras ſibi ſolutas reſtituat.

Qvi verò luſus hic eſt? inqvit Cujacius *ad h. t.* qvæ deriſio DEi? Melius eſſet non ita DEo ſatisfacere, ſed dejurii pœnitentiam facere. Qvaſi verò (ſunt verba Danielis Molleri *l. 3. ſemeſtr. c. 39 n. 6. & 7.*) DEo, qvi in teſtimonium promiſſionis, & ut vindex perjurii invocatur, & cor reſpicit, cuiqve ex hujusmodi promiſſione principaliter obligatio qværitur, ſatisfiat, ſi qvis id qvod ſoluturum ſe juravit, unâ manu ita det, ut alterâ recipiat, & non potius DEo ſimul & hominibus illudatur.

Sanè, ſi ſeriò res agitur inter partes, uti propter juramentum interpoſitum fieri debet, non poteſt ſine manifeſto dolo hoc intendere debitor, qvod velit qvidem propter juramenti religionem uſuras ſolvere, ſed ſolutas illicò repetere, qvin potius præſumendum eſt, juraſſe eum ſecundum intentionem creditoris. Qvod ſi porrò juramentum DEo reddendum eſt, ſi obligatio illi acqviſita ſolvenda eſt, res accipientis irrevocabiliter fieri debet. Hic enim proximus effectus juramenti eſt, ut pariat obligationem ad mentem ejus, cui juratur. Expectationem eorum, qvibus juratur, qvi deceperit, non poteſt non eſſe perjurus, inqvit Auguſtinus *Epiſt. 225. Conf.* Franzk. *l. 2. reſol. 5. n. 85. ſeqq.*

Obligaverant] qvia jure Canonico ſimplex uſurarum promiſſio nullam uſurario parit actionem, nec propriè dicta obligatio naſci inde poterit.

Cogendi ſunt] non qvod actio detur ei, cui juratum eſt, ſed qvod officio judicis reus per cenſuram compelli debeat ad obſervationem juramenti, ad evitandum perjurium. H. Zoeſ. *tit. Digeſt. de jurejur. n. 86.*

Domino reddere juramentum] Domino, non Creditori, qvia Creditori nulla planè acqviritur obligatio nec actio; ſed qvæ hîc ex juramento naſcitur obligatio, illa tota DEo facta intelligitur.

Notandum verò eſt ad hoc cap. I. Promiſſionem uſurarum moderatarum firmam inducere obligationem, ſecus atqve hîc ſtatuit Pontifex, qvi falſo iſto nititur principio, uſuras omnes jure naturali & divino vetitas eſſe.

Digitized by Google

ſe. *Vid.* H. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 12. n. 20.* Ipſi Canoniſtæ verbis uſuras rejicientes ſub variis integumentis mordaciſſimas ſæpè admittunt. *Vid.* Chriſtoph ab Hagen *de uſu uſurar. c. 4. per tot.* Dixi autem, moderatas debere eſſe uſuras, h. e. legi, qvæ in omni Rep. modum præſcripſit, conſentaneas. Eas qvi excedit, vel id tantùm, qvod in exceſſu eſt, amittit, (qvo caſu admittere poſſum, qvod ſtatuit Gailius *lib. 2. obſ. 5. n. 7.* propter illicitam ſtipulationem ſortem principalem non amitti;) vel partem etiam ſortis, aut etiam totam ſortem, uti conſtitutione Electorali Saxonicâ anno 1625. conſtitutum eſt. Nec verò negabo, poſſe principem omnes in univerſum uſuras, qvantæcunqve illæ fuerint prohibere, dum tamen ſuâ tantum id faciat lege, non etiam provocet ad legem naturalem & divinam, uti volunt Canoniſtæ.

II. Qvicqvid uſurarum nomine datum fuerit, in dominium accipientis transire, poſito ſcil. obſervatas eſſe leges uſurarias. Adeſt enim juſta cauſa & juſtus titulus.

III. Juramentum actui aliàs invalido adjectum eum non confirmare, nec validum reddere; ſed juramentum ex ſe ſervandum eſſe, & ſub ſolis religionis vinculo jurantem obligare. *Vid.* Franzk. *l. 2. reſol. 6.* Anton. Merenda *l. 1. controv. cap. 1. & 2.*

IV. Pejerare eum, qvi qvod promiſſum eſt, non eo ſenſu perficit, qvo promiſit, aut promittere debuit. Uti enim unum perjurii genus eſt, inter jurandum detorqvere verba in alium ſenſum, qvam concipiunt audientes: ſic alterum perjurii genus eſt, ubi recte juraveris non ſincere agere, ſed novo aliqvo excogitato commento juramenti vim declinare & eludere. Robert. Sanderſon *de juram. oblig. prælect. 6. ſect. 7.* Momentanea igitur ſolutio ad obſervantiam vel ſatisfactionem juramenti non ſufficit, & proinde repetitio ejus qvod ſolutum eſt, locum non habet.

V. Non ſatis conſideratè â Didaco Covarruviâ *in c. qvamvis de pact. in 6. part. 2. §. 3.* iſtas conſtructas fuiſſe propoſitiones. (1) Jurantem poſſe petere à judice, vel ut ipſe à juramenti vinculo ſe abſolvat, vel ut compellat eum cui juravit, ut juramentum relaxet. *Vid. ſupr. notab. 3. ad cap. 2.* (2) Abſolutum ita liberari ab omni contractu, & ſi qvid ſolvit ante abſolutionem, repetere id ſine ulteriori abſolutione poſſe. (3) Poſſe etiam eum abſolutionem petere, qvi juravit, ſe non repetere velle uſuras ſolutas, imò etiam, qvi ju-

juravit, ſe non velle petere abſolutionem à juramento. (4.) Poſſe eum, qvi iſtis præſidiis uti nolit, denunciare judici Eccleſiaſtico denunciatione Evangelica, etiamſi hanc qvoqve ſe facere nolle juraverit. Qvæ omnia juramenti obſervatores faciunt parum religioſos.

Ad c. ad noſtram 7.

In ſpecie facti non conveniunt inter ſe Doctores. Aliqvi enim compenſationem & imputationem fructuum in ſortem à contrahentibus hîc planè fuiſſe excluſam contendunt, ut juramentum præſtitum ita intelligendum ſit, qvod liberatio aliter fieri non debeat, niſi interveniente ſolutione & numeratione pecuniæ reali. Anton. Merend. *l. 1. contr. c. 4. n.* . August. Barboſ. *ad h. t. n. 7.* Did. Covarruv. *in c. qvamvis de pact. in 6. p. 1. §. 4. n. 18. ſeqq.* Joh del Caſtillo *part. 3. controv. c. 23. n. 77. ſeq.* Gaſp. Caballin. *p. 1. milleloqv. 224.* Alii imputationem in ſortem & compenſationem excludi hîc negant, & admittunt, in præſenti caſu Creditorem fructus percepiſſe & in ſortem imputare voluiſſe. Andr. Fachine *lib. 1. contr. c. 7.* Et hæc opinio mihi verior videtur propter verba: *Li. et autem de poſſeſſionibus illis & reditibus nondum ſortem receperit.* Hæc enim ratio eſt, propter qvam Pontifex jubet Creditorem excommunicationis vinculo ſolvi. Eamqve ſententiam ſeqvitur etiam Cujacius *ad h. t.* cujus analyſis uti ſimpliciſſima eſt, ita optima. Breviter: Creditor, qvi pignori acceperat prædia & reditus qvosdam, ut qvod inde perciperet in ſortem imputaret, donec ſatisfactum eſſet, debitorem juramento conſtrinxit, per eum non fieri, qvo minus ipſe pignoribus liberè uteretur. Debitor verò promiſſis non ſtetit, ſed pignora abſtulit, anteqvam Creditori plene ſatisfactum eſſet. Id cum iniqvum eſſet, jubet Pontifex pignora iſta Creditori reſtitui.

Ratio dubitandi præſumitur fuiſſe, qvod debitor contenderet, ex fructibus non ſortem tantum Creditori reſtitutam, ſed haud paulo plus ei acqviſitum eſſe. Hinc enim excommunicatio ei ut uſurario ab Archi Epiſcopo Rothomagenſi inflicta fuit.

Ratio decidendi eſt, qvia Creditor nondum tot fructûs perceperat qvi deductis expenſis ſortem æqvarent. Et videtur debitor computaſſe fructus nullis deductis expenſis, qvi propterea ſpeciem plenæ ſatisfactionis & ſolutionis præ ſe ferebant.

au-

Digitized by Google

audientiam] Ita dicitur judicium Epiſcopale, qvod cognitione & dijudicatione abſolvitur. Jurisdictionem Epiſcopi, qvà tales non habent, qvia non poſſunt ſententiam ſuam exeqvi *l. 8. C. de Epiſc. aud.* Sed hodiè diverſi planè invaluerunt mores. Ant. Perez. *Cod. de Epiſc. aud. n. 1.*

poſſeſſiones] h. e. fundos, qvorum non habemus dominium, ſed uſum duntaxat. *l. 115. ff. de V. S. & ibi* Gœddæus.

reditus] i. e. jus percipiendi anno qvolibet certam qvantitatem. Idqve jus inter bona immobilia cenſetur. Mynſing. *1. Obſ. 69.* Köppen. *deciſ. 24.*

donec ſolverent] Vocabulum hoc in genere accipiendum hîc eſt pro qvâlibet ſatisfactione, non præcisè pro ſolutione pecuniæ numeratæ. In ſeqventibus enim refertur, Creditorem ex fructibus ſortem recipere velle, &, ſicut in vetere Decretali apud Ant. Auguſtinum dicitur, velle ſic eſſe contentum.

nullum ei gravamen] ſcil. iniqvum & injuſtum. Did. Covarruv. *d. l. n. 19.* Senſus hic eſt, debitorem nolle facere, qvo minus Creditor pignoribus liberè & ut bonum virum decet, utatur.

propter hoc] qvod plus percepiſſe diceretur à debitore.

ſufficienti cautione] Noluit Pontifex omninò nullam dicere excommunicationem, ſed cautionem exigere jubet, ubi fieri ſolet, qvando dubia eſt offenſa. *Vid. c. 23. X. de V. S.*

ultra ſortem] Probè notentur hæc verba. Hinc enim conficio, receptionem pecuniæ factam eſſe ex fructibus, qvia id demum reſtituendum eſt, qvod ultra ſortem ex fructibus perceptum eſt. Aliàs enim ſi ſolutio præcisè in pecuniâ numeratâ fieri debuiſſet, omnes in univerſum fructus, deductis expenſis, reſtitui debere, dixiſſet Pontifex.

ſi commonitus] Excommunicationis enim ſententiam præcedere debent monitiones *c. 48. X. de ſentent. excom.* & qvidem tres juſtis intervallis diſtinctæ, aut una pro omnibus *c. 9. eod. in 6.*

Ex his notandum I. Uſum pignoris frugiferi jure Canonico permiſſum non eſſe, niſi fructus percepti in ſortem computentur. Prohibita enim eo jure eſt omnis antichreſis. *c. 1. X. de uſur.* qvæ tamen jure civili non improbatur. *l. 33. ff. de pign. act. l. 11. §. 1. ff. de pignor.*

II. Fructus eos demum dici, qvi ſuperſunt deductis impenſis, qvæ qværendorum, colligendorum & conſervandorum eorum gratiâ fiunt *l. 7. ff. ſol. matr. l. 36. §. fin. de heret. petit*, Joh. Copus *de fructib. lib. 1. tit. 1. cap. 6.*

III. Solutionis vocabulum eſſe generale qvandoqve, & qvamcunqve liberationem denotare. *l. 54. ff. de ſolut. l. 4. §. pen. ff. de re jud. l. 176. ff. de V. S.* Unde etiam pro ſoluto habetur, qvod compenſatum eſt, *l. 4. C. de compenſat.* Et ergò qvi promiſit ſolvere, compenſare non prohibetur. Nec intereſt, utrum qvis ſolvere tantùm promiſerit, an promiſerit ſolvere pecuniam, ita ut illic compenſare liceat, hìc verò non liceat, uti vult Joh. del Caſtillo *part. 3. controv. c. 23. n. 86.* qvia etiam eo caſu locum habet compenſatio, qvando qvis pecuniam ſolvere promiſit, uti patet *ex d. l. 4. C. de compenſ. & l. 15. ff. de eod.*

IV. Etiam eum, qvi juravit, ſe ſoluturum, compenſare poſſe. Non una hìc eſt Doctorum diſtinctio, uti referunt Seb. Medices *de compenſ. p. 1. qv. 25.* Joh. Guttierrez *de juram. confirm. part. 3. cap. 6.* Seraphin. de Seraphin. *de privileg. juram. privil. 74. n. 35. ſeqq.* Joh. del Caſtillo *d. l. n. 77. ſeq.* Caſp. Caballin. *p. 1. milleloq. 223.* Joh. Aloyſ. Riccius *deciſ. 800.* Anton. Merenda *l. 1. contr. cap. 4.* ut proinde difficile ſit ex tot opinionibus eluctari. Nos diſtingvimus, utrum qvis ſimpliciter juraverit ſe ſoluturum, an verò, ſolvere ſe velle actuali numeratione pecuniæ. Poſteriori enim hoc caſu compenſationi renunciatum fuiſſe putamus, qvam proinde objicere debitor haudqvaqvam poteſt. ut maximè obligatio ex adverſo poſt juramentum præſtitum contracta fuerit, qvò aliàs caſu compenſationem ſimpliciter admittit Tyndarus *de compenſ. art. 7. n. 14.*

V. Debitorem furtum committere, ſi rem, qvam Creditori pignoris causâ dedit, ſubtraxerit. *§. 10. Inſt. de obl. qvæ ex del. naſc.* & proinde ad reſtitutionem teneri.

Ad cap. ſi verò 8.

Ad Senonenſem Archi Epiſcopum de variis cauſarum figuris conſultus plura uno reſcripto complexus eſt Pontifex, cujus partem facit etiam *capitulum 1. X. de reſcript.* deſideratis aut diſperſis hinc inde pluribus aliis. In hoc capitulo agit de juramento metu extorto, qvatenus illud ſervandum ſit. Proponitur aliqvis terrore coactus beneficio Eccleſiaſtico renunciaſſe, addito ſimul juramento, de iſto beneficio non repetendo. Diſqviritur, uter eorum, an neuter id habere debeat. Penes utrumqve difficultates ſeſe exſerunt non inſubidæ.

Ex

Digitized by Google

Ex parte jurantis ratio dubitandi ſatis clara eſt. Eo ipſo enim dum juravit, duplici vinculo ſe obligavit, & DEo & homini, qvibus ambobus ſatisfaciendum eſt, & DEo in primis, ne ejus nomen profanetur.

Ex parte ejus, cui renunciatum eſt, ratio dubitandi hæc occurrit, qvod indignus habeatur beneficio Eccleſiaſtico, qvi id obtinuit mediis illicitis & parum honeſtis. At metu incuſſo, qvi id impetrat, qviqve inſimul juramentum exigit, dici neqvit, qvod bono titulo & juſtâ ex causâ id nactus fuerit. Excludatur ergo, qvòd indignè ſibi comparavit beneficio Eccleſiaſtico.

In hoc dubio Pontifex ita cauſam decidit, ut & jurantis conſcientiæ conſulat, & illius, qvi juramentum exegit & per hoc beneficium impetravit. Illi propter juramentum, qvod ideò ſervandum eſſe dicit qvia non vergit in interitum ſalutis æternæ atqve hinc, ſi non ſervetur, perjurii reatum inducit. Huic propter iniqvitatem, qvam coërcendam eſſe dicit per abſolutionem jurantis & renunciantis, & hinc ſecutam reſtitutionem in priſtinum ſtatum. Ultimum hoc ſi contingat, uti in Romanâ Eccleſiâ ſæpiusculè contigiſſe dicit, juramenti obſervatio neceſſaria non eſt, qvia tùm unico abſolutionis actu utriusqve conſcientiæ conſulitur. Sed ſi abſolutio non præceſſerit, ſervandum utiqve eſt juramentum qvoad renunciationis articulum, ſed qvoad articulum de non repetendo, abſolutione adhuc opus erit.

graviſſimo metu] qvi cadere poteſt in virum conſtantem, qvalis eſt metus captivitatis, amiſſionis omnium bonorum, infamiæ, cruciatus, & mortis. Qvod ſi metus fuerit inanis & levis, tenet nihilominus juramentum, etiamſi id jurare vir conſtans minimè debuiſſet.

refutare] Refutationis vocabulum in hoc ſignificatu apud Feudiſtas ſæpè occurrit, pro abdicatione, renunciatione, ceſſione &c.

niſi tale ſit] qvale eſt omne, qvod præſtatur de re illicitâ.

Noto hinc I. Grave peccatum eſſe juramentum indebitè exigere, & exactorem talem meritò coërcendum, etiamſi juramentum ipſum jurantem obliget. Poteſt enim juramentum de re non illicitâ eſſe validum, licet non licitè exactum.

II. Juramentum metu extortum, dum tamen de re fiat non illicitâ, ſervandum eſſe. *Vid.* Robert. Sanderſon *de juram. oblig. prælect. 4. ſect. 14 ſeqq.*

Andr. Gail. *2. obſ. 42. & ibi* Bernh. Græven. Bachov. *ad Treutler. vol. 1. diſp. 11. th. 4. lit. B.* Hillig. *ad Donell. l. 21. c. 13. lit. T.*

III. Rectiùs ſtatui, renunciationem miniſterii Eccleſiaſtici & refutationem alteri factam eſſe rem illicitam. Miniſterium enim Eccleſiaſticum non eſt in commercio, ſed ut dignus aliqvis ſit miniſter, reqviritur legitima Eccleſiæ vocatio. Poſito hoc videtur ipſum etiam juramentum renunciationi ſuperadditum eſſe contra bonos mores, nec proinde abſolutione opus eſſe. Ant. Gomez. *tom. 2. reſol. c. 14. n. 24.*

IV. Abſolutionem à juramento non facilè eſſe concedendam. Nulli enim mortali hoc fidei & religionis vinculo, qvo qvis DEO ſe obſtrinxit, ſolvere conceſſum eſt. Irritatio tamen fieri poteſt à ſuperiore, qvando qvis juravit de iis rebus, in qvibus ſubeſt, & in qvibus non habet poteſtatem ſe obligandi. Tum enim juramentum, qvod aliàs teneret, à ſuperiore nullum declaratur, nec is propterea autor fit perjurii. Et qvam circumſpectè abſolutio aut irritatio fieri debeat, patet *conſtitutione Electorali Saxon. 36. part. 2.*

Ad cap. ex reſcripto 9.

Caſus talis eſt: Abbas Tremenſis debuit non nemini certam pecuniæ ſummam, & in majorem ſecuritatem qvosdam ex monachis ſuis obſides dedit, & tam Abbas qvam monachi conventionem juramento confirmarunt, additâ hâc lege ut ſi obſides illi defuncti fuerint, eorum loco alii monachi in obſtagio ponerentur. Additi ſunt inſuper fidejuſſores Laici, nobile par conjugum, qvi interpoſito juramento fidem præſtiterunt, & obligationi adpromiſerunt. Talis conventio ſucceſſu temporis iniqva viſa fuit abbati & fratribus, qvam eandem ob cauſam neqꝫ fidejuſſores qvidem ſe obligari putarunt. Cumqve ea de re conſultus fuiſſet Pontifex, univerſos iſtos, ut juramentum ſervent, moneri jubet, gravi additâ pœnâ, nî faciant.

Ratio dubitandi eſt, qvia per obſtagium libertas hominis qvodammodo infringitur. Continet enim iſtud ſpeciem qvandam captivitatis, dum videlicet qvis promittit, in caſu non factæ ſolutionis ſe hæſiturum in certo loco, neqve inde moturum pedem, donec creditori ſatisfactum fuerit. Id qvod non iniqvum tantum eſt, ſed etiam injurium, dum alieno arbitrio devoti & DEo mancipati homines permittuntur, tùm & ſtatui monaſtico

co planè contrarium, qvod morari extra monaſterium monacho haudqvaqvam permiſſum ſit, etiamſi ad id juramento ſe obligaverit *c. 13. X. h. t.*

Ratio decidendi petitur ex vinculo juramenti, qvod qvia non vergit in interitum ſalutis æternæ, neqve calore iracundiæ, uti *in d. c. 13.* factum, ſed præmeditatò & conſentiente Abbate præſtitum eſt, ſervari omninò debet.

Qvæ in fine capituli pœna contumacibus & refractariis decernitur, interdicti ſcil. Eccleſiaſtici, ea abominandam continet tyrannidem Papalem. Nec enim ullus ejus ante annum à nato Chriſto milleſimum fuit uſus, uti præclarè id oſtendit. M. A. de Dominis *de Rep. Eccleſ. l. 5. c. 9. n. 38. ſeqq.* Et omninò impium eſt, propter debitum pecuniarium ſacra omnia prohibere, & peccantem ab omni auditione verbi excludere.

Idem Sardinenſibus] Antonius Auguſtinus legit: Idem Sanctonenſi & Cabillonenſi Epiſcopis. Cujacius pro Sanctonenſi legit Senenſem.

Ex reſcripto] qvod impropriè & extra uſum vulgarem hîc dicitur. Propriè enim reſcriptum dicitur id, qvod â ſuperiore provenit, uti notat Andr. Vallenſ. *ad tit. X. de reſcript.*

ſolidorum] Solidi non una & perpetua fuit æſtimatio & hinc difficilis redditur ejus ad noſtram monetam comparatio. *Vid.* Ren Budel. *de monet. l. 1. c. 22.* Bachov. *ad Treutl. diſp. de donat. th. 6. lit. C.* Lindenbrogg. *in Gloſſar. ad LL. veter. vocab. Solidus.*

ſi ipſi deficerent] vel morte naturali, vel diſceſſione ex loco nominato. Admittam enim qvod hîc ſingulariter ſtatuit Auguſtinus Barboſa, diſceſſum talem Monachis non fuiſſe interdictum, dum tamen alii ſubſtituerentur.

obſtagio] Obſtagium nihil aliud eſt, qvàm conventio, qvâ debitor vel fidejuſſor promittit ſe ſiſtere in certo aliqvo loco, nec inde diſcedere velle, donec fiat id qvod conventum eſt. Matth. Coler. *de proceſſ. execut. lib. 1. cap. 8.*

& in terrâ] Ex mente enim Canoniſtarum interdictum eſt vel locale, qvod immediatè locum afficit, prohibendo, ne in eo ſacræ functiones fiant, vel perſonale, qvod immediatè afficit perſonas, prohibendo, ne ſacris participent. Interdum hæc conjunguntur, ut & locus & univerſitas interdicantur, qvod interdictum mixtum dicunt. In hoc textu interdictum,

qvatenus monachos concernit, perſonale eſt, qvoad fidejuſſores, locale. Locale autem interdictum gravius eſt perſonali, qvia in illo virtualiter etiam perſonale includitur, non vice verſa. *cap. 16. de ſent ent. excomm. in 6.* Et interdictâ civitate caſtro, aut villâ etiam ſuburbia & contigua ædificia interdicta cenſentur. *cap. 17. eod.*

Hinc igitur noto I. pactum obſtagii ex ſe non eſſe illicitum. Qvod ſi enim debitor Creditori promiſerit, ſe in caſu deficientis ſolutionis ſubſiſtere velle in certo loco, & inde, donec ſatisfactum Creditori fuerit, recedere nolle, nec turpe qvid, nec iniqvum promittit. Dan. Moller. *l. 3. ſemeſtr. c. 30. n. 6.* Carpzov. *p. 2. conſt 22. def. 31.* Præſertim cùm jure Saxonico obligatio ad carceres illicita non ſit. *Vid. Conſtitutio Saxon. 21. part. 2.*

II. Pactum obſtagii propter abuſus, qvi in Germaniâ invaluerant, rectè prohibitum eſſe. *Vid.* Receſſus Imperii *de anno 1577. tit. 17.* & Conſtitutio Saxonica *22. part. 2.* Ubi enim abuſus tolli non poſſunt, prudenter Legislator prohibet totum id, qvod abuſibus infectum eſt, etſi ipſum ex ſe non ſit illicitum. Abuſus autem obſtagii qvales fuerint, exponit Dan. Mollerus *d. l. n. 7.* Gail. *2. Opſ. 45. n. 6.* Hering. *de fidejuſſoribus c. 17. n. 69.* Vent. de Valent. *in Parthen. litigioſ. l. 2. c. 2. n. 29.* Et hinc ait Carpzovius, pactum de qvo *ſub num. 1.* diximus, hodiè valere non jure obſtagii, ſed vi alterius voluntariæ conventionis. Et ita ſatius fuerit, nomen etiam ipſum, qvod aliqvando ſine vitiis adhærentibus concipi non poterat, rejicere & evitare.

III. Etiam fidejuſſores ſe ad obſtagium obligare poſſe. Et hæc obligatio etiam eo caſu valet, qvo debitor principalis ad obſtagium ſe non obligavit. Modeſtin. Piſtor. *qvæſt. 138.* Etſi enim fidejuſſor in cauſam graviorem obligari non poſſit, poteſt tamen obligari efficacius & firmius, intenſivè non extenſivè. *Vid.* Arn. Vinn. *in § 5. Inſt. de fidejuſſ.*

IV. Etiam mulieres ſe ad obſtagium obligare poſſe. Idqve in foro Saxonico poſt conſtitutionem Electoralem *21. part. 1.* minus dubium eſt, qvippe per qvam etiam ad carceres mulieris obligatio probatur. Locus tamen in qvem condicitur debet eſſe honeſtus, & caſtitati muliebri conveniens. Ut enim in popinis & publicis diverſoriis hæreat, ferendum non eſt.

V. Differre obſides à fidejuſſoribus. Monachus enim dari obſes ab abbate poteſt, non poteſt dari fidejuſſor. Cujac. *ad h. t.*

VI. Obli-

Digitized by Google

VI. Obligationem Obſidum eſſe qvidem libertati inimicam, nec tamen propterea ſervitutem inducere. *Vid.* Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 3. cap. 20. n. 53. ſeq.*

VII. De monachis tempore Alexandri III. autoris hujus decretalis, longè aliter ſentiendum eſſe, ac de monachis primis ſeculorum anteriorum: Monachiſmus ab initio non erat ſpecies novæ religionis, nec novus cultus, nec ſtatus perfectionis, nec ſecundus baptiſmus, nec opus, qvo mereatur remiſſio peccatorum, nec votum præcisè ligans & obligans, ſed modus vivendi cauſa diſciplinæ ſpiritualis, orationis & doctrinæ. Alius planè eſt novus monachiſmus poſt erectum Papatum ad ejus fulcrum & augmentum formatus. *Vid.* Carol. Molinæ. *ad auth. ingreſſi monaſteria C. de SS. Eccl. circa fin.*

VIII. Malè ex hoc textu confici, fidejuſſorem qvi ſe juramento adſtrinxit, perdere beneficium excuſſionis. Etſi enim de Theſi ipsâ minus nunc ſolliciti ſimus, qvod hîc in partes eant Doctores, & graviter inter ſe diſſentiant; ex unâ qvidem parte Andr. Fachineus *l. 3. contr. c. 15.* Dominicus Arumæus *exercitat. Juſtinian. 13. n. 18.* Joh. Ronchegall. *ad l. 3. §. ubi duo ff. de duob. reis n. 117. ſeq.* Anton. Gomez. *tom. 2. reſol. c. 13. n. 14.* Anton. Teſſaur. *deciſ. 166. n. 4.* Fernand. Vaſq. *p. 2. contr. c. 59.* Capell. Tholoſ. *deciſ. 139.* qvi omnes negant iſtum juramenti effectum; Ex alterâ autem parte, qvi affirmant Andr. Gail. *l. 2. obſ. 27. n. 23.* Anton. Gabriel. *l. 3. tit. de fidejuſſ. concluſ. 1. n. 46.* Joh. Guttierrez. *de juram. confirm. p. 1. c. 23. n. 26. ſeq.* & Doctores Saxonici communiter Carpzov. *p. 2. conſt. 17. def. 5.* Berlich. *p. 2. concl. 22. n. 25.* Dan. Moller. *ad dict. conſt. 17.* id tamen opinor, probationis loco malè adduci textum præſentem, propterea, qvod diſertè dicatur, fidejuſſores datos & obligatos fuiſſe in eum caſum, ſi fidem monachi non ſervarent. Ergò & juramentum fidejuſſorum in eum caſum erit accipiendum. Nec proinde hic beneficium excuſſionis tollitur.

IX. Mulierem qvæ ſpecificè juravit ſolutionem non jurari beneficio SCti Vellejani. Et hinc beneficium hoc differt à beneficio excuſſionis, qvia fidejuſſor excusſionis exceptionem opponens non recuſat ſolutionem; ſed eam recuſat mulier per exceptionem SCti Vellejani. *Vid.* Ant. Perez. *Cod. de fidejuſſ. n. 27.*

Ad

Ad c. qverelam 10.

Penſio, de qvâ in hoc textu agitur, eſt certa portio ex aliqvo beneficio vel menſa ex cauſa ad tempus non autem in perpetuum ſeparata, pendens à proprietate beneficii à qvo extrahitur, uti definit Aug. Barboſa *de jur. Eccl. lib. 3. c. 11. n. 3.* ſive: eſt moderata qvædam portio ex reditibus beneficii autoritate ſuperioris ad tempus ſeparata, per modum qvantitatis & cum cauſa adſignata, uti definit & membratim exponit Joh. Coraſius *de offic. Eccleſ. cap. 4. n. 6. ſeq.* Et fatetur Barboſa *d. l. n. 53.* antiqvioribus Eccleſiæ temporibus tales penſiones in uſu non fuiſſe. Idqve facit, ut vel hoc nomine de abuſibus ſuſpectæ fiant. Sanè ſi qvæ cum aliis olim communicatæ fuerunt ex miniſterio Eccleſiaſtico perceptiones, vel meritorum de Eccleſiâ vel inopiæ, vel infirmæ valetudinis vel ſenectutis videntur habuiſſe cauſam. Neqve tùm improbari tales poſſunt. Sed enim invaluit deinceps ſeculis ſeqvioribus, ut reſignationes officiorum, ſeu rectius beneficiorum Eccleſiaſticorum etiam abſqve juſtâ & legitimâ causâ fierent, eum in finem, ut reſignans à reſidentiæ debito ſe liberaret & onera vitaret perſonalia, miniſtrandiqve labores effugeret, penſiones autem ſibi reſervatas ſæpenumero non tenues interim perciperet. Id qvod non turpe tantùm eſt in Eccleſiâ audiri, ſed pene dixerim ſacrilegum. *Vid.* Marcus Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 9. c. 11. n. 18. ſeq.* & qvæ in utramqve partem diſputat Annæus Robertus *l. 1. rer. judic. cap. 7.* Unde ipſi qvoqve Germaniæ Principes in gravaminibus ſuis, qvæ in comitiis Noribergenſibus ſuperiori ſeculo Oratori Pontificio obtulerunt, graviter de reſervatis iſtiusmodi penſionibus conqveruntur *n. 17. & 18.* Nec qvicqvam tamen in Concilio Tridentino mutatum fuit, niſi qvod conſtitutum ſit, Epiſcopatus valoris mille Coronatorum & parochiales Eccleſias centum, penſionibus gravari non debere. In reliqvis vero opinionibus dubiũ remanſit, utrum una tantùm an duæ tertiæ ex fructibus penſionem facere debeant, uti refert Petrus Svavis *in hiſt. Concil. Trid. lib. 8.* cum tamen ad id, ut licitæ ſint penſiones, diſertè reqvirant Canoniſtæ, ut per modum qvantitatis non per modum qvotæ definiantur. *Vid.* Coraſ. *d. l. n. 10.* qvanqvam plurimi alii id ſimpliciter Pontificis arbitrio relinqvant. *Vid.* Petrus Gregorius *de benef. Eccleſ. cap. 20.* qvi interim non diffitetur, reſervationem penſionis, Simoniæ ſuſpicionem inducere, eiqve purgandæ Pontificis autoritatem neceſſariam eſſe.

Ta-

Talem penſionem Canonico Linconienſi in præſenti textu promiſerat Clericus, & qvidem ſub juramento, ſed per integrum deinde biennium ſolutionem intermiſerat. Reſpondet Pontifex, eum ut perjurum ab Eccleſiâ removeri debere, niſi per neceſſitatem ſolvere penſionem non potuerit.

Ratio dubitandi hîc eſſe poteſt nulla, aut ſi qva eſt, juramenti vinculum per eam haudqvaqvam ſolvetur. Iſtud tamen ſupereſt dubium, utrum neceſſitate coactus, an verò ex merâ petulantiâ ſolutionem omiſerit clericus, qvâ de re ulteriorem cognitionem inſtituere jubet Pontifex, ne ex nudâ relatione adverſarii inauditus condemnetur reus.

Ratio decidendi petitur ex commiſſo perjurio, ſi qvidem petulanter neglectum fuerit juramentum, qvia ſcil. non merentur Eccleſias regere, qvi ſunt crimine perjurii irretiti. Qvod ſi vero neceſſitate coactus Clericus ſolvere per biennium, penſionem promiſſam non potuerit, removeri non debet, ideò qvia ex neceſſitate qvæ fiunt, non intelliguntur fieri in fraudem. Unde etiam ille, qvi jurato promiſit judicio ſiſti, non videtur pejeraſſe, ſi ex conceſsâ causâ hoc deſeruerit. *l. fin. ff. qvi ſatisd. cog.*

Canonici] Canonicus hodiè dicitur, qvi præbendam habet. Et Canonicatus definitur qvod ſit jus percipiendi fructûs reditûs & obventiones rei Eccleſiaſticæ ex electione capituli vel collatione Patronorum acqviſitum.

nomine Eccleſiæ] Qvo jure Eccleſia hîc à Canonico ad Clericum translata fuerit, duplex apud Panormitanum *ad h. t.* habetur conjectura, vel qvod Eccleſia eſſet annexa præbendæ, vel qvod clericus iſte eſſet vicarius temporalis, & conductor fructuum illius Eccleſiæ. Prima potior eſt & veriſimilior.

de ſtaterâ] Textum hîc corruptum eſſe patet ex antiqvâ Decretali, qvam edidit Antonius Auguſtinus, ubi ita legitur. *Clericus ei duos bizantios nomine Eccleſiæ deſtinaverit, qvos annis plurimis perſolviſſet, & ſe illos annuatim ſoluturum &c.*

regere] regere hîc non eſt regio more imperare ſed prædicatione verbi, & exemplo gubernare & facere ea. qvæ bonum Eccleſiæ miniſtrum decent. Rob. Abbot. *de ſuprem. Reg. pot. prælect. 9. n. 6.*

Ad hoc cap. notandum I. in perjurii crimen omni jure ſeverè animadverti,

Digitized by Google

ti. Qvod etſi de jure civili negent Virgilius Pingiz. *quæſt. 39. n. 8. ſeq.* Andr. Rauchbar *p. 2. q. 3. n. 36.* Carpzov. *prax. crim. q. 46. n. 22. ſeq.* Anton. Perez. *Cod. de reb. cred. n. 35.* rectius tamen meo judicio affirmant Franciſcus Duarenus *in not. priorib. ad tit. de jurejur. cap. 33. & poſterior. c. 8.* Anton. Matthæ. *de criminibus tit. de perjur. n. 1.* Hahn *ad Weſenbec. tit. de jurejur. n. 12.*

II. Perjurum eſſe, qvi ſciens & prudens falſum jurat, aut juramentum præſtitum nullâ neceſſitate coactus violat. Perjurium enim non committitur ſine dolo. Joh. Bapt. Bajard. *ad Jul. Clar. ſ. perjurium n. 10.* Celſ. Bargal. *de dol. l. 3. c. 14. n. 10.* Dolus autem præſumitur ex eo, qvando qvis promiſſa non ſervat Aymo Cravetta *conſil. 6. n. 96.*

III. Excuſari eum & perjurii crimen non incidere, qvi ex neceſſitate aut impoſſibilitate ſuperveniente ſervare promiſſum non poteſt. Tiber. Decian. *tr. crim. l. 6. c. 11. n. 17. ſeq.*

IV. Perjurum meritò excludi dignitatibus ſive civilibus ſive Eccleſiaſticis. Perjurio enim infamia contrahitur *l. 41. C. de tranſact.* & infamibus portæ dignitatum non patent *c. 87. de R. J. in 6.* De aliis perjurorum pœnis. *Vid.* Phanuccius *de jurejur. part. 3. memb. ult.* Carpzov. *in prax. crim. q. 46.*

V. Ipſum Pontificem Rom. perjurii crimen incidere, qvando recuſat ſtare promiſſis, qvæ ante Pontificatum in conclavi juramento firmavit. Sede enim vacante (ſunt verba Petri Svavis *in hiſtor. Concil. Trid. lib. 1.*) ſolent Cardinales capita qvædam reformando regimini Pontificio in formulam redigere, qvæ ſinguli ſe exactè ſervaturos jurant, ſi fortè ipſi Pontificatum obtineant: licèt omnium ætatum experimentis teſtatum ſit, nemini propoſitum juramento ſtare, qvod ſtatim ab electione in Pontificem profiteantur ſe non potuiſſe obligari, vel ipsâ aſſumptione in pontificatum ſolutos ſacramenti religione &c. Pudeat verò vicarios Chriſti, qvales ſe jactitant, iſtiusmodi illuſionum & peſſimarum fidei datæ corruptelarum.

VI. Ex juramento promiſſorio ſi non ſervetur promiſſum, infamiam ipſo jure contrahi. Jul. Clarus *ſ. perjurium n. 3.* Hieron. de Monte *de finib. regund. c. 68. n. 2. 3.* Joh. Bapt. Plot. *de in lit. jur. §. 17. n. 2.* Vincent. Caroccius *de juram. deciſ. q. 1. 9. n. 22.*

VII. Ex hoc textu Cujacium non ſatis promptè colligere, bienni ceſſationem jure Canonico reqviri, ut Eccleſia à penſionario ad eum, qvi ei conceſſit, recurrat, ut ei committatur. Ratio enim remotionis non tàm ex ceſſatione bienni, qvàm ex commiſſo perjurio qværitur.

Ad

Digitized by Google

Ad c. tua nos II.

Agitur in hoc textu itidem de penſione promiſſâ, ſed ſub alio ſchemate, & caſu planè diverſo. Conſtitutum fuerat in Concilio Lateranenſi, ne penſio aut cenſus ab antiqvis Eccleſiæ impoſitus augeatur, neve novus imponatur, uti habetur *c. 7. X. de cenſib.* Hoc non obſervantes Monachi qvidam in Angliâ, qvi jus conferendi Eccleſiam ſive parochiam habebant, majorem ſolito penſionem cum exactione juramenti imperaverant. At cum Clericus ille Eccleſiam ſibi commendatam regere non poſſet, niſi poſt nominationem Monachorũ inſtitueretur & inveſtiretur ab Epiſcopo, novo tùm juramento opus fuit, per qvod ab Epiſcopo adſtringebatur ſe non majorem præſtare velle penſionem, qvàm præſtita fuiſſet à ſuis anteceſſoribus. Duo igitur iſta cùm inter ſe pugnent juramenta, utrum prævalere debeat, conſultus Pontifex, reſpondit, ſecundum potius eſſe, ſed indignos tamen miniſterio eſſe clericos ita jurantes, & proinde ab officio removeri debere.

Ratio dubitandi eſt, qvia inter duo juramenta, qvæ ſibi invicem repugnant, non poſterius, ſed prius ſervari debet, *arg. c. 33. infr. h. t.* Ratio rationis eſt qvia per prius juramentum alteri jam qvæſitum eſt jus, qvod ſubſeqvente juramento contrario interverti non poteſt.

Ratio decidendi eſt, qvia poſterius juramentum & ratione nititur & concilii Lateranenſis autoritate, prius verò ex cupiditate proceſſit. Ratio autem prohibitionis in concilio Lateranenſi fuit, qvia Clerico titulario proſpiciendum eſt, ut tantum habeat, qvantum ei fuerit neceſſarium, è contrario verò pravæ hominum cupiditates coërcendæ ſunt, ne Eccleſiaſticos reditûs miniſtrantibus debitos imminuant, & avaritiæ inſtrumenta faciant. Potius igitur eſt, ut nulli planè cenſus noviter imponantur, aut ſaltem non augeantur, qvi impoſiti jam ſunt, qvàm ut arbitrio id relinqvatur collatorum & patronorum.

aliqvid beneficii] beneficium aliàs ſcindi & dividi non poteſt. Et hinc volunt, penſionem per modum qvotæ imponi non poſſe. Sed obſervat Coraſius *d. c. 4. n. 11.* ex conſtitutione qvotæ non dividi beneficium, ſed tùm demum ſcindi, qvando ex uno duo efficiuntur.

præter ſolitam penſionem] qvæ alibi media eſt pars fructuum, alibi tertia.

Digitized by Google

Et jam ſupra dixi, non convenire potuiſſe patres in concilio Tridentino in qvantitate penſionis conſtituendâ.

inſtituuntur] Inſtitutio hîc nihil aliud eſt, qvam beneficii translatio facta ad præſentationem patroni ab Epiſcopo vel Ordinario in Clerum. Ea hodie plerumqve inveſtura dicitur.

pro perjurio] Ex his verbis nodum ſibi nectit Auguſtinus Barboſa, qvod omne perjurium validum præſupponat juramentum, & hinc conficit validum fuiſſe etiam prius juramentum, ſed eatenus tantùm, qvatenus obligationem produxerit in ſolius jurantis præjudicium ad ipſius vitam. Sed enim hâc ratione facilè liceret qvid committere contra legem, præſertim cum circa officium Eccleſiaſticum conventiones ad heredes non continuentur. Qvin potius dicendum eſt cum Joh. Bapt. Viviano *ad h. t.* primum iſtud juramentum planè fuiſſe illicitum & de re illicitâ, nec proinde ſervandum. Qvod autem hîc dicitur perjurium commiſſum, ſalva res eſt, ſi dicamus, triplex eſſe perjurium. Unum propriè dictum, qvod veritate caret: alterum qvando qvis de re illicitâ jurat tertium, ſi qvis ſine juſta causa demere jurat. Paul. Laymann. *Theol. moral. lib. 4. tr. 3. cap. 14. n. 1.* Perjurium igitur cujus hîc fit mentio, ex ſecundo genere eſt. Verba autem ſeqventia, *qvod vitare non poſſunt*, explico de inevitabilitate hypotheticâ, poſitò ſcil. qvod velint ad Eccleſiaſticum officium promoveri. Niſi dicere mavis, perjurium ideò dici, qvia pugnantia præſtitit juramenta, qvod fieri ſine perjurio non potuit.

Ex hoc textu colligo I. miniſteria Eccleſiaſtica non eſſe vanæ hominum libidini & cupiditati expoſita, & turpiter agere vel patronum vel ipſum miniſtrum, qvi munus iſtud inſtrumentum avaritiæ ſuæ facit.

II. Inter duo juramenta contraria prævalere id, qvod legibus conforme eſt, in actibus vero indifferentibus id, qvod prius præſtitum eſt. Qvod ſi leges prohibentes actum contrarium juratum admittunt, etiam tum, qvod prius præſtitum eſt, potius erit altero.

III. In genere morum dubia rectè decidi tùm ex rectâ ratione, tùm ex inſtitutis venerandæ antiqvitatis, poſito, ex Scripturâ Sacrâ, qvæ ubiqve primas facit, rem determinari non poſſe.

Ad cap. cum qvidam 12.

Caſus in antiqvâ Decretali ponitur iſte, qvod Epiſcopi qvidam ſub juramento ſolutionem pecuniæ, qvam debuerant, promiſerint, eam tamen non

non ſolverint. Qværebatur, qvid in ejusmodi Epiſcopos ſtatuendum ſit. Reſpondet Pontifex eos eſſe puniendos, & qvidem tanto gravius, qvanto majori eminent dignitate.

Ratio dubitandi peti poteſt ex uſu & conſvetudine, ſecundum qvam viliores perſonæ gravius, honeſtiores verò lenius puniuntur. Qvam in rem ex jure Romanorum legi poſſunt *l. 9. §. 11. l. 15. l. 28. ʃ. 2. & 5. l. 38. ʃ. 2. & 3. & 9. ff. de pœn.* Videtur autem Archi Epiſcopus Piſanus, ad qvem Decretalis hæc ſcripta eſt, in conſultatione ſuâ non tàm de pœnâ dubius fuiſſe, qvàm declinare voluiſſe judicandi actum, & hoc intendiſſe, ut ab ipſo Pontifice condemnarentur Epiſcopi perjuri.

Ratio decidendi petitur ab atrocitate delicti, & ex malo conſeqventi. Atrocitas in eo conſiſtit, qvod excellentius crimen fiat, ſi id digna veneratione perſona committat. Majore enim reatu delinqvit, qvi potiore honore fruitur, & graviora facit vitia peccatorum ſublimitas peccantium *c. nulli fas 25. q. 1.* Malum vero conſeqvens hoc eſt, qvod exemplo eorum, qvi cæteris dignitate præſtant, alii ad ſimilia facinora perpetranda provocentur. Hoc igitur ſi metuatur in civitate, coercenda erunt delicta atrocioribus pœnis. Nec qvicqvam obſtat ratio dubitandi, qvia illis caſibus idem præſupponitur utrobiqve delictum, & tùm perſonæ honeſtiores mitius puniri videntur tantùm in ſpeciem, cùm tamen pœnæ ipſæ qvantitate inter ſe non differant. At in hoc noſtro textu non eſt idem delictum ſecundum eandem qvalitatem, ſed gravius id eſt, & excellentius, ſi ex propoſito committatur à viro in dignitate conſtituto, qvam ſi committatur à perſonâ aliqvâ inferiori. *Vid.* Hahn *in Weſenbec. de juſtit. & jur. n. 11. in fin.* Danda ſc. eſt opera, ut hæc pœna, qvæ ſpectat hanc læſionem, illatæ offenſæ ſit proportionata. Qvod non fieret, ſi Epiſcopus non aliter puniretur, qvam Clericus aliqvis inferiori.

dignitate] Dignitatis vocabulum hìc generalem & vulgarem habet ſignificatum. Alias vero apud Canoniſtas ſignificat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum jurisdictione. Barth. Carthagena *in oppoſ. tit. jur. Canon. tit. de præbend. & dign. obſ. 4.*

Hinc notetur I. Pœnas commenſurandas eſſe delictis, & dandam operam, ut alia perſona nec majori nec minori pœnâ afficiatur, ſed ut cuilibet delinqventi æqvalis delicto pœna imponatur. Ut maximè igitur diverſitas pœnarum in diverſis perſonis eſſe videatur, ſi nudè & in abſtracto ipſum illud, qvod ſuſtinetur, ſpectes, non alia tamen nec diverſa eſt, ſi in

Digitized by Google

concreto ad hoc & nunc ſpectes, & in applicatione ad perſonam delinqventem. *Vid.* Dn. Struv. *in Syntagm. exerc. 1. n. 32.* Franzk. *tit. de juſt. & jur. num. 33.*

II. Creſcentibus delictis augeri debere pœnas. Cum enim finis pœnarum in reſpectu ad Remp. hic ſit, ut à vitiis homines deterreantur & tranqvillè inter ſe in civitate vivant, tanta utiqve in delicta ſtatuenda eſt pœna, qvanta videtur ſufficere ad abſterrendum homines ab hoc delicto. Qvando igitur ingens eſt periculum ab eo, qvi deliqvit, & talia hinc petuntur invitamenta ad peccandum, qvæ reprimi, niſi acribus remediis neqveunt, acuendæ & exaſperandæ ſunt pœnæ, etiam in primo delinqvente, ne latius ſerpat, qvod metuitur, malum.

Et hæc de parte textûs priori.

In poſteriori parte perhibentur nonnulli juraſſe, omne ſe commercium poſthac evitare velle cum parentibus ſuis & fratribus, nullaqve ſe amplius præſtituros officia, qvin nec verba qvidem cum iis commutaturos. Qværebatur, num obligare poſſit tale juramentum? Reſpondet Pontifex, illicitum id eſſe & contrarium rationi, atqve idcircò iſtiusmodi jurantibus pœnitentiam eſſe injungendam.

Ratio dubitandi eſt, qvia officia humanitatis parentibus & propinqvis debita non videntur ita neceſſaria eſſe, ut omninò non poſſint omitti. Qvid enim ſi peregrè qvis abfuerit, ut phyſicè impediatur talia officia præſtare? At qvæ ex phyſico impedimento naſcitur excuſatio, cur non etiam naſcatur ex impedimento morali per juramentum cauſato. Præcepta enim officiorum affirmativa obligant ad ea præſtanda non ſimpliciter ſed cùm poſſumus, & expedit pro exigentia circumſtantiarum. Potior igitur videtur ratio habenda eſſe juramenti, qvàm officiorum propinqvis non ſimpliter & abſolutè debitorum.

Ratio decidendi eſt, qvia tale juramentum, & actus ipſe etiam non juratus, pugnat cum præcepto Dei, qvod jubet diligere proximum, non naturali tantùm amore, qvalis ex naturali lumine erga proximum elicitur, ſed etiam ſupernaturali & cœleſti, eoqve multo ardentiori, *Gal. V, 22.* Malè igitur infertur ex impedimento phyſico ad impedimentum morale, qvæ planè diverſa ſunt & in nullo planè conveniunt. Nec impedimentum phyſicum ita ex intentione contrarii naſcitur, uti naſcitur impedimentum morale. Qvod ſi aliqvis ideò peregrè abeat, ut ab operibus charitatis exemptus

ptus ſit, non minus eum peccare certum eſt, qvam eum, qvi præſens negat. Præcepta enim affirmativa ita ſemper obligant, ut nunqvam admittant intentionem contrarii, cujus principium in ipſo exiſtit intendente.

humanitatis ſubſidium] i. e. omne officium debitum, tùm qvoad reverentiam & amorem, tum qvoad ſubſidia vitæ *l. 5. C. de patr. poteſt.*

abſolvendi ſunt] abſolutione ſcil. declarativa nullitatis vinculi, non abſolutione vinculi diſſolutivâ, qvippe qvâ opus non eſt, qvod juramentum ex ſe ſit illicitum. Aug. Barboſa *ad h. t.*

pœnitentia] i. e. pœnâ, qvæ aliàs ſatisfactio dicitur *c. 9. X. de pœnit. & remiſs. C nſ. c. 8. eod.*

Ex hoc textu noto I. Parentibus jure naturæ deberi reverentiam, obedientiam, & qvævis humanitatis officia. *Vid.* Selden. *de jur. nat. l. 7. c. 2.* nec illis tantùm, qvi in primo gradu ſunt, ſed etiam ulterioribus, qvod impiè negat Thomas Hurtado *tr. 1. reſol. 28. n. 300.* Qvatenus autem parentibus obediendum ſit, eleganter diſputat Agellius *l. 2. c. 7.*

II. Amorem proximi ita homini imperari, ut ne qvidem per juramentum eum declinare qveat. Qvi enim juravit facere id, qvod ſine peccato fieri neqvit, tantum abeſt, ut obligetur ad id faciendum, ut potius obligetùr ad non faciendum. *Vid.* Rob. Sanderſon *de juram. prælect. 3. ſect. 8. ſeq.*

Ad c. Sicut 13.

Circa hoc capitulum præmittendum eſt, Monachos olim monaſterio non fuiſſe ita alligatos, ut non licuerit eis ſtationem mutare, & vel functionem aliqvam Eccleſiaſticam capeſſere vel aliud vitæ genus eligere. Sed ſeqvioribus temporibus introductum eſt vinculum trium votorum monaſticorum, ſine qvibus deinceps nemo monachus dici poterat, & tùm includi cœperunt ita, ut monaſterium deſerere profeſſioni contrarium haberetur. Cujus rei originem Benedicto Monachorum Italicorum proavo transſcribit Polydorus Virgilius *de inventor. rer. l. 7. c. 2.* Videtur inter cauſas impulſivas fuiſſe etiam iſta, qvod ſe rebus civilibus & judiciariis ſæpiuſculè immiſcerent monachi, & publicam haud raro pacem turbarent, uti oſtendit *c. qvidam & c. de præſentium 16. q. 1.* Qvæ & ratio fuit, qvod Theodoſius Imp. eos Urbibus excluſerit *l. 1. C. Theodoſ. de monach.* ubi videri poterit Jacobus Gothofredus.

Re-

Digitized by Google

Receptâ & probatâ hîc Monachorum incluſione qværi cœpit in præſente capitulo de juramento, qvod Prior monaſterii cujusdam calore iracundiæ juraverat, nolle ſe in iſto monaſterio morari amplius, qvamdiu in eo eſſet monachus, cum qvo ei non benè conveniebat, utrum tale juramentum vim obligandi haberet, an minus?

Ratio dubitandi eſt, qvia tale juramentum non vergit in perniciem animæ, aut ſalutis æternæ detrimentum. Nec enim monachorum iſta in monaſterium incluſio ex jure divino eſt, ſed ex mero jure humano poſitivo, qvod aliter ſe habere poteſt. Et qvanqvam iracundiæ calore juratum fuerit, non erit tamen juramentum omnino nullum aut invalidum, cum non deficiat conſenſus etiam in irato.

Ratio decidendi non una eſt. Primò enim monachus ille qvi juravit, non eſt ſuæ poteſtatis, ſed ejus velle & nolle à ſuperioris arbitrio pendet. Uti igitur, qvi alienæ poteſtati ſubjectus eſt, non habet poteſtatem ſe obligandi in iis rebus, in qvibus ſubeſt: ita nec validè jurare poteſt. Deinde juramentum tale eſt profeſſioni monaſticæ contrarium. Sicut enim piſcis ſine aqvâ caret vitâ: ita ſine monaſterio monachus *c. placuit 16. q. 1.* Tertio pugnat hoc juramentum cum regulâ B. Benedicti, qvæ jurare omninò prohibet, uti dicitur in antiqva Decretali. Actus igitur, qvi omninò prohibitus eſt, non poteſt validari per juramentum.

Prior] Prior eſt vel conventualis vel clauſtralis. Ille cœnobio præeſt, in qvo non eſt abbas. Hic ſub Abbate eſt, & in ejus abſentia præeſt monachis Petr. Gregor. *de benef. Eccleſ. c.* 10. *num.* 22. Hîc clauſtralis intelligitur. Videtur enim Decretalis hæc ſcripta ad Abbatem, per verba: *Monaſterii tui.*

vinculo profeſſionis] qvaliter fiat ea profeſſio, diſci poteſt ex inſtitutionibus Lancellotti *l.* 1. *tit.* 30.

ſtabilitatis ſuæ] h. e. propoſitum non deſerendi monaſterium, ſed conſtanter in eo perſeverandi.

Ad hunc textum noto I. Juramentum calore iracundiæ præſtitum eſſe qvidem illicitum, ſed non ſemper eſſe nullum, poſito, fieri de re non illicitâ. Robert. Sanderſon *de juram. pral. 4. ſect. 4.* Nec enim verum eſt, qvod volunt nonnulli, iratos qvoad effectus juris furioſis comparandos eſſe. Sunt qvippe actiones eorum voluntariæ, eſtqve principium agendi in ipſis; ſciunt etiam circumſtantias actionis ſuæ, aut ut maximè ignorent, cau-

cauſa tamen ignorantiæ in ipſis deprehenditur. *Vid.* Ant. Matthæ. *de crim. in proleg. c. 2. n. 14.*

II. Rationes decidendi petitas eſſe ex principiis Pontificiorum, qvæ in noſtris Eccleſiis haudqvaquam recipiuntur. Vota enim monaſtica, qvalia hodiè in papatu nuncupantur, & fidei & charitati Chriſtianæ ſunt adverſa. Et qvia contra Scripturam S. inventa ſunt, ipſa tota damnabilia ſunt; qvia non ſunt in poteſtate hominis, pro impoſſibilibus meritò habentur; qvia ſuperſtitione referta ſunt, inter ſuperſtitioſa meritò referuntur. In noſtris igitur Eccleſiis textus hìc nullum habet uſum.

III. Pœnæ finem eſſe, non tantùm ut emendetur ipſe, qvi deliqvit, ſed etiam, ut à ſimili delicto deterreantur alii. Rectè A Gellius *l. 6. c. 14.* Peccatis puniendis tres ſunt rationes: emendatio peccantis, vindicatio læſi, exemplum in vulgus.

Ad cap. veritatis 14.

Clemens III. Pontifex Rom. remiſerat Gulielmo II. Regi Siciliæ hominium, ſive juramentum fidelitatis, ad qvod ille, ut vaſallus Pontificis tenebatur, ſed id non remiſerat Gulielmi heredibus & ſucceſſoribus. Mota hinc fuit in Gulielmi Conſiſtorio controverſia, ſicubi Gulielmi ſucceſſores juramentum iſtud aliqvando præſtitiſſent Pontifici, utrum iſto Pontifice defuncto, id novo Pontifici denuò, præſtare tenerentur. Et reſpondet Pontifex, ſufficere, ſi uni Pontifici id præſtetur, neqve erga ſucceſſores id iterari oportere.

Ratio dubitandi eſt, qvia contractus feudalis hanc habet ſingularem naturam, qvod alterutro contrahentium ſive dominus is fuerit, ſive vaſallus mutato, renovari debeat. Conſtat autem contractus feudalis inveſtiturâ ſive ſolenni feudi conceſſione, qvæ fit à domino, & fidei promiſſione juratâ, qvæ præſtatur à vaſallo. Seqvitur ergò, etiam domino mortuo renovationem talem fieri debere juxta *2. F. 24. & 40.* *Vid.* Dn. Struv. *diſp. Feud. 10. th. 1.* Ludwel. *de renovat. inveſtitur. c. 1.*

Ratio decidendi eſt, qvia, qvi juravit, ſe domino fidelem extiturum, videtur vi iſtius juramenti ſucceſſoribus jam ſatis obligatus, ut ita evitari poſſit juramenti iteratio. Maximè, cum hìc juretur in re ad dignitatem pertinente qvo caſu certum eſt, obligari jurantem omnibus in dignitate ſucceſſoribus.

Digitized by Google

aliis jurare] i. e. ſucceſſoribus. Sufficit enim uni juratum fuiſſe.

catholicis] Sine dubio hîc ſubinnuit Epiſcopatum Papæ Oecumenicum, toties à noſtratibus confoſſum & refutatum. Aliàs enim vocabulum catholicus idem denotat, qvod orthodoxus. Jacob. Gothofred. *ad l. 2. Cod. Theodoſ. de fide cathol.*

homagii] Rectius hominium dici notat Cujacius *in proœm. ad lib. 1. Feud.* uti etiam in veteri Decretali h. l. ſcriptum eſt. De vocabulo homagii videri poterit Georgius Ritterus *de homag. cap. 1.*

Hîc verò notandum I. Pontificem Romanum & pro eo Cardinalem Baronium Siciliam Inſulam Romanæ Eccleſiæ feudum venditare, ſed id negaſſe noſtro hoc ſeculo Hiſpaniæ Reges, & hoc nomine Baronii Tomum annalium undecimum proſcripſiſſe. Referente Gabr. Barth. Gramond. *lib. 1. hiſtor. Gall.*

II. Juramentum ex parte præſtantis eſſe perſonale & ad heredes non transire, ex parte vero recipientis eſſe reale h. e. transmisſibile ad heredes, etiamſi heredum & ſucceſſorum planè nulla facta fuerit mentio. Didac. Covarruv. *in c. qvamvis de pact. in 6. p. 1. §. 5. n. 7. ſeqq.* Auguſtinus Barboſ. *ad h. t. n. 5.* Gvid. Pap. *deciſ. 414.* Andr. Gail. *l. 1. obſerv. 27. n. 1.*

III. Deciſionem hanc Pontificis plurimis minus conſentaneam videri juri Feudali, qvibus proinde ratio dubitandi potior habetur. *Vid.* Gothofred. Anton. *diſp. Feud. 8. th. 2. lit. B.* Struv. *diſp. Feud. 10. n. 5.* à qvo tamen hactenus diſſentio, qvod ſtatuit, textum hunc non facere mentionem feudi, nec proinde de juramento ratione feudi præſtito accipi poſſe. Contrarium enim patet ex veteri decretali *c. 5. eod. in 2. compil.*

IV. Juramentum Vaſalli non ita eſſe neceſſarium, ut ſicubi id à domino remiſſum fuerit, feudum non ſubſiſtat, *2. F. 3. & 24.* Roſenthal *de feud. cap. 2. concluſ. 66.* Et qvia hinc juramentum ad naturalia contractus feudalis externa pertinet, qvæ per conventionem mutari poſſunt, non neceſſe eſt, ut ſtatuamus cum Udalrico Zaſio *de feud. part. 12. n. 24.* per remiſſionem juramenti feudum degenerare.

V. Ut maximè juramentum remiſſum fuerit, vaſallum tamen nihilominus ad omnia ea obligatum eſſe, qvæ aliàs juramento feudali continentur. Ludolph. Schrader. *de feud. p. 6. c. 7. n. 14.*

Ad

Ad cap. verum 15.

In antiqvâ Decretali dicitur, qvod hoc capitulum partem faciat capituli *cum non ab homine* cujus partes habentur *c. 10. X. de jurejur. & c. 14. X. de ſent. excomm.* Sed hoc in dubium vocat Cujacius *ad h. t.* Nos de his rebus, qvæ ferè nudis conjecturis conſtant, ſolliciti eſſe nolumus; Sed materiam ipſam aggredimur. Qværitur nempe, utrum abſolvendi ſint à vinculo juramenti, qvod metu extortum eſt? Reſpondet Pontifex abſolvi debere, nec tamen jubendos eſſe diſertè, ut juramentum non ſervent, ſed id tantum operari abſolutionem, ut juramenti neglectus non habeatur pro perjurio.

Ratio dubitandi eſt, qvia per abſolutionem videtur dari materia veniendi contra juramentum proprium, præſertim in tali cauſa, qvæ juramentum non facit vergere in diſpendium ſalutis æternæ. Hoc verò maximè evitare vult Pontifex, *c. 8. ſup. eod.*

Ratio decidendi eſt, qvia abſolutio non directè hoc operatur, ut qvis præcisè obſtrictus ſit poſt abſolutionem factam juramentum ſuum negligere, ſed ne noceat, ſi neglectum fuerit. Relinqvitur ergò adhuc jurantis arbitrio, num juramentum ſuum ſervare velit, an minus.

inviti] tales dicuntur hîc illi, qvi vi metuve adacti jurarunt, pro conſervatione ſcil. vitæ, aut bonorum ſuorum.

anteceſſores noſtri] In antiqvâ decretali nominatim memorantur Zacharias, Gelaſius, Gregorius VII. & Urbanus II. qvorum cùm decreta ordine interrupto habeantur *c. 3. 4. 5. cauſ. 15. q. 6.* putat Cujacius, ea hîc intelligi. Ego non repugnarem, ſi capitulum hoc noſtrum ſimilem caſum contineret, ſed iſte mihi videtur planè diverſus. In dictis enim decretis abſolvuntur ſubditi à juramento ſuperiori antehac præſtito, poſtqvam ſuperior ille nunc excommunicatus eſt, & qvidem diſertè prohibentur obedientiam præſtare. At in noſtro textu non diſertè prohibentur, qvi juraverunt juramentum obſervare. Non igitur agit de excommunicatis principibus, qvippe qvibus obedientiam præſtare nullo modò permittunt canones.

pro mortali crimine] Caveas tibi hîc ab intellectu peccati mortalis in ſenſu pontificio. Illa enim ita ſtatuunt peccata mortalia, ut eis contradiſtingvant peccata alia ſuâ naturâ venialia, qvæ ob levitatem ſuam veniam mereantur, qvæqve DEUS ſalvâ juſtitiâ ſuâ æternis ſuppliciis punire non poſ-

Digitized by Google

poſſit; Cum tamen omne peccatum ſuâ naturâ mortale ſit, & mortem æternam mereatur.

Notandum I. Juramentum promiſſorium circa bona fortunæ etiam vi extortum ſervandum eſſe, dum tamen non contineat in ſe qvid illiciti. Nec enim omnis deficit in jurante conſenſus. Neqve rectè dicetur coactus juraſſe, qvi cum poterat non jurare, maluit jurare. Morte interminatâ nî juraret, permiſſum eſt ipſius arbitrio, malitne damnum interminatum pati, an juramenti obligatione ab illo damno liberari. Deliberat, & eligit obligari. Ergo obligari vult, & qvi ſe velle obligari fatetur abſurde dicet, ſe coactum eſſe & propterea non obligari. Nec facit, qvod Latroni e g nihil debeatur, & hinc ei non obligetur viator. Ut maximè enim ceſſet obligatio reſpectu hominis, præſto tamen adeſt obligatio, qvæ per juramentum facta eſt DEO. *Vid.* Robert. Sanderſon *prælect. 5. ſect. 6.* Diſſentit Andreas Rauchbar. *p. 2. qv. 4.*

II. Circa abſolutionem à juramento duo eſſe obſervanda 1. ut admoneatur jurans, ne juramentum negligat, ſed id potius adimpleat. 2. ut non temerè fiat abſolutio, ſed cauſa accuratè cognita & perpenſis omnibus circumſtantiis.

Ad c. veniens 16.

Reſcriptum hoc eſt Innocentii III. ad cives nonnullos Venetos, de caſu tali: Titius conſiliarius Ducis Venetorum & Cajus convitiis ſe invicem proſciderant, & Titius hinc graves inimicitias ſibi excitaverat. Ut igitur transactione res componeretur, arbitratores perſvaſerunt Titio, ut juraret, facturum ſe, qvicqvid viſum fuiſſet civibus nonnullis Venetis, qvibus poteſtas jubendi data erat. Illi verò juſſerunt, ut Titius poſthac curiâ Ducis Venetorum abſtineret. Qvæſitum fuit, num præcepto huic obedire teneretur Titius?

Ratio dubitandi eſt, qvia generaliter & indefinitè juravit Titius, obtemperaturum ſe, qvicqvid cives illi Veneti juſſiſſent. Mandatum autem de non intranda curia Ducis Venetorum nec turpe eſt, nec animæ periculi infert, ut adeo, cur ſtare iſti juramento nô debeat Titius, ratio nulla appareat.

Ratio decidendi triplex affertur (1.) qvia Titius ut Conſiliarius Ducis Venetorum ei juramento obligatus eſt, cui propterea repugnat juſſus civium, propter qvem curiâ Ducis abſtinere oporteret. (2) Qvia jam ante multis promiſit Eccleſiis, qvod velit advocatiam earum in curiâ Ducis abſtinere,

re. Periret ergo iſta advocatia, ſi Ducis curiam intrare amplius non liceret. (3.) Qvia Titius non juraſſet, ſi ſciviſſet, tàm duram ſibi impoſitum iri conditionem, qvò facit *l. 30. ff. de oper. libertor.* Concludit igitur Pontifex, aut Venetos cives revocare debere mandatum, aut ex mandato ſuo Patriarcham Grandenſem, qvod id non obliget, denunciare debere.

partis utriusqve amatores] qvi partium conſenſu interveniunt, ut rem controverſam amicabiliter componant, aliàs arbitratores dicti.

in ſatisfactione] qvæ hîc pœnam denotat, uti monſtrant non tantùm verba ſeqventia, *ſe tale qvid commiſiſſe &c.* Sed etiam genus ſatisfactionis, qvod non fit parti, ſed in pœnam.

& in jure ſuo] qvod intelligo de jure, qvod Eccleſiis competit.

advocatus] ut eas in judicio & aliàs ab injuriis defenderet. Videtur igitur in hoc caſu limitatum fuiſſe officium conſiliarii & in eâdem curiâ compatibile cum officio advocati. Aliàs advocatias jus ſingulare eſt, & potentioribus competere ſolet, de qvo conſuli poteſt Mart. Mager *de advocatiâ cap. 9.*

patriarchæ Gradenſi] impropriè hunc vocari patriarcham notat Speculator *lib. 1. tit. de diſpenſat. ſ. ſunt qvoqve.* Conf. Joh. Selden. *in Eutychii Orig. pag. 8.*

Notandam I. mutuas injurias, niſi per legitimam fiant retorſionem, compenſatione non tolli, ſed utrumqve de injuriâ ſuâ agere poſſe. *Vid.* Carpzov. *pr. crim. q. 97. n. 42. ſeq.* Seb. Medic. *de compenſ. p. 1. q. 48. n. 2.* Petr. Binsfeld. *ad c. 1. X. de injur. & damn. dat. concluſ. 9. & 10.*

II. Lædendum teneri ad ſatisfactionem. Inſtitutum in eam rem olim fuit judicium recuperatorium, qvod de æſtimandis injuriis cum recuperatione habebatur. *Vid.* Joh. Coraſ. *miſcell. l. 3. c. 18. n. 7. 8.*

III. Satisfactionem debere eſſe proportionatam læſioni. Aliàs lædens ipſe per exceſſum læditur, & ſic de injuriâ ſibi factâ juſtam qverelam inſtituet.

IV. Juramentum ad non cogitata & ultra intentionem jurantis non extendi. *l. ult. in pr. ff. ad municip. c. humanæ 22. q. 5.* Didac. Covarr. *in c. qvamvis de pact. in 6. p. 2. §. 6. n. 10. ſeq.* Lud. à Peguera *deciſ. 138. n. 6.* Joh. Guttierrez *de juram. confirm. p. 1. c. 71.* Sig. Scaccia *de ſent. & rejud. gl. 7. q. 3. lim. 4. n.*

 72, ita

72, ita ut ne qvidem in reſpectu ad DEUM juramentum tale obliget. Suarez *de juram. l.1. c.11. n.3.*

V. Inter duo juramenta contraria prævalere id, qvod prius præſtitum eſt. *Vid. ſupr. c.11. h.t.*

Ad cap. brevi 17.

Ad faciliorem hujus capituli intellectum præmittendum eſt, fuiſſe jam à multis temporibus certos Eccleſiis qvibusdam Patronos, Defenſores, Protectores & Advocatos conſtitutos, qvi eas ab injuriis atqve vi defenderent. Principes qvidem eas, qvæ in territoriis ſuis extructæ erant, ex officio tueri tenebantur, ſed hoc jus protectionis ordinarium erat, cui accedebat, nonnunqvam extraordinarium illud, qvod Eccleſiis ſibi non ſubditis adverſus vim impertiri ſolebant illi, qvi alias ex munere ſuo ad id non obligebantur. *Vid.* Petr. de Marca *de concord. ſacerd. & imp. lib. 1. c. 12. n. 1.* & inprimis Martinus Mager. *à Schönberg. de advoc. arm.* Ab iſtiusmodi Advocatis ſolebant præſtari juramenta, ut eo arctius obligarentur, & fidem datam eo magis obſervarent, uti notat Magerus *cap. 14. n. 114. ſeq.*

De tali Advocato, qvi juramento protectionem promiſerat, movetur hîc qvæſtio, utrum perjurii reus ſit, ſi reqviſitus protectionem non ſuſceperit, ſed à reqviſitione ad Pontificem Romanum appellaverit. Et reſpondet Pontifex, appellationem eum à perjurio, qvod hâc ratione commiſit, non excuſare.

Ratio dubitandi petitur ab appellatione interpoſitâ. Qvia enim hæc ſuſpendit totum negocium, & hinc reqviſitio facta parum adhuc roboris habet, ut proinde de effectu neglecti juramenti nihil affirmare nunc liceat, nondum etiam perjurii reus erit dicendus, qvi ad reqviſitionem Eccleſiæ non ſubvenit.

Ratio decidendi petenda eſt tùm ab ipsâ frivolâ defenſionis denegatione, tùm à temeritate appellationis. Illa ſufficit ad perjurii reatum, hæc eum auget. Nempe duplex hîc ſubeſt cauſa, qvæ utraqve conſcientiam conſtringit; altera Eccleſiæ, cui defenſio promiſſa eſt, altera juramenti. Utraqve talis eſt, ut rebus omnibus anteferri meritò debeat, nec alium admittat excuſationem, qvàm impoſſibilitatis, & qvæ illi æqviparari poſſit, difficultatis.

pro

propoſſe] i. e. pro virili, & qvatenus facultates admittunt. Qvæ verba in omnibus promiſſionibus, etiam non juratis, ſubintelligenda ſunt, cum ad impoſſibile nemo obligetur *c. 6. de R. J. in 6.*

ſub juramenti debito] Ut ita præciſè reqviratur Advocatus, nec aliàs perjurium committat, neceſſe non eſt. Auget tamen culpam, qvod de juramento diſertè admonitus, obſervare illud noluerit.

reatum incurrat] i. e. reus fiat. In reatum deducere h. e. reum facere, dixit Conſtantinus Imp. *in l. 29. C. ad L. Jul. de adult.*

Notandum hîc I. Juramentum ab Advocatis Eccleſiarum aut monaſteriorum præſtari ſolitum, non eſſe fidelitatis vaſallaticum, nec ſubjectionis, ſed protectionis tantùm. *Vid.* Mager. *de advoc. arm. cap. 9. n. 234. ſeq.* Nec vice verſâ ſubmiſſio in protectionem ullum jus transfert, nec proinde protegendi protectoris fiunt ſubditi. *Dn.* Pareus *ad aur. prax. Calvol.* §. *Landſaſſu concluſ. 1. n. 82. 83.*

II. Appellationem à gravamine etiam extrajudiciali fieri poſſe; qvod jure civili qvidem rarius, jure Canonico verò freqventius locum habet, ita ut hoc jure à qvocunque gravamine extrajudiciali, non illato tantùm, ſed etiam adhuc inferendo, ſi modo propè inferendum eſt, & qvis jure hoc metuat, appellare liceat. *Vid.* Beſold. *de appell. c. 7. n. 12.* Sig. Scaccia *de appell. qvæſt. 2.*

III. Impoſſibilitatem ut & difficultatem adimplendi promiſſum excuſare à perjurio. Jul. Clar. *lib. 5. ſent.* §. *perjurium n. 10.* Exempla habet Gregor. Sayr. *in Clav. reg. lib 5. cap. 7. num. 8.* Ratio eſt, qvia perjurium non committitur ſine dolo. Joh. Bapt. Bajard. *ad Jul. Clar. d. l. n. 10.* *Conf.* Hering. *de fidejuſſ. c. 19. n. 112. ſeq.*

IV. Peccare, qvi qvid facit contra juramentum, nec tamen pro perjuro illico habendum eſſe, niſi qvid faciat vel omittat, qvod directò pugnet cum juramento. *Vid.* Carpzov. *part. 2. conſt. 6. def. 3.*

Ad cap. qvanto 18.

Circa initium ſeculi XIII. cum Saraceni adhuc Hiſpaniam tenerent, & Alphonſus IX. Rex Caſtellæ bellum adverſus eos gereret, in auxilium ad Alphonſi copias venit Petrus II. Arragoniæ Rex, ad qvem Decretalis hæc ſcripta eſt. Cùm verò militibus ſuis Petrus in ſtipendium ſolveret monetam à Patre ſuo Alfonſo cuſam, ſed juſto pondere deſtitutam, & hinc illi

me-

metuerent, ne moneta iſtâ reprobatâ damnum ſentirent, ut in fide eos retineret, juravit Petrus ad ſuggeſtionem Conſiliariorum ſuorum, velle ſe ad definitum aliqvod tempus monetam eam adhuc conſervare. Patuit verò deinceps ex eventu, multum & confuſionis & damni ex uſu talis monetæ in Remp. derivari, & hinc pœnitentiâ ductus Petrus, juramenti antehac præſtiti ne ſibi amplius obſtaret, remiſſionem petiit à Romano Pontifice. Qvæſitum hinc fuit in Conſiſtorio Pontificis, utrum remiſſio talis & abſolutio à juramenti obſervatione in hoc caſu ſit neceſſaria, cum utiqve abſolutione opus non ſit, ſi vel juramentum omninò non obliget, vel aliâ aliqvâ ratione ei ſatisfieri posſit. Et negat Pontifex, abſolutionem in præſenti caſu eſſe neceſſariam, ſed inqvirendum potius eſſe in jurantis conſcientiam, & hinc interpretationem juramenti faciendam.

Rationem dubitandi ſuggerit ipſe Aragoniæ Rex, qvod ſe putat juramenti vinculo ita conſtringi, ut adverſus id qvicqvam committere ducat piaculo, cum omne juramentum ſervari debeat, qvod non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, *c. 8. & 28. h. t.* nec tantum videatur damnum iſtud in Rep. ex depravatâ monetâ emergens, qvantum eſt damnum animæ ex neglectu juramenti proveniens.

Rationem decidendi Pontifex tali complectitur dilemmate, ut Regis jurantis conſcientiam exploret & inſtruat: Eo tempore, qvo juraſti aut falſam credidiſti eam monetam, de qva qvæſtio eſt, aut legitimam. Si falſam, non debes ſervare juramentum, qvippe qvod hoc caſu illicitum eſt, & iniqvitatis vinculum continet, pœnitentiam tamen agere debes propter juramentum temerè & in causâ peccaminosâ præſtitum. Si legitimam credidiſti, juramentum non eſt illicitum, & idcircò ſervari debet qvovis modo. Non verò neceſſe eſt, ut præcisè id obſerves eo modo qvo conceptum eſt, ſed ſufficit, ſi in locum monetæ paternæ, qvæ non debiti eſt ponderis, aliam ſub nomine Patris tui monetam juſti ponderis facias, eam autem, qvæ in pondere deficit, reprobes.

Verum enim verò conſilium hoc Pontificis, ut rectè obſervat Cujacius *ad h. t.* falſam monetam aliam falſæ monetæ ſupponi ſvadet, & clavum, ut dicitur, clavo. Eſt enim falſa non minus, qvæ nomen præ ſe fert ejus, qvi nunqvam cudi eam juſſit, qvàm qvæ juſſu ejus cuſa poſtea juſto pondere diminuta eſt. Et qvanqvam per illam damno non perinde afficiatur Resp. atqve per hanc, Princeps etiam, qvi ſub Patris ſui defuncti nomine juſtam

& le-

& legitimam cudit monetam, defraudare eam dici neqveat, in præſenti tamen caſu juramenti habenda eſt ratio, cui per ejusmodi commutationem ſatisfieri non poteſt. Juraverat Rex Aragoniæ, ſe Patris ſui conſervare velle monetam; Pontifex ſvadet, ut monetâ illâ reprobatâ aliam cudat ſub nomine Patris. At qvæ reprobatur moneta, utiqve non conſervatur, & qvæ ſubſtituitur, non illa ipſa eſt, qvæ conſervari propter juramentum debuit. Res igitur hæc in Conſiſtorio Pontificis ita potius decidi debuiſſet, qvod non valeat juramentum Regis, etſi legitimam eſſe monetam crediderit. Ratio eſt, qvia obſervatio ejus repugnat bono publico & tranqvillitati politicæ, atqve in his etiam charitati erga proximum.

ſcandalum] h. e. contentio, litigium. *Vid.* Lindenbrogg. *in Gloſſar. Leg. Germ.*

indiscretè] vocabulum hoc conſtruendum eſt non cum verbo egeras, ſed cum verbo revocare, hoc ſenſu: tu vis ſine diſcrimine & nulla obſervata diſtinctione juramento firmatum promiſſum revocare.

ſuppliciter] Hoc ad faſtum referimus Pontificis Romani, qvod ſupplices ſibi eſſe velit Reges.

pœnitentia] h. e. pœna à Sacerdote impoſita in ſatisfactionem peccati, ex ſenſu pontificio, *vid. c. 8. & 12. X. de pœnitent. & remiſſ.*

habuit meliorem] i. e. fac nummos omnium, qvos Pater tuus fecit, optimis ſimiles. Sed tamen hâc ratione nunqvam faciet Pontifex, ut nummi ita cuſi, ſint nummi paterni, etſi paternam exhibeant imaginem.

Veruntamen] Redit ad prius, qvod ſupra propoſuit, membrum, & inani repetitione de pœnitentiâ monitum inculcat.

Notandum hinc I. Rei illicitæ nullam planè eſſe obligationem, ita ut ne qvidem juramento firmari poſſit. Eſt autem illicitum qvicqvid eſt contra aliqvod DEI præceptum in Decalogo, aut contra bonos mores; qvicqvid repugnat pietati erga DEum aut charitati erga proximum; qvicqvid bono publico adverſatur, aut paci Eccleſiaſticæ, politicæ, domeſticæ; ſummatim, qvicqvid in ſe continet aliqvam rationem peccati. Qvi ergò juravit facere id, qvod ſine peccato fieri neqvit, tantum abeſt, ut obligetur ad id faciendum, ut potius obligetur ad non faciendum. At juratum non adimplere perjurium eſt, inqvies. Imò verò ſi res ſit illicita, in qvam juratum eſt, tunc pejeraſti cum juraſti: non pejeras, cum contra facis. Robert. Sanderſon *prælect. 2. ſect. 13.*

II. Falſam eſſe doctrinam Caſuiſtarum de juramenti commutatione. Eſt autem commutatio nihil aliud, qvàm translatio obligationis ab unâ materiâ ad aliam, qvæ ſive major, ſive minor, ſive æqvivalens videtur eſſe, aliqvo reſpectu commodior. Tali commutatione dicunt tolli obligationem præexiſtentem à materia priori; & induci de novo obligationem in materia diverſa. At hoc falſum eſt, niſi acceſſerit conſenſus ejus, cui juratum eſt. Qvia jus, qvod ei per juramentum acqviſitum eſt, ipſi invito auferri neqvit.

III. Relaxationem ſive abſolutionem à juramenti vinculo fieri non poſſe ab ulla poteſtate humana. Juramenti enim ſuprema obligatio ad DEum ſpectat, nec ſubeſt humanæ autoritati. Poteſt tamen juramentum à ſuperiore irritum declarari, ſi in ea materia, qva de juratur, eſt ſuperior. Atqve hinc poteſtas irritum declarandi juramentum in his terris ſupremo competit Principi. *p. 2. conſtitut. 36.* qvæ ibi poteſtas relaxandi dicitur, ſed non eo ſenſu, qvo eam accipiunt Canoniſtæ, qvippe qvi differentiam faciunt inter poteſtatem irritandi, qvam illi transſcribunt, qvi habet poteſtatem in rem promiſſam, & poteſtatem abſolvendi aut relaxandi ſeu diſpenſandi, qvam adſcribunt Romano Pontifici & aliis prælatis, licet eis nulla poteſtas in rem promiſſam competat. Greg. Sayr. *clav. reg. lib. 5. c. 8. n. 7.*

IV. Mutationem monetæ fieri debere cum conſenſu populi, nec qvicqvam propterea decedere majeſtati imperantium. *Vid. de jurib. maj. exerc. noſtram XV. n. 12.*

V. Materiam probæ monetæ non liga tantum abſolvi, ſed etiam juſto pondere. Et hoc eſt, qvod conſtituit Imp. Conſtantinus *l. 1. C. de vet. numiſm. pot.* ſolidos non ſpeciei tantùm probæ, ſed etiam debiti ponderis eſſe debere.

VI. Ex mutatione monetæ maxima in Rep. oriri incommoda, atqve hinc ad principem ſpectare, ut monetam integram & illibatam ſervet.

Ad cap. venientes 19.

Conſules Tudertini, magiſtratum ineuntes, jurare ſolebant, ſe, qvod in cauſis mutui & fidejuſſionis judicatum eſſet, intra viginti octo dies, executioni mandare velle. Ratio hujus juramenti videtur eſſe, qvod cauſæ iſtæ celerem reqvirerent expeditionem. Interpoſitæ verò à ſententiis haud rarò fuerunt appellationes; qvibus deferre Conſules juramenti ſui

ſui memores noluerunt. Idqve reprobat hîc Pontifex, & abrogatam vult iſtam conſvetudinem.

Pro Conſulibus faciebat juramentum, qvo devincti erant, qvippe qvod omnem videbatur repudiare appellationem, cum ita non poſſent intra 28. Dies ſententiæ executioni mandari.

Pontifex verò rationem decidendi ſumit ex valore juramenti, qvatenus id obliget, &, qvia in omni juramento exceptum intelligi debeat jus ſuperioris, concludit, etiam hoc Tudertinorum Conſulum juramentum non obligare in præjudicium Superioris, ad qvem appellatum fuit, appellationes igitur & recipiendas & executiones ſententiarum interim differendas eſſe. Ratio rationis eſt, qvia is, qvi alienæ poteſtati ſubeſt, non habet poteſtatem ſe obligandi in iis rebus, in qvibus ſubeſt, niſi ex voluntate ſuperioris, cui ſubeſt.

aſperè conveniri] i. e. cum gravi aliqva increpatione.

plagiariis] Cujacius legi vult, *plegiariis*, h. e. fidejuſſionibus.

Hinc verò de juramento ejus, qvi alteri ſubeſt, notandem I. Non debere ſubditum in iis rebus, in qvibus alteri ſubeſt, jurare ſe facturum qvidqvam absqve præſumpto ſaltem ſuperioris conſenſu. Qvod ſi ſecus fecerit, jurando contra officium peccat, & tenetur illud juramentum ut officio ſuo contrarium non ſervare.

II. Si ſub tali præſumptione conſenſus ſuperioris juraverit, obligatur ad faciendum, qvamdiu non videtur id eſſe contra voluntatem, dignitatem aut utilitatem ſuperioris.

III. Non eſſe neceſſariam jurisdictionem Eccleſiaſticam ad irritationem talis juramenti, ſed ſatis eſſe, qvod ſuperior habeat poteſtatem in rem juramento promiſſam.

IV. Ad irritandum tale juramentum non eſſe neceſſarium conſenſum ejus, qvi juravit, cum id eo etiam invito fieri poſſit.

V. Nec neceſſariam eſſe cauſæ allegationem, ſed ſufficere nudam ſuperioris contradictionem, & irritationem.

VI. Superiorem, ſi expreſſo conſenſu ſuo ſive antecedente ſive ſubſeqvente promiſſionem ſubditi ſemel confirmaverit, non poſſe eandem poſtea irritam facere.

VII. Si ſuperior, qvam primùm rem reſciverit, diſſenſum ſuum ſubdito ſignificaverit, ceſſare continuo obligationem ex tali juramento, & ſubditum ex officio teneri contra, qvam juraverat, facere.

Vid. Robert. Sanderſon *de juram. prælect. 7. ſect. 6.* Greg. Sagr. *in clav. reg. lib. 5. c. 8. n. 6.*

VIII. Nullo ſtatuto tolli poſſe appellationem ad ſuperiorem. Vergeret enim hoc in præjudicium ſuperioris, adverſus qvem nulla inferiori competit poteſtas. Bachov. *ad Trentl. vol. 2. diſp. 33. lit. A.* Cornell. Borell. *tom. 2. decis. tit. 33. n. 1221. ſeqq.*

IX. Sententiam in prima inſtantia latam per appellationem interpoſitam aut ſuſpendi, *l. 32. §. 3. C. de appell. l. 32. C. de tranſact.* (qvod fit tùm, qvando appellans ſuperiorem non adit, qva ratione ſententia prior in rem judicatam tranſire poteſt, appellatione nimirum deſerta) aut extingvi, *l. 1. §. ult. ff. ad SCt. Turpil.* (qvando ſcil. appellans apud judicem ſuperiorem appellationem ſuam proſeqvitur, qvia tùm non ex priore ſententia, ſed ex nova, qvæ in ſecunda inſtantia pronunciatur, executio inſtituitur. Fr. de Caldas *ad l. 3. C. de in int. reſt. in definir. verſ. per qvod priſtinum num. 35.* Oſwald. Hillig. *in Donell. enucl. lib. 28. c. 4. lit. A.* Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 10. def. 3.* Neutro caſu judex inferior ſententiam ſuam exeqvi poteſt, qvia tota cauſa interim pendet, & habetur qvaſi nec judicatum eſſet, *l. un. ff. nihil innov. appell. int. l. 3. C. de appell.*

X. Judicem inferiorem non injuſtæ appellationi deferre teneri, alioqvin de jure Canonico punitur arbitrariè *c. 31. X. de appell.* jure verò civili 30. libris auri *l. 21. C. de appellat.* Qvin & ſtatuunt nonnulli, juſtè reſiſti judici, qvi juſtam appellationem rejiciens ſuam exeqvi vult ſententiam. Joh. Coraſ. *apud. Hillig. l. 28. c. 9. A.*

XI. Judicem de facto ſententiam ſuam ſpreta appellatione exeqventem attentare, & omnia hinc revocare atqve in priſtinum ſtatum reſtituere debere.

Ad cap. ad noſtram 20.

Malè concipitur ſummarium hujus textus, qvod jurans uſuras non repetere, poſſit juramento non obſtante ex nova cauſa repetere. Sive: qvod qvi juravit nec per ſe, nec per alium repetere uſuras qvas ſolvit, poſſit qværere alia via, veluti denunciando judici, ut judex ex officio inqvirat & cogat. Nihil in hoc textu habetur de repetitione aut denunciatione, ſed hoc

tan-

tantum dicit Pontifex, ad ſuam audientiam perveniſſe, unde pervenerit, non explicat. Caſus talis eſt: Debitores qvidam ſolverant fœneratori uſuras permultas, præſtito juramento, qvod repetere eas nolint. Fœnerator ille teſtamento deinde damnavit heredem, ut uſuras iis omnibus reſtituat, qvi ſe dediſſe probarent. Ex illis qvi juraverant, nemo repetebat, heres verò nec offerebat. Qværebatur, utrùm cogi poſſet heres ut reſtitueret, & qvia illi repetere nolebant, qvâ ratione convinci poſſet heres de acceptis à defuncto uſuris.

Rationes dubitandi ſunt (1) qvia judex non communicat officium niſi imploratus *l. 4. §. 1. ff. de damn. inf.* Deficiente igitur actore non magis condemnari poterit reus, qvam actore non probante (2) qvia actores propter juramentum præſtitum actione in præſenti caſu excluduntur, qvibus exceptio jurisjurandi perpetuo opponi poteſt *§. 4. Inſt. de except.* (3) Qvia condemnari non poteſt reus, niſi confeſſus & convictus. At in præſenti caſu deficiunt probationes qvibus canonici poſſit, cum deficiat actor, qvi probationes facere debet.

Pontifex vero his utitur rationibus decidendi. (1) qvia cauſa hæc concernit jus publicum, qvod nec pactis nec juramentis privatorũ mutari poteſt. Ratio hæc decidendi colligitur ex eo, qvod Pontifex proceſſum inqviſitionis præſcripit. (2) Qvia fœnerator defunctus teſtamento damnavit heredes, ut uſuras debitoribus reſtituant. Ergo qvia & lege & diſpoſitione hominis obligati ſunt heredes ad reſtitutionem, jubet Pontifex, ad indagandam veritatem, ut ex ſuggeſtu, teſtes hujus rei, ſi qvi fuerint, ſub pœnâ excomunicationis ad teſtimoniũ dicendum provocentur, & ſi inde de ſolutione uſurarũ conſtiterit, heredes ad reſtitutionem earum compellantur.

Non obſtat ratio dubitandi prima, qvia regula iſta patitur exceptionem, qvando judicis officium concernit id, in qvo verſatur publica utilitas *l. 13. de offic. præf.* Non ſecunda, tùm qvia in delictis vindicandis non opus eſt, ut expectetur actor. Non tertia, qvia neqve hoc intendit Pontifex, ut rei condemnentur non confeſſi nec convicti; ſed propterea tamen neceſſe non eſt, ut probationes præcisè ab actore inſtruantur.

Atqve hæc eſt œconomia reſponſi hujus Pontificii, cujus principium eſt, uſuras jure naturali & divino vetitas eſſe. De qvo qvid ſentiendum ſit, *dixi ſupra ad cap. 6.*

Ex hoc textu notantum I. Etiam de jure canonico obligare juramentum,

tum, qvod præſtitum eſt ſuper dandis uſuris, non obſtante, qvod uſuræ eo jure ſint illicitæ. Volunt enim Canoniſtæ, non peccare eum, qvi ſolvit uſuras, ſed eum tantùm, qvi accipit. *c. 6. X. h. t.*

II. Cauſam uſurarum eſſe mixti fori, h. e. tam apud Eccleſiaſticum, qvàm ſecularem judicem de iis agi poſſe. Didacus Covarruv. *var. reſol. lib. 3. c. 3.* Henric. Caniſius *tit. de uſur. c. 9. n. 4.* Hentic. Zoeſ. *ad tit. X. de uſur. c. 54.* Ludov. à Peguera *deciſ. 30.* Qvo faciunt Receſſus Imperii *de ann. 1530. & 1548. rubr.* von wucherlichen *Contracten.*

III. Teſtatoris ſupremam voluntatem pro lege ſervandam eſſe, *Novell. 22. cap. 2.*

IV. Malè hîc à Pontifice præſcribi, ut ſub pœnâ excommunicationis teſtes, qvi ignorantur, ad teſtimonium dicendum excitentur. Nititur hoc communi canoniſtarum diſtinctione, qvâ excommunicationem aliam canonis faciunt, aliam judicis, ſed qvam exagitat Marcus Antonius de Dominis *lib. 5. de Rep. Eccleſ. cap. 9. n. 22.* Enimverò nullus talis comminationis apparet effectus. Pone, non venire teſtes, qvi hactenus ignorantur, qvomodo excommunicari illi deinceps poterunt? Dicis, in conſcientiâ eos ſentire, ſubjacere ſe pœnæ excommunicationis. Reſpondeo ligamen illud conſcientiæ pertinere ad tribunal divinum, neqvaqvam ad forum Eccleſiæ externum, in qvo excommunicatio fieri debet. Breviter; excommunicari neqvit, niſi ille, qvi notus eſt.

V. In delictis judicis eſſe officium, ut inqvirat, non expectato actore, aut accuſatore.

Ad cap. ad noſtram 21.

Præmittendum hîc I. Diſtingvi à JCtis notorium à manifeſto. Illud nulla indigere probatione, hoc probari debere contendunt. Notorium, dicunt, qvod notum eſt omnibus, vel majori parti, manifeſtum autem, qvod publicè pluribus patet, non tamen omnibus aut majori parti. Ita poſt antiqviores Joſephus Maſcardus *concluſ. 1016. n. 3. & 8.* Mynſing. *cent. 6. obſ. 3. n. 7.* Econtrario verò diſtinctionem hanc prorſus rejicit, & inter hæc tria, manifeſta, evidentia & notoria nullum omninò diſcrimen admittit, Cujacius *ad tit. Decretal. de teſtib. cog.* Nobis iſta JCtorum diſtinctio non omninò videtur inutilis, Etſi enim ea apud Latinos autores fortè non inveniatur, inter ea tamen qvæ omnibus aut majori parti, & qvæ pluribus tantùm nota ſunt, qvoad modum probandi diſcrimen aliqvod ſtatui poſſe,

ſe, nemo negabit. Qvo poſito, vitio non erit vertendum JCtis, ſi illa notoria, hæc verò manifeſta termino artis dicant. *Vid.* Alciatus *ad l.33.ff. de V. S.*

II. Notorium duplex eſſe, juris aliud, aliud facti. Notorium juris dicunt eſſe jus plenè diſcuſſum atqve deciſum, qvale notorium faciunt acta, probatio valida, ſententia judicis &c. Et hinc notorium hoc juris dicunt eſſe vel diſpoſitionis, vel præſumptionis, vel probationis. Notorium facti dicunt iſtud, qvod ita ſenſus incurrit, ut nullâ ratione celari aut negari poſſit. Cumqve factum aliud ſit continuum, & permanens, aliud momentaneum, etiam notorium hinc vel facti permanentis faciunt vel momentanei, qvibus alii inſuper addunt notorium facti interpolati. *Vid.* Dornsperger *in ſyntagm. jur. lib. 1. cap. 41.* Vultej. *in jurispr. Rom. lib. 2. c. 2. n. 8.* Althuſ. *in dic. ad. l. 3. c. 37. n. 22. ſeq.*

In præſenti capitulo juraverat Archi Epiſcopus Neopolitanus tempore inaugurationis, velle ſe in omnibus cauſis ordinem judiciarium obſervare. Qværebatur, num obſervare etiam teneretur in iis, qvæ notoria ſunt. Et hoc Pontifex negat.

Ratio dubitandi ex juramenti vinculo petitur, qvippe qvod hoc loco nullam videtur continere iniqvitatem, cum verſetur circa proceſſum, qvi ex diſpoſitione hominis uniformis eſſe poſſit.

Ratio decidendi petitur tùm ex inſtitutis & traditionibus canonicis, qvæ habentur *c. manifeſta 2. q. 1. c. 3. X. de teſtib. cog. c. 9. X. de accuſat.* tùm ex ratione juris, qvia in notoriis planè fruſtraneus eſt ordo judiciarius. Hic enim ordo ideo inſtitutus eſt, ut judici de facto conſtet, & ut ſententia pronunciari poſſit, At ſi jam conſtat judici de facto, nihil opus eſt iſto ordine. Et hinc dicitur, qvod notorium vim habeat ſententiæ. Hæc non attendiſſe Archi Epiſcopum dicit Pontifex, aut ſi attenderit, perjurium potius ab eo commiſſum eſſe, & hinc ſervari tale juramentum non debere. Sed qvia Pontificium hoc eſt artificium, ut juramentũ qvolibet modo ſervatum benigniter excuſent, atqve id interpretatione qvalicunqve emolliant, etiam hîc applicare iſtud artificium voluit Innocentius. Negat igitur, contra juramentum præſtitum committi, ſicubi Archi Epiſcopus in notoriis omiſerit ordinem judiciarium, & ait juramentum ita explicari poſſe, ut aut contineat caſum præſentem, aut non contineat, ſed nec eò trahi debeat. Primum explicandi modum ſubtilem eſſe dicit. Nempe, qvia ordo judiciarius

rius in aliis cauſis uſitatus. Res concludenda eſt ſyllogismo, ut eo clarior fiat:

Qvicunqve obſervat ordinem judiciarium, ille ſatisfacit juramento de ordine judiciario ſervando præſtito.

Qvi in notoriis non obſervat ordinem judiciarium, ille obſervat ordinem judiciarium.

E. qvi in notoriis non obſervat ordinem judiciarium, ille ſatisfacit juramento de ordine judiciario obſervando præſtito.

Minor probatur, qvia ordo judiciarius in notoriis hic eſt, qvod non obſervetur ordo judiciarius.

Sed enim qvis non videt, in meras æqvivocationes hoc argumentum diffluere, & aliter accipi medium terminum in ſubjecto majoris, aliter in prædicato minoris propoſitionis, atqve hinc fieri argumentationem à non diſtributo ad diſtributum.

Similis farinæ eſt explicatio altera, qvà Pontifex juramentum, qvod univerſaliter de omni cauſa præſtitum eſt, reſtringit ad illas cauſas, in qvibus ordo judiciarius ſervandus eſt, ita ut ſub illis non contineantur notoria. At verò ex cavillandi arte deprompta hæc eſt interpretatio. Omne qvi dicit, nihil excludit, commune eſt JCtorum axioma. Qvod ſi ita per limitationes fidem univerſaliter datam reſtringere liceret, qvis ſtipulatorum ex promiſſione ſibi facta ſecurus eſſe poſſet?

Satius igitur eſt dicere, juramentum tale, univerſaliter qvidem de omnibus cauſis conceptum intelligi, ſed qvatenus jus publicum offendit, non obligare, & Archi Epiſcopum in cauſis notoriis eo non teneri.

qvaſi per extorſionem] particula *Qvaſi* improprietatis nota eſt. Nec ergò putandum, veram hîc extorſionem factam fuiſſe, ut maximè à non lubente præſtitum juramentum fuerit.

Ordinem judiciarium] qvi præſcriptus eſt lege publicâ, qvalis in omnibus benè conſtitutis judiciis habetur.

ſed perjurium potius] Dicitur hoc perjurium impropriè, qvia falſitatem qvodammodo in ſe continet. Nam qvi rem illicitam ſeu injuſtam jurat, is obligatus eſt dictum ſuum falſum efficere, abſtinendo ab opere. Paul. Laymann, *theol. mor. lib. 4. tr. 3. cap. 14. n. 1. ſ*

No-

Notandum hinc I. rectè adſtringi judicem jurejurando, qvod ſecundum leges, conſtitutiones & laudabiles locorum conſvetudines judicare velit. *l. 14. C. de judic.* Gail. *1. obſ. 36. n. 14.*

II. In notoriis ordinem juris ſervari non debere. Sed hoc locum tantum habere dicunt in cauſis criminalibus, non in civilibus. Dornſperger *in ſyntagm. jur. lib. 1. c. 41.* Et hinc volunt nec probatione qvidem tùm opus eſſe. Alii tàm in civilibus qvam criminalibus diſtingvunt notorium facti permanentis & transeuntis, illud non probari, ſed allegari tantùm, hoc verò etiam probari debere contendunt. Joſeph. Ludovic. *part. 2. deciſ. 67. n. 16. ſeqq.* Mynſing. *cent. 6. obſ. 3.* Joh. Guttierrez *de juram. confirm. p. 1. c. 70. n. 4.* Sed enim ipſa etiam allegatio eſt qvædam probatio. Et hinc non malè Antonius Mattheus *de criminib. tit. de probat. c. 1.* ſtatuit, aut nullum eſſe crimen verè notorium, aut ſi qvod eſt, non aliud eſſe, niſi qvod palam & inſpectante populo vel in conſpectu judicis & circumſtantis coronæ perpetratum eſt, ita ut etiam eodem loco, qvo perpetratum eſt, accuſetur, & recens ſit ejus memoria.

III. Jusjurandum contra vim legum & autoritatem juris nullius eſſe momenti. *l. 112. inf. ff. de legat. 1.* Illicitum enim eſt his, qvi ſunt membra alicujus communitatis, qvicqvid legibus illius communitatis repugnat. Illicitum vero id eſt, ut à DEO prohibitum non primariò, immediatè & in ſpecie, ſed ſecundariò, mediatè & in genere, vi illius generalis mandati divini, qvod præcipit obedientiam Rectoribus in omnibus licitis & honeſtis.

IV. Perjurum eſſe, qvi jurat rem illicitam, nec ſervari id juramentum debere. Ratio fluit ex antecedenti, qvia tale juramentum nullam habet vim obligandi.

V. Juramenti verba ita explicari debere, ut omnis abſit cavillatio. Incidit enim & hic in perjurii crimen, qvi novo excogito commento juramenti vim, ſalvis verbis, declinat, & eludit. Ideoqve aut non præſtetur juramentum, ſi non debeat nec poſſit ſervari, aut ſi fas eſt præſtari, & licet adimplere, ſine fraude & ſimulatione ſervetur.

Ad cap. Ea te 22.

Archi Epiſcopus Turritanus nomina Pontificis Rom. à judice Calaritano

no in Sardiniâ exegerat juramentum fidelitatis. Judex id præſtare recuſaverat, eò qvod juramentum tale præſtitiſſet ArchiEpiſcopo Piſano. Id indignè ferens Pontifex utrumqve increpat, judicem qvidem in hoc textu, Archi Epiſcopum vero Piſanum *in c. 17. X. de præſcript.* & à judice juramentum adhuc exigit.

Ratio dubitandi petitur ex eo, qvod jam tùm præſtitum fuerit tale juramentum Archi Epiſcopo Piſano, qvippe cui ex longâ conſvetudine præſtari ſemper moris fuit. Deinde etiam ſatis jam proſpectum videtur Pontifici dum juramento hæc fuit clauſula inſerta: *Salvo Apoſtolicæ ſedis honore.*

Ratio decidendi petitur ex dominio Inſulæ, qvod ea pertineat ad jus & proprietatem B. Petri. Et hinc fidelitatis juramentum illi potius præſtandum eſt, qvi eſt inſulæ Dominus. Habeat ergo ſibi Judex Calaritanus, qvod alii juraverit, atqve ita onus ſibi auxerit.

Ad rationem dubitandi reſpondet Pontifex, juramentum præſtitum aut contrarium eſſe juramento, quod Pontifex exigit, & tùm illud ut illicitum non eſſe ſervandum; aut non eſſe contrarium, & ſic nullam ſubeſſe rationem, cur præſtare novum hoc juramentum nolit.

Atque ita qvidem *κατ' ἄνθρωπον* reſpondit Pontifex judici, nihil addendo de priore juramento, juſtè id præſtitum fuerit, an minus. Sed in reſcripto, qvod ad Archi Epiſcopum Piſanum dedit, iniqvè prius iſtud juramentum à judice exactum fuiſſe, multis rationibus concludit.

diſcretione] i. e. judicio, in qvo ſignificatu vocabulum hoc in Decretalibus ſæpè occurrit.

Turritanus] qvi itidem eſt in Sardiniâ.

fidelitatis] h. e. obedientiæ ſuperiori debitæ, qvod aliàs dicitur juramentum ſubjectionis. Thom. Mont. *de homag. tit. 1.*

Deducitur ex hoc textu I. Solventem alii qvam vero Creditori non liberari, etiamſi accipiens caveat de indemnitate.

II. Juramentum fidelitatis per procuratorem poſſe exigi, poſſe etiam per procuratorem præſtari *c. un. §. verum, de ſtat. regular. in 6.*

III. Proteſtationem facto contrariam nihil operari. Fruſtra hîc excepit judex Calaritanus honorem Apoſtolicæ ſedis, qvem dum alii non debitum juramentum præſtitit, potius labefactavit. Ut nec aliàs injuriam extingvit honoris præfatio. Covarruv. *lib. 1. var. reſol. c. 11. n. 1.*

IV. Ex

IV. Ex variis cauſis præſtari poſſe fidelitatis juramentum pluribus, dum tamen juramenta ipſa inter ſe non pugnent.

Ad cap. Qvintavallis 23.

Caſus talis eſt: Qvintavallis Vicarii filiæ cum filiabus Johannis Bertii ad jurgia & rixas, tùm & ad verbera conceſſerant. Vindictam dehinc minabantur Bertii filiæ, qvam ut declinaret Qvintavallis, ex conſilio vicinorum addito juramento promittebat, velle ſe, qvicqvid Bertii filiæ juſſiſſent, præſtare. Illæ, ſi qva repetita poſthac fuerit injuria, vel liberorum exheredationem, vel uxoris repudiationem poſcebant, pro ratione ſcil. injuriam inferentis. Qværebatur, utrum tale juramentum ſervari debeat. Negat id Pontifex, ſed ita, ut prius revocatio poſtulati Bertii filiabus injungatur, qvæ ſi impetrari neqveat, ut tùm demum juramentum non obligare declaretur.

Ratio dubitandi eſt (1) qvia juramentum tale eſt licitum. Facit enim ad ſatisfactionem, ad qvam tenentur omnes illi, qvi alteri injuriam intulerunt. Petr. Binsfeld. *ad cap. 1. de injur. & damn. dat. qv. 11. concluſ. 1.* (2.) qvia juramentum præſtitum generaliter conceptum fuit, ita ut nihil exceptum ſit, ad qvod teneri jurans noluerit.

Ratio decidendi eſt qvia juramentum trahi non debet ad ea, qvæ ſunt contra bonos mores, qvæq; & naturalibus & civilibus legibus repugnant. Repugnat autem exheredare liberos absqve causâ legibus probata. Repugnat dimittere Uxorem extra cauſam adulterii. Qvæ cum Patri juranti non venerint in mentem, neqve jurejurando ea comprehendere voluiſſe intelligitur. Nec eſt præſumendum, qvod qvaſi generaliter jurando voluerit ſe ad illicita obligare, ad qvæ, etſi voluiſſet, de jure non potuiſſet. Joh. Bap. Vivianus *ad h. t.* Et ſic igitur, qvæ cogitata non fuerunt, qvæqve bonis moribus adverſa ſunt, præſtari propter juramentum præſtitum haudqvaqvam debeat.

Illud miror, qvare Pontifex filiabus Bertii, ut mandatum revocent, injungi, alioqvi qvod jurans ad mandati obſervationem non teneatur, denunciari velit. Ultimum enim hoc ex ſe ſufficeret; & qvid tùm opus eſt, ut mandatum revocetur, ſi non obligat?

Digitized by Google

pro offensa] Vocabulum hoc utplurimum activè ſumunt Doctores, ita ut ſit ejus qvi offendit, qvemadmodum è contrario offenſionis vocabulum paſſive accipiunt.

mulieribus] Mulieris appellatione etiam virgo viri potens continetur. *l. 13. ff. de V. S. & ibi* Gœddæus.

contumelioſum] Differt contumelia ab injuria. Seneca *lib. de conſtant. ſap.* Contumelia eſt minor injuria, qvam qveri magis qvam exeqvi poſſumus, qvam leges qvoqve nullâ dignam vindictâ putaverunt. Promiſcuè tamen his vocabulis utuntur JCti, uti patet *ex l. 7. §. 7. ff. de injur.*

removeret] i. e. repudiaret.

Obſervandum hinc I. Eum qvi injuriam intulit teneri, ad ſatisfactionem parti adverſæ. Eaqve olim privatim expediri & ferè jurejurando transigi ſolebat: Juro te indignum hâc contumeliâ eſſe vel videri. Scip. Gentil. *ad Apuleji. apol. p. 458.* Atqve hinc dixit Pacuvius, jurejurando extergeri noxas qvotidianas.

II. Poſt ſatisfactionem nullam ſupereſſe injuriarum actionem *l. 17. §. 6. ff. de injur.*

III. Actionem injuriarum dari adverſum Patrem injuriantis, filium defendentem. *l. 36. ff. de injur.*

IV. Juramentum in genere præſtitum de faciendo, qvicqvid alter mandaverit, non eſſe illicitum. Qvia tùm mandatum ſubintelligitur tale, qvod bonis moribus non fuerit adverſum.

V. Jurantem ſe velle obtemperare & facere, qvicqvid alter juſſerit, non teneri obtemperare, ſi qvid ille iniqvi juſſerit. Ratio eſt, qvia mens jurantis non cenſetur fuiſſe, qvod etiam tùm parere velit, ubi non debet. Gregor. Sayr. *in clav. reg. lib. 5. c. 7. n. 6.*

VI. Exheredationem liberorum fieri non poſſe, niſi ex cauſis in jure probatis. *Novell. 115. c. 3.*

VII. Divortium inter Virum & Uxorem non habere locum, niſi ex cauſa adulterii aut malitioſæ deſertionis.

VIII. Ea qvæ lege prohibita ſunt, nullâ conventione mutari & licita fieri poſſe.

Ad

Ad c. tua nos 24.

Inter Conjuges facto divortio juramentum interceſſerat, ſe nunqvam poſthac in gratiam redire & repetere ſe invicem velle. Maritus pœnitentiâ ductus, poſtqvam utrinqve adulterium commiſſum eſſet, Uxorem repetebat. Illa diſcedere ſe ab adultero, & caſtitatem promittere, aut, ne invita marito redderetur, Saracenam ſe fieri velle, contendebat. Conſultus eâ de re Pontifex, nî ad continentiam ſervandam commoveri conjuges poſſent, Uxorem, ut ad maritum revertatur, cogi debere reſpondit.

Ratio dubitandi eſt, (1) qvia juramentum de re non illicitâ ſervandum eſt. At tale hîc eſt juramentum à Conjugibus præſtitum. Poſſunt enim conjuges mutuo conſenſu continentiam vovere *c. qvod Deo 33. q. 5. c. 1. X. de converſ. conjugat.* Poſſunt igitur tale votum etiam juramento confirmare. (2) qvia ponitur in facti ſpecie à marito adulterium commiſſum fuiſſe. At hoc caſu licet alteri religionem ingredi, & tum cogi neqvit, ut redeat *c. Agathoſa 27. q. 2.* qvod in fortioribus terminis procederet ex ſententiâ noſtratium, qvi per adulterium ipſum conjugii vinculum ſolvi defendunt.

Ratio decidendi eſt, qvia pactum inter conjuges de ſeorſim habitando repugnat ſubſtantiæ matrimonii, neqve conjugum arbitrio ſubjacet, & occaſionem præbet committendo adulterio. Et hinc juramentum additum non temerarium tantum eſt, uti hîc ait Pontifex, ſed de re etiam planè illicitâ.

Ad rationem dubitandi primam reſpondet Franciſcus de Caldas *de empt. & vend. cap. 30. n. 12.* conjuges in hoc textu non amore continentiæ ſervandæ tale pactum iniiſſe, ſed ex pravo affectu. Ad ſecundam reponi poteſt, ab utroqꝫ conjugum hîc adulterium commiſſum eſſe, & hinc paria crimina mutua compenſatione deleri, neqve alterum alterius conſortium declinare poſſe *c. fin. X. de adulter.*

Nec obſtat, ſi ad reſponſionem primam regerere velis, videri conjuges amore continentiæ tale pactum iniiſſe, cùm Pontifex ad continentiam ſervandam eos ante omnia ad moneri velit. Reſpondet enim adhuc Franciſcus de Caldas pactum iſtud hoc operari, ut induci debeant conjuges ad promittendam continentiam, per id tamen continentiam nondum eſſe promiſſam, neqve promitti poſſe citra alterius conſenſum.

Digitized by Google

Cæterùm qvod admoneri hîc vultPontifex conjuges ad ſervandam continentiam, cavendum eſt ne innitamur ſententiæ Papiſticæ de facilitate continentiæ ſervandæ, qvam ſolidè, refutavit Chemnit. *exam. concil. Trid. part. 3. cap. 8.* Nec ergo induci qvis debet ad promittendam continentiam.

Saracenam] Nomen hoc unde deducatur, multa inter eruditos lis eſt, neqve qvisqvam hactenus fuit, qvi eam componere potuit. *Vid.* Didac. Covarruv. *lib. 4. reſolut. cap. 9.* Andr. Rivet. *in Geneſ. exercitat. 104.* Nicol. Fuller. *lib. 2. miſcell. c. 12.*

excommunicationis] an majoris? Ita videtur, *per cap. pen. X. de ſentent. excomm.* ut tamen à minore excommunicatione initium fiat.

appellatione remotâ] Clauſula hæc non omnem excludit appellationem, ſed eam tantùm, qvæ moratoria & fruſtratoria eſt, qvæqve ſpecialiter non eſt probata aut permiſſa. Cujac. *ad cap. 53. X. de appellat.* Auguſtin. Barboſ. *clauſ. 9.*

Notandum hîc I. Matrimonium eſſe talem viri & mulieris conjunctionem, qvæ individuam vitæ conſvetudinem contineat, non qvoad intentionem tantùm, ſed etiam qvoad converſationem omnemqve fortunæ communionem, ita ut Uxor maritum etiam exulem & vagabundum ſeqvi teneatur. Alb. Gentilis *l. 2. de nupt. c. 18.*

II. Non magis poſſe conjuges mutuo conſenſu ſeparatim habitare, qvam poſſunt mutuo conſenſu matrimonium ſolvere.

III. Donum continentiæ eſſe ſingulare, & conjugem qvi eo præditus non eſt, malè conſentire in abſtinentiam ab uſu conjugii, niſi ad tempus, & qvantum natura permittit. *1. Cor. VII, 5.*

IV. Vota monaſtica eſſe de impoſſibilibus, & vel non nuncupanda, vel debitâ pœnitentiâ expianda eſſe.

V. Conjuges non habere poteſtatem ſui corporis, nec ergò defraudare ſe invicem, nec circa uſum conjugii qvanqvam altero invito qvicqvam disponere poſſe.

VI. Adulterium ſolvere vinculum conjugii, & totum fundamentum tollere, ita ut parti innocenti cum aliâ perſonâ nuptias contrahere liceat.

VII. Paria delicta mutuâ compenſatione tolli, *l. 39. ff. ſolut. matr.* ſc. qvoad intereſſe privatum & actionem ad id directam. Achill. Perſonal. *de adipiſc. poſſ. n. 284.* Num verò mutuum adulterium ita in compenſationem veni-

veniat, ut pœna ordinaria locum habere neqveat, vid. Scheffer. *part. 3. q. 2.*

Ad cap. qvemadmodum 25.

Capitulum hoc, qvia prolixum eſt, & inſignes aliqvot continet caſus matrimoniales, ut de ejus ſenſu exactius conſtet, in ſeqventes reſolvemus propoſitiones.

Prop. I. Qvi juravit mulieri, velle ſe eam habere Uxorem legitimam, propter fornicationem ejus præcedentem repudiare eam non poteſt.

Ratio dubitandi eſt, qvia caſtitas videtur eſſe de ſubſtantia matrimonii, ita ut à contrahente ſponſo caſtitatis conditio tacitè ſubintelligatur, nec qvisqvam cenſeatur conſentire in eam, qvæ fornicatione polluta eſt, niſi id non neſciat.

Ratio decidendi eſt, qvia, ſi qvis cum ſtupratâ contrahit, qvam caſtam eſſe putat, errat tantùm in qvalitate qvæ ſalvo matrimonio adeſſe & abeſſe poteſt, cùm nuptiæ etiam cum meretrice conſiſtere qveant. Accedit vinculum juramenti, qvod, qvia non vergit in detrimentum ſalutis æternæ, ſervari debet.

Hic verò animadvertendum eſt, fortiorem eſſe rationem dubitandi, qvâm eſt ratio decidendi. Etſi enim error ille in qvalitate conſiſtere videatur, ad ipſam tamen formam conjugii referri debet, cum ipſum corpus, ex qvo materia conjugii conficitur, attingat. Unde contra Pontificem ſtatuendum eſt propter fornicationem præcedentem poſſe mulierem repudiari, ut maximè ſponſalibus juramentum acceſſerit, qvæ tum extendi iſtud ad ignorata non debet. *Vid.* Gerhard. *Loc. de conjug. num. 109. ſeq.* Paul. Cypræus *de ſponſal. c. 13. §. 39. ſeq.* Dominic. Arumæ, *in Colleg. Pandect. diſp. 15. num. 6.*

Prop. II. Qvi juravit mulieri, velle ſe eam habere Uxorem legitimam, ſi poſt promiſſionem hanc fornicata fuerit, repudiare eam poteſt.

Ratio dubitandi eſt, qvia fortius eſt vinculum juramenti, qvàm ut per ſupervenientem fornicationem elidi poſſit, cum in genere iſtud conceptum, nullusque omninò caſus exceptus fuerit.

Ratio decidendi eſt, qvia in juramento præſtito talis conditio ſubintelligenda eſt, ſi in legem conjugii mulier non peccet, neque quid, quod conſenſui contrarium eſt, committat.

Prop.

Digitized by Google

Prop. III. Sponſus non poteſt repudiare ſponſam propter fornicationem præcedentem.

De hâc propoſitione, qvia iisdem nititur rationibus dubitandi & decidendi, qvibus illuſtrata fuit propoſitio prima, idem etiam ferri debet judicium. Et ſi repudiari poteſt Uxor jam demum ducta, qvando ab alio ſtuprata & imprægnata reperitur, uti ſupra dixi, multo facilius ſponſa talis repudiari poterit.

Prop. IV. Sponſus poteſt repudiare ſponſam propter fornicationem poſt ſponſalia commiſſam, non obſtante juramento ſponſalibus annexo.

Rationes dubitandi & decidendi conveniunt cum rationibus propoſitionis ſecundæ, quibus addit Pontifex alias rationes duas, alteram ab abſurdo, alteram à minori ad majus. Argumentum ab abſurdo hoc eſt, qvod alias ſponſus teneretur etiam eam ſponſam uxorem ducere, qvæ poſt juramentum præſtitum palàm ſe proſtituit. A minori autem ad majus ita infert: Si Uxor juſtâ ex causâ adulterii dimitti poteſt, qvod eſt minus probabile, etiam ſponſa ex eâdem cauſa repudiari poterit.

Tenendum tamen (1) anteqvam repudium permittatur, ante omnia tentari debere reconciliationem, & monendum eſſe maritum aut ſponſum, ne repudiet. Carpzov. *in Ip. Conſiſt. lib. 2. def. 195.* (2) non audiendum eſſe maritum aut ſponſum, qvi ſciens & prudens cum ſtupratâ contraxit, multo minus eum, qvi cum uxore aut ſponſa ab alio ſtuprata, gnarus ſtupri, rem habuit. Carpzov. *def. 197.*

Prop. V. Maritus Uxorem leproſam, paralyticam, oculos vel naſum amittentem repudiare neqvit.

Ratio dubitandi eſt, qvia in talem ab initio non conſenſit, & qvia ſponſus ſponſam, qvæ poſt ſponſalia leproſa facta eſt, aut in alium morbum perpetuum & ſonticum incidit, Uxorem ducere non cogitur, uti patebit ex propoſitione ſeqvente.

Ratio decidendi eſt, qvia conjuges ut bonorum ita etiam malorum omnium & adverſitatum communionem habere debent. Nec obſtat exemplum ſponſi, qvia multæ ſunt cauſæ, qvæ non dirimunt matrimonium contractum, impediunt tamen contrahendum.

Prop. VI. Sponſus ſponſam, qvæ poſt ſponſalia leproſa facta eſt, aut paralytica, aut oculos vel naſum amiſit, repudiare poteſt, etſi juramento ſponſalia firmaverit.

Ra-

Digitized by Google

Ratio dubitandi petitur ex vinculo & obligatio juramenti, qvod non ſervatum vulnerat conſcientiam, cui tamen ne qvid adverſi accidat, maximè ſolliciti ſunt canones.

Ratio decidendi petitur ex defectu conſenſus, qvod qvi in ſanam & illæſam conſenſit, non videatur conſenſiſſe in morbidam & ſauciam. Et juramentum additum, uti tota promiſſio intelligitur valida ſub clauſula: rebus ſic ſtantibus. Beuſt. *de ſponſal. cap. 10. pag. 17.*

Diſtingvimus nos inter morbos contagioſos, qvalis eſt lepra, lues Venerea, paralyſis aliiqve plures, & tales, ex qvibus nulla metuenda eſt infectio. De prioribus certum eſt, repudio faciliorem eſſe locum, ſive de conjugibus qvæſtio fuerit ſive de ſponſis, ita tamen, ut aliquod temporis ſpacium expectetur, intra qvod, num curari adhuc morbus poſſit, clariora ſe exſerere poſſint indicia. Circa reliqvos verò, qvi contagioſi non ſunt, ut maxime deformitas aliqva inde reſultet, in conjugio jam contracto repudium admittendum non eſt. Qvæ enim non labefactant integritatem vinculi ſeu fidei conjugalis, ne exiſtat, aut exiſtens violetur, neqve debitum thori impediunt, neque a DEo interdicta ſunt; ea eſſentiam conjugii jam contracti deſtruere neqveunt. Hülſem. *in breviar. cap. 21. n. 14.* Inter ſponſos verò facilius conceditur repudium, ſi poſt multa argumenta ad matrimonii conſummationem adduci pars ſona neqveat. Carpzov. *in Jp. Conſiſtor. lib. 2. def. 181.*

Prop. VII. Non valet juramentum, qvando maritus jurat Uxori, ſe nullo unqvam de crimine eam accuſaturum.

Ratio dubitandi eſt, qvia res meræ facultatis eſt, num qvis accuſare velit, vel non accuſare. Qvidnî igitur ad alterutrum qvis ſe obligare jurejurando poſſit?

Ratio decidendi petitur ab abſurdo. Poſſet enim mulier deſciſcere à fide Chriſtianâ & transire ad paganiſmum. Qvo caſu, ſi non ſine blaſphemia divini nominis, vel ideò tantùm cohabitare marito velit, ut eum in infidelitatem pertrahat, maritus eam apud judicem impetere tenetur, ut ab eâ ſeparetur & periculum avertatur.

Sed enim advertendum hîc eſt hæreſin aut infidelitatem non eſſe legitimam cauſam divortii. Gerhard. *Loc. de conjug. num. 389. ſeq.* Et ipſe Pontifex *in c. 7. X. de divort.* ſtatuit, vinculum conjugale non diſſolvi, altero conjugum fidelium in hæreſin lapſo. Sed nec illud qvidem admitti debet,

Digitized by Google

quod maritus teneatur Uxorem de hæreſi accuſare, eamque criminis ream facere. Ut adeò putem veriorem eſſe propoſitionem ſi invertatur. Valere ſcil. juramentum Uxori tali modo præſtitum. Confirmari ea poteſt ex propoſitione ſeqvente. Si enim maritus tenetur ſervare juramentum de non accuſando propter adulterium, multo magis tenebitur ſervare propter aliud qvodcunque crimen. Ratio eſt, qvia nullum crimen magis impetit jura maritalia, quam adulterium.

Prop. VIII. Maritus qvi juravit Uxori, nolle ſe eam de adulterio accuſare, tenetur ſervare juramentum & fidem datam.

Ratio dubitandi eſt, (1) qvia patronus eſt criminis, qui crimen celat, (2) qvia ipſa Scriptura jubet criminis reum poſt unam & alteram correptionem denunciare Eccleſiæ, ut deinceps ejus conſortium velut Ethnici vitetur. (3) Qvia tali promiſſione mulier ad peccandum invitatur.

Ratio decidendi eſt, qvia maritus Uxori delinquenti non ſepties tantùm, ſed imò ſeptuagies ſepties remittere culpam poteſt.

Limitat verò hanc propoſitionem Pontifex, quod ea ſtrictè de ſolâ accuſatione ad divortium faciendum accipi, non autem ad denunciationem, quæ ad pœnitentiam peragendam fieri ſolet, extendi debeat.

pro legitimâ Uxore] h. e. tali, qvalem ſecundum leges habere decet. Intelligitur autem hîc in primo comparationis membro matrimonium jam conſummatum, ut altero argumentum à minori ad majus eò manifeſtius fit.

pro fornicatione] Videtur hoc vocabulum hîc pro quocunque concubitu illicito accipi debere. Aliàs propriè deſignat concubitum cum meretrice, qvanquam alii aliter eo utantur.

in legem conjugii] quæ hæc eſt, quod uni & ſoli conjugi corpus communicari debeat.

ſe ducturum] Intelligi hoc poteſt de ſponſalibus ſive de futuro ea fuerint, ſive de præſenti.

publica meretrix] h. e. quæ multorum libidini patet, *c. vidua diſt. 34.* ſive quæ paſſim h. e. ſine delectu ſe proſtituit. *l. 43. ff. de R. N.*

adutrumq;] h. e. poteſt vel ducere in Uxorem, quæ poſt ſponſalia fornicata eſt, vel eam repudiare.

Sed

Digitized by Google

Sed nunqvid non ductam] Verba hæc paulo obſcura ſunt, hunc tamen habent ſenſum, qvod Sponſus ſponſam talem ducere in Uxorem non teneatur.

temerarium] Aliud eſt juramentum temerarium, aliud omninò nullum. Illud illicitum qvidem eſt, non tamen invalidum, Hoc & illicitum, & de re illicitâ, & propterea invalidum. Juramentum illicitum reſpectu rei juratæ nullatenus obligat: illicitum reſpectu actus jurandi obligat, niſi aliunde impediatur, Rob. Sanderſon. *de juram. prælect. 2. ſect. 14.*

accuſabit] Differunt accuſare & agere. Accuſamus criminoſos, agimus adverſus innocentes nullius criminis ſibi conſcios: Accuſatione publicam vindictam, actione id qvod noſtrum eſt, vel qvod nobis abeſt, perſeqvimur. Ant. Matthe. *de crimin. tit. de accuſat. c. 1. n. 1.*

infidelis] Dicitur ita tùm ille, qvi Chriſtianæ religioni nondum nomen dedit, nec fidem Chriſti amplexus eſt, tum is, qvi à fide Chriſtiana, qvam prius amplexus erat ad Judaicam vel Ethnicam ſuperſtitionem defecit. Gerhard. *Loc. de conjug. num. 623.*

cum ſcriptura] Animadvertit Cujacius, dictum hoc in Scriptura non inveniri, ſed in homiliis Chryſoſtomi.

denunciare] Differt denunciatio ab accuſatione, qvia denunciatio eſt manifeſtatio criminis non ad vindictam publicam ſed ut evitetur delictum committendum ab aliqvo, vel etiam pro delicto commiſſo, qvando periculum id iterandi adeſt. Greg. Sayr. *in clav. reg. lib. 12. c. 10. n. 2.*

Hinc verò præter ea, qvæ in propoſitionibus deducta ſunt, notandum eſt I. etiam in ſponſa committi adulterium, ſive ea de præſenti fuerit, ſive de futuro; qvod ultimum, qvantumvis neget Didacus Covarruvias *part. 1. de ſponſal. n. 11.* acriter defendit Antonius Mattheus *de crimin. tit. de adult. n. 9. ex l. 13. §. 3. & 8. ff. ad L. Jul. de adult. Conf.* Franzk. *ad ff. 4. Inſt. de publ. jud. n. 25. ſeq.* Ant. Perez *Cod. ad L. Jul. de adult. num. 3.* Carpzov. *in Jp. Conſiſtor. lib. 2. def. 184.*

II. Juramenta qvidem ſtrictè eſſe explicanda, ſed cavendum tamen, ne ſtricta iſta interpretatio abeat in rigidam. Et per conſeqvens omne juramentum intelligendum eſt ſub clauſulâ, *rebus ſic ſtantibus*. Qvomodo qvi juravit ducere aliqvam Uxorem, non tenetur ducere, ſi deprehendat eam ex alio eſſe gravidam. Robert. Sanderſon *de juram. prælect. 2. n. 10.*

III. Adulterium vinculum conjugale ipſo jure tollere, ita ut non teneatur innocens adulteræ amplius cohabitare, aut ſi hoc fecerit, redintegratum credatur vinculum.

IV. Multa eſſe qvæ impediunt matrimonium contrahendum, ſed non dirimunt contractum.

V. Matrimonia cum infidelibus & hæreticis intuta qvidem eſſe, non tamen omninò interdicta, nec propterea ſi contracta fuerint, diſſolvenda.

VI. Maritum non teneri Uxorem hæreticam propter hæreſin judici deferre aut denunciare. Qvia enim matrimonium diſſolvi propter hæreſin non poteſt, neqve intellectus hominis, in qvo hæreſis nidulatur, poteſtati judicis ſubjacet, fruſtra fiet talis denunciatio.

VII. Jure civili maritum, qvi deprehenſam Uxorem in adulterio retinet, lenocinii reum eſſe *l. 2. ſ. 2. l. 8. l. 29. pr. ff. ad L. Jul. de adult.* Sed jure canonico poſſe eam ſibi reconciliare & matrimonium redintegrare.

Ad cap. etſi 26.

Duæ hîc qvæſtiones deciduntur, Prima eſt in theſi: utrum Chriſtiano homini ullo in caſu jurare liceat. Altera in hypotheſi, utrum liceat jurare monacho. Poſterior qvodammodo ex priori pendet, qvia qvæ generaliter permiſſa aut prohibita ſunt, etiam monachis ea permiſſa aut prohibita eſſe certum eſt. Utramqve affirmat Pontifex.

Prioris qvæſtionis ratio dubitandi petitur (1.) *ex Matth. V. verſ. 37.* (2.) *ex Jacob. V. v. 12.*

Rationes decidendi petuntur (1.) *ex Hebr. VI, 16.* (2.) *ex Apocal. X. 6.* (3.) ab exemplo Chriſti jurantis, inprimis *Luc. IV, 24. 25.* (4.) ab exemplo Pauli *Rom. I, 9. it: 1. Cor. XV, 31.* (5.) ex Veteri Teſtamento ab Exemplo DEI, *Pſal. CIX, 4. it. Pſalm. CXXXI, 11.*

Ad *Matth. V, 37.* reſpondet, qvod ibi non ſimpliciter juramenta prohibuerit Salvator, ſed juramenta per creaturas, cui adde, qvod non omne juramentum prohibuerit, ſed qvod prohibuerit, ne juretur in omni caſu. Aliud enim eſt, non omninò jurare, aliud, omninò non jurare.

Ad textum Jacobi reſpondet, intelligi eum debere de juramento temerario & ſine neceſſitate præſtito, tùm & de juramento qvod fit per creaturas.

Po-

Poſterioris qvæſtionis ratio dubitandi eſt, qvia Monachi ſunt in ſtatu perfectionis, uti vocant, cui non convenit juramento fidem vallare.

Ratio decidendi deſumitur ex periculo, qvod monaſterio imminet, ne propter defectum teſtium jure ſuo privetur. Hoc igitur caſu permittit Pontifex Monachis, ut teſtimonium perhibere jurato liceat.

eſt, eſt, non, non] Senſus hic eſt: Qvod affirmatis aut negatis nudè affirmetis aut negetis. Aliter Grotius *l. 2, de jur. bell & pac. cap. 13. n. 21.*

qvam pœnæ] qvomodo verò pœnæ? & qvidem exigentium juramentum? Non loqvitur Salvator de exigentibus, ſed de præſtantibus juramentum. Senſus Pontificis hic eſt: Qvod jurare cogimini, id fit propter incredulitatem, qvæ eſt pœna eorum, qvi vobis ſine juramento fidem non habent. At melior eſt explicatio, qvam ex Philone applicat Voſſius *in hiſtor. Pelag. lib. 5. part. 2. antith. 1.* qvod conſvetudo jurandi argumentum ſit perfidiæ non fidei.

ſed voluntatem jurandi] Textus originalis nihil habet de voluntate, ſed ſimpliciter prohibet: *μὴ ὀμνύετε*, ne jurate.

Amen] Voculam hanc apud Judæos non eſſe formulam jurandi, tenet Nic. Fullerus *1. miſcell. 2.* Sed diverſum apparet ex *Eſa. 65, 16.* tùm & ex eo qvod in judiciis judæorum adjurationibus præmiſſis reſponderetur Amen.

viri perfecti] Hanc perfectionem exinde petunt Monachi, qvod præter præcepta etiam conſilia obſervare ſoleant. Sed eam de conſiliis doctrinam jamdiu refutarunt Theologi. Concidit igitur ſimul commentitia iſta perfectio.

Converſi] Dicuntur ita, qvi de novo religionem profitentur per ſuſceptionem habitus monachalis.

Notandum hinc I. Juramentum per creaturas eſſe illicitum. Eſt tamen inter creaturas aliqva differentia. Aliqvæ enim ex communi more concipiendi habent in ſe vim qvandam execratoriam, ut: per animam, per ſalutem meam (qvæ formulæ ita explicandæ ſunt: ne ſit DEUS animæ meæ propitius: Ne mihi DEus ſalutem donet æternam:) aut ſaltem aptæ ſunt ex ſui naturâ ſpeciatim nos excitare ad aliqvam recordationem DEI, ut: per Cœlum, per hanc ſacram victimam &c. h. e. per DEUM, cujus eſt in cœlo thronus. Per DEUM, cui hæc ſacra ſunt. Aliqvæ vero non habent talem aptitudinem, neqve execratorium qvid continent. In prioribus per

ipſum DEum interpretativè juratur, & facilius hinc admitti poſſunt. Poſteriores autem vera juramenta non ſunt, ſed meræ obteſtationes. Robert. Sanderſon *de juram. prælect. 5. ſect. 2.* Voſſius *in hiſtor. Pelag, lib. 5. pag. 2. antith. 1.*

II. Tres eſſe comites cujusqve juramenti, veritatem, ut jurans clarè non ambiguè exprimat, qvid ſentiat; juſtitiam ut qvod juratur licitum ſit & honeſtum; & judicium, ut non temerè & præcipitanter ſed præviâ conſultatione & maturo judicio juret.

III. Inter mala & illicita qvædam ex ſe & ſuâ naturâ talia eſſe, qvædam verò mala eſſe ideò, qvia ſunt prohibita.

Ad c. ſicut 27.

Canonici Eccleſiæ Tudertinæ vacante ſede circa jura Epiſcopalia juramentum præſtiterant in detrimentum redituum Epiſcopalium. Ex illis Canonicis poſtea eligebatur Epiſcopus. Qværebatur, utrum Epiſcopus noviter electus ſtare deberet juramento, qvod ſede vacante cum reliqvis præſtiterat. Negat Pontifex, & Epiſcopo pœnitentiam imponit, & reliqvorum Canonicorum juramenta præviâ cauſæ cognitione relaxari jubet.

Ratio dubitandi eſt ex obligatione juramenti petenda, qvippe qvod ideò videtur ſervari debere, qvia reditus Epiſcopales tantùm concernit, eosqve attenuat.

Ratio decidendi eſt, qvia juramentum id præſtitum eſt contra utilitatem Eccleſiaſticam, & hinc perjurium potius & iniqvitatis vinculum dici debet.

Sed enim videtur etiam hîc ratio dubitandi haud paulo fortior, nec verum eſt, ſi generaliter accipiatur, qvod traditur in rubricâ, juramentum contra utilitatem Eccleſiaſticam præſtitum non tenere. Diſtingvendum tamen inter jura Epiſcopalia. Aliqva enim ſubſtantiam qvaſi officii Epiſcopalis conſtituunt, aliqva vero accidentia tantùm aliqva continent. Prioris generis ferè ſunt ea qvæ pertinent ad ordinem. Poſterioris verò qvæ pertinent ad jurisdictionem & legem diœceſanam. Circa priora ſi qvæ præſtantur juramenta qvæ illa impediunt nullius videntur eſſe valoris tum qvia ſubſtantiam rei deſtruunt, tùm qvia videntur eſſe contra bonos mores. Ejurare enim poteſtatem docendi & adminiſtrandi ſacramenta pugnat

gnat cum officio Epiſcopi primario. Facilius verò admitti poſſe juramentum circa poſterioris generis jura, patet ex eo, qvod jurisdictio officium Epiſcopale non conſtituat, ſed aliunde ei & ex conceſſione Principum acceſſerit, & qvod multa paſſim dentur loca jurisdictione Epiſcopali exempta, tùm & qvod Patriarcharum & Metropolitanorum non eadem ſit conditio, ſed in axiomatibus patriarchalibus & metropolitanis maximè varient, uti id prolixè oſtendit Autor Euchariſtici *Jacobo Sirmondo miſſi de Eccleſiis ſuburbicariis part. 2. cap. 2.* Et cur vero juramentum contra utilitatem Eccleſiaſticam externam præſtitum non valeat? cum utiqve conſiſtere poſſit Eccleſia, nullo licet ſplendore conſpicua. Qvidni igitur ex causâ liceat de reditibus Eccleſiæ & utilitate ejus externâ nonnihil remitttere? Magis itaqve eſt, ut rationes dubitandi & decidendi invertamus.

Eccleſiâ Judertinâ vacante] i. e. ſede vacante, ſive nullo exiſtente Epiſcopo.

in minoribus ordinibus] i. e. cum Acolythus, Exorciſta, Lector, aut Oſtiarius eſſet. *Vid.* Lancellott. *lib. 1. tit. 23.*

de Pontificis] i. e Epiſcopi. Sic enim etiam Pontificatum & Pontificium pro Epiſcopatu & Pontificale pro omni eo, qvod ad Epiſcopatum pertinebat, dixerunt.

pœnitentiam] i. e. pœnam canonicam.

Ex hoc cap. notetur I. falſam eſſe aſſertionem Pontificiorum, qvam hinc adſtruit Auguſtinus Barboſa *ad hoc. cap.* factum ab aliqvo uti Canonico rectè revocari ab eodem Epiſcopo creato, & promiſſiones factas à Principe ſeculari ante electionem revocari poſtea ſecutâ electione. Hoc enim ſi licet, qvid opus eſt cardinales in conclavi congregatos vinculo juramenti capita qvædam ſibi invicem promittere, qvæ unusqvisqve, ſi Pontificatum obtinuerit, ſervare debeat? Qvâ de re dixi ſupra *ad c. 10. notab. 5.* In promptu eſt ex Pontificiorum aſſertione juramenti eluſio, non obſtringi Pontificem ad ea, qvæ ante Pontificatum promiſit. Et ſic graviter decet eſſe impudentem & impium. Utiqve qvi rem aliqvam promittit ſub conditione, ſi hoc vel illud factum fuerit, conditione eâ exiſtente non poteſt dici, qvod ab obligatione liberatus ſit, ſed tùm demum incipit cum effectu eſſe obligatus. Et qvid ergo contra omnia juris principia dicunt Pontifices, ſe exiſtente conditione non obligatos eſſe?

II. Ma-

Digitized by Google

III. Conventionem, qvæ jure civili prohibita eſt, juramento nullum accipere robur, jure vero Canonico conſcientiam jurantis religione juramenti obſtringi, ita ut juramentum qvaſi per ſe ſtet & obligationem producat. *Vid.* Franzk. *lib. 2. reſol. 6.* Anton. Merent. *lib. 1. contr. cap. 1.* Arnold. Vinnius *de pact. cap. 18. n. 10.*

IV. Non deſtitui juramentum vinculo religionis ex hoc ſolo, qvod vi extortum fuerit, uti qvidem ex verbis textus colligi poſſet.

V. Nec dolo elicitum juramentum ſuâ carere obligatione, niſi error inde natus verſetur circa ſubſtantiam rei.

VI. Juſte qvidem Petrum de Ferrariis *in prax. lit. 33. gloſs. 6. n. 3.* qvod Imperatores à Pontificibus jurisdictionem involari patiantur, ſed eam tamen invectivam hoc capitulum non mereri.

Ad cap. ſicut 29.

Qvi injuſtum bellum intulerat, & bona qvædam occupaverat, pace factâ hoſtem ad juratam aliqvam promiſſionem adegerat, ipſe qvoqve nonnulla promiſerat, qvæ tamen ſervare deinceps recuſabat. Qværebatur (1) num bona erepta facta fuiſſent occupantis. (2) num promiſſio juramento firmata teneret, & (3) num qvi ita promiſit obligatus maneret, ſi alter ille fidem à ſe præſtitam ſervare nolit.

Qvod primum concernit, etſi aliàs, qvæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiant §. *17. J. de R. D.* negat tamen Pontifex id locum habere in bello injuſto. Si enim belli cauſa injuſta eſt, injuſti etiam erunt omnes actus, qvi inde naſcuntur. Hug Grot. *de Jur. Bell. & pac. lit. 3. c. 10. n. 3. ſeq.*

Circa ſecundum non negat Pontifex tenere juramentum; Vult tamen, ut abſolvatur, qvi juravit, ab obligatione juramenti, ideò ſcil. qvia coactus juravit. Hinc enim juſtam abſolutionis cauſam exiſtere, propter qvam non illi tantùm, qvi dominium in rem promiſſam habent, juramentum irritare, ſed alii etiam, qvi ſolum ſpiritualem in jurantem jurisdictionem habent, ab ejus vinculo abſolvere poſſint, tradunt Moraliſtæ. *Vid.* Greg. Sayr. *in clav. reg. lib. 5. c. 8. n. 7.* Primum de irritatione qvod dicunt admittimus, poſſe ſcil. ſuperiorem, qvi in eâ materiâ de qvâ juramentum præſtitum fuit, ſuperior eſt, juramentum irritare, poſterius verò, ubi ceſſat talis ſuperioritas, non admittimus, nec ſpiritualem jurisdictionem ſufficere arbitramur,

Digitized by Google

mur, ideò, qvia juramenti ſuprema obligatio ad DEUM ſpectat, nec poteſtati humanæ ſubeſt. *Add.* Grot. *de jure bell. & pac. lib. 2. cap. 13. n. 20.*

Circa tertium maximè movet, qvod promiſſio facta ſit cum juramento. Id tamen ita explicat Pontifex hoc caſu, qvo mutuo ſibi invicem paciſcentes promiſerunt, ut ſubintelligi debeat conditio, ſi alter qvoqve promiſſo ſuo ſteterit. Id ille ſi renuat, juramentum non ligare putat eum qvi præſtitit.

interdicti ſententia] Interdictum dicitur, cùm competens judex ex aliqva cauſa terram vel homines à divinis arcendos pronunciat ac præcipit. Lancellott. *Inſtit. lib. 4. tit. 14.*

Hinc noto I. Reſtituenda & reſarcienda eſſe omnia, qvæ bello injuſto ablata aut damna data ſunt. Et ad hanc reſtitutionem non etiam ſine dolo ſola culpa commiſſa ſufficit. *Vid. omninò* Grotius *d. c. 10. lib. 3.*

II. Juramentum ejus qvi ſub alterius poteſtate eſt, absqve ipſius conſenſu nec licitum eſſe, nec obligatorium. Injuriam enim facit alteri, qvi qvaſi jure ſuo ſtatuit de iis qvæ ſunt juris alieni. Et qvia tenetur unusqvisqve ex officio ſuperiori in his, qvibus ſuperior eſt, ſubjici, atqve ipſius voluntati parere, non poterit hanc obligationem ſubſeqvens juramentum tollere. Robert. Sanderſon *de juram. prælect. 4. ſect. 5.* Videtur diſtingvi poſſe, inter τὸ abſolvere à juramento [qvod vinculum & obligationem tollit) & inter τὸ prohibere aut impedire, ne id fiat qvod juratum eſt [qvod vinculum & obligationem non tollit] Poſterius hoc videtur competere ſuperiori, non prius. E. g. filiusfam. peculium profectitium ſub juramento alienans, impediri & prohiberi poteſt à Patre, ne alienatio fiat; ſed tamen propterea non tollitur vinculum & obligatio juramenti, qvæ videtur reviviſcere patre mortuo. Huic tamen ſententiæ videntur obſtare *Numer. cap. XXX.* Tu cogita.

III. Non ſufficere ſuperioritatem ſpiritualem ad id, ut irritari poſſit juramentum.

IV. Interdictum pontificium impium eſſe & planè abominandum inventum. *Vid.* Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 5. cap. 9. num. 38. ſeqq.*

V. Excuſatum eſſe qvi non implet juramentum; qvando alter, cui juratum eſt, ex ſuâ parte, qvod promiſit, non ſervat. *Vid. Andr. ab Exea de pact.*

num

num. 382. Matth. Cuno *de pact, l. 1. cap. 22. n. 86. ſeq.* Roland. à Valle *vol. 1. conſ. 57. n. 20.*

[Durum vero eſt, fidem juratam propter alterius perfidiam frangi poſſe. Videntur diſtingvi debere promiſſiones. Qvæ enim ita ex utraqve parte ſibi junguntur, ut unum negocium conficiant, eorum unâ deficiente, fruſtra adimplebitur altera. E. g. emptor qvi de precio ſolvendo ſub juramento promiſit, fruſtra ſolvet, ſi venditorem venditam tradere nolit, qvia ſcil. ex utrâqꝫ parte aliqvid fieri debet ad unum negocium, qvod eſt conſummatio emptionis venditionis, conficiendum. At qvando promiſſiones in unum aliqvod negocium non tendunt, ſed unaqvæqve per ſe ſtat, & expediri poteſt, ſine alterius præſtatione, tùm, niſi ſub conditione factæ fuerint, non videtur excuſatus, qvi, qvod juravit, adimplere nolit, ut maximè alter promiſſum non ſervet. Generaliter tamen aſſertionem ſupra poſitam etiam eo caſu, qvando utrinqve juratum eſt, ſeqvitur Balduin, *in caſ. conſcient. lib. 2. c. 9. caſ. 17. num. 3.*]

VI. In omni reſcripto ſubintelligi debere clauſulam: ſi preces veritate nitantur, *c. 2. X. de reſcript.* qvæ qvidem reſcriptis Imperatoriis olim diſertis verbis inſerebatur *l. fin. C. de diverſ. reſcript.*

Ad cap. Nimis 30.

Thema hujus capituli eſt, utrum Laicus à Clerico juramentum fidelitatis exigere qveat, qvando is nulla à Laico recognoſcit bona temporalia. Negat Pontifex.

Ratio dubitandi eſt, qvia Apoſtolus jubet omnem animam ſublimioribus poteſtatibus ſubjectam eſſe *Rom. XIII, 1.* ſub qvâ generalitate ſine dubio etiam clerici continebuntur.

Ratio decidendi ſumitur ex alio dicto Apoſtoli, qvi dixit, ſervum ſuo domino ſtare aut cadere, *Rom. XIV, 4.* Qvoniam igitur Clericus qvi temporalia non habet, non alium habet dominum, qvàm eum, qvi eſt in cœlis, huic ille ſoli ſtat aut cadit, nec ulli alii hominum debet.

Digitized by Google

Ad rationem dubitandi, reſpondet Pontifex. Laicos nimis uſurpare de jure divino, ſeu qvod idem eſt, extendere nimis jus divinum. Cæterum dictum Paulinum, ad qvod provocat Pontifex in ratione decidendi, malè applicatur ad præſentem materiam, cum illic agatur de qvæſtione, num juſtè condemnetur frater ejusdem fidei & cœtus, qvi circa ſolas diſſentit ceremonias externas. Nec verum eſt, nimium ſibi tribuere Laicos, qvando juramentum fidelitatis à Clericis exigunt, qvanqvam, ſi non exigant, honorem miniſterii magis promoveant.

de jure divino] Joh. Azorius *inſtit. moral. part. 1. lib. 5. c. 12.* intelligit hîc jus verè divinum, & ſtatuit, Clericos jure divino exemptos eſſe jurisdictione Laicorum. E contrario Alvarus Valaſcus *conſultat. 100. n. 9.* per jus divinum hîc intelligit jus canonicum, & ſtatuit exemptos eſſe Clericos ſolo jure humano. Et hanc ſententiam ſeqvuntur plures alii. Mihi videtur Pontifex in priore ſignificatu jus divinum accepiſſe, & rationem dubitandi inde petiiſſe, qvod jus divinum omnes ſubditos faciat ſuperioribus nec ullibi clericos excipiat.

Viros Eccleſiaſticos] Tales ſunt omnes illi, qvi in Eccleſiâ deſerviunt, & hâc appellatione uti maluit Pontifex, qvam nomine clericorum, qvippe qvod in ſtrictâ interpretatione eos clericos, qvi in dignitate conſtituti ſunt, non continet, qvanqvam ſub finem cap. ipſos illos, qvi hîc viri Eccleſiaſtici dicuntur, Clericos appellet. Aug. Barboſ. *in appellativ. vocab. Clericus.*

fidelitatis juramenta] Alvarus Valaſcus *d. l. num. 12.* in ſpecie hîc intelligit vaſallagium, ſive juramentum fidelitatis, qvod propter feudum acceptum præſtatur. Tale dicit exigi non poſſe à Clerico, qvi feudum nullum accepit; poſſe tamen ab eo exigi hominium aliud, qvale à civibus præſtari ſolet.

Noto hinc I. Clericos non tantum jure divino, ſed etiam humano, & ideò qvia cives ſunt, Regibus & principibus atqve magiſtratibus ſecularibus ſubeſſe. Alvar. Valaſc. *d. l.* Rob. Abbot. *de ſupremâ poteſtat. reg. per tot.*

II. Exemptionem Clericorum à jurisdictione Laicâ eſſe ex beneficio Principum. *vid. l. 11. & l. 47. C. Theodoſ. de Epiſc. & Cler. ibiq;* Jacobus Gothofredus, Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 6. c. 6. n. 62.*

III. Nullam competere Pontifici Rom. poteſtatem eximendi clericos à juris-

juriſdictione & imperio ſuorum Principum, & hanc ſibi Papam ſumpſiſſe ſine ſuffragio eorum, qvorum intereſt.

IV. Hominium miniſtris Eccleſiæ in honorem miniſterii non malè remitti, ſi tamen conſpiratio metuatur, rectè ab illis id exigi. *vid cap. ſeq.*

V. Propter feuda & alia temporalia, qvæ à laicis habent, clericos non eſſe immunes à præſtatione hominii.

Ad cap. Petitio 31.

Eo tempore, qvo Chriſtiani Palæſtinam recuperaverant, Antiochiæ Princeps conſpirationem metuens Canonicos Antiochenos juramento ſibi obſtrinxerat, illiqve his verbis, non erimus contra te, juraverant. Poſtea verò Princeps iſte ita gravis extiterat Eccleſiæ Antiochenæ, ut Canonicis difficile eſſet, auſibus ejus non reſiſtere. Ut igitur, qvid ſibi tùm faciendum eſſet, & qvousqve juramentum teneret, certiores fierent, rem Pontifici Romano exponebant, & ab eo conſilium expectabant. Pontifex juramenti verba, cauſam impulſivam & finalem attendens, ejus vim ad præſentem controverſiæ ſtatum extendi non debere, interpretatione declarat.

Ratio dubitandi ex ipſis juramenti verbis depromitur. Qvomodo enim ſive in judicio, ſive extra judicium reſiſtendi poteſtatem habeat, qvi jurejurando ſe obſtrinxit, ſe eſſe contra aliqvem nolle. Utiqve enim contra eum eſt, qvi eum judicio impetit, qvi ei contradicit, qvi juſſa ejus non expedit, qvi qvod vult ille, non vult. Tam generaliter enim cum verba juramenti concepta ſint, non videntur pati ullo in caſu exceptionem.

Ratio decidendi ſumitur ex cauſa impulſiva & finali juramenti præſtiti. Proponitur enim, Principem Antiochiæ metuiſſe ſibi à conſpirationibus, easqve ut caveret, jusjurandum extorſiſſe. In his igitur terminis manere debere juramenti vim obligandi definit Pontifex, neqve extra iſtos extenſionem faciendam eſſe. Poſſe igitur Canonicos jura Eccleſiæ ſuæ, tùm & honorem proprium, ſi impetantur, non obſtante juramento licite defendere.

Princeps Antiochenus] Omnis Chriſtianorum ditio, qvam in Syria aliisqꝫ orientis partibus bello ſacro recuperaverant, diviſa fuit in qvatuor imperia, Regnum Hieroſolymitanum, Comitatum Tripolitanum, Comitatum

tum Edeſſanum & Principatum Antiochenum. Ille enim qvi Antiochiæ præerat, non Comes neqve Rex dicebatur, ſed Princeps.

extorſit] Vocabulo hoc, qvod vim aliqvam iniqvam innuit, videtur improbare Pontifex Principis Antiocheni factum, ac ſi juramentum tale illicite imperaſſet. Sed repeti hîc poſſunt ea, *qvæ ad cap. antecedens diximus.*

de cætero] i. e. in futurum. Videntur hinc Canonici iſti conſpirationibus antea indulſiſſe, & hinc meritò juramentum ab eis exactum fuiſſe.

â machinatione] Conſpiratio vel in Principis perſonam fertur, vel in ipſam totam Remp. ejusqve everſionem, qvemadmodum & majeſtatis crimen vel in perſonam tantum Principis committitur vel ſub rebellionis ſpecie in totam Remp.

Obſervandum hinc eſt I. ad conjurationes & conſpirationes vitandas utiliter animos religione jurisjurandi adſtringi.

II. Neceſſitatis tempore & ubi periculum imminet Reip. etiam â Clericis exigi poſſe de ſecuritate juramentum.

III. Promiſſiones & qvæ illis adduntur juramenta generaliter ſæpè concipi, ſed ex circumſtantiis ſuas admittere interpretationes & reſtrictiones.

IV. Reſtringentem interpretationem peti aut ex defectu voluntatis originario, aut ex caſus emergentis repugnantiâ cum voluntate. Hug. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 16. n. 22. ſeq.*

Ad cap. Ex literis 32.

Diſpiciendum hîc eſt ante omnia, de qvali juramento capitulum hoc accipiendum ſit. Cujacius confidenter aſſerit, juramentum calumniæ hîc intelligendum eſſe, qvod in litibus poſt litem conteſtatam præſtari ſolet. E contrario Johannes Parladorius *lib. 2. rer. qvotid. cap. 18.* de juramento in ſupplementum hîc agi ſcribit, & hinc conficit, actoris jurejurando dijudicandam rem eſſe, qvoties de debito conſtat, ſed ejus qvantitas ignoratur. Ego, etſi circa hanc concluſionem cum Parladoria ſentiam *propter legem 9. C. unde vi, & l. 1. §. 40. ff. depoſiti*, & per ea, qvæ habet Carpzovius *p. 2. conſt. 29. def. 14.* nego tamen, ex hoc textu eam probari aut juramentum in ſupplementum illic intelligi poſſe. Utiqve enim juramentum tale in unâ causâ utriqve parti injungi neqvit. At ait Pontifex partes non partem ad præſtandum hujusmodi juramentum cogi debere. Potior igitur videtur ſenten-

tentia Cujacii, juramentum calumniæ, qvod ab utraqve parte præſtari poteſt *c. 5. X. de juram. cal.* hîc à Pontifice injungi.

Ad pleniorem verò capituli hujus intellectum ulterius præmittendum eſt, uſuras jure Canonico planè eſſe prohibitas, nec tolerari hoc jure pactum antichreticum, & hinc Creditorem, qvi pignus accepit, fructûs ex eo pignore perceptos imputare debere in ſortem.

Caſus talis eſt: Conventus erat Titius creditor à Cajo debitore, qvod ex pignore conſtituto ultra ſortem jam fructûs percepiſſet. Id cùm negaſſet Titius, & hinc de qvantitate ſortis cum Cajo non conveniret, qvam minorem Cajus, majorem Titius propoſuerat, neqve per teſtes ea ab actore Cajo probari poſſet, cùm interim obligatio pignoris certa eſſet, conſultus Pontifex, ut utraqve pars ad juramentum calumniæ præſtandum adigatur, reſcribit.

Ratio dubitandi hæc eſſe poteſt, qvod regulariter Actore non probante reus abſolvi debeat, *l. 4. C. de edend.* De qvantitate ergò debiti ſi non conſtat, qvomodo condemnari poterit reus? cùm certa debeat eſſe ſententia, & certa qvantitate determinata.

Ratio decidendi nititur præſumptione conſcientiæ & pietatis, qvæ litigantibus incumbit, qvod non utraqve pars calumniari velle, ſed alterutra ſaltem integra vitæ ſceleriſqve pura præſumatur, & ex hoc alterutrâ jusjurandum recuſante cauſa ejus ſuſpecta reddatur. Cui accedebat fama, qvâ creditor ultra ſortem fructus percepiſſe dicebatur.

de dicendâ veritate] Bonifacius VIII. facit qvidem differentiam inter juramentum calumniæ & juramentum de dicendâ veritate *c. 1. & 2. de juram. cal. in 6.* Sed tamen etiam juramentum calumniæ dicitur juramentum de veritate dicendâ *d. c. 1. in pr. c. 5. X. de juram. cal.*

Noto hinc I. Judices delegatos ſeu commiſſarios ubiqve ſervare debere ordinem judiciarium, & ſi qvid gravius inciderit, ad committentem rem deferendam eſſe.

II. Utiliter juramentum calumniæ deferri partibus, ut religionis vinculo ab iniqvis & temerariis litibus revocentur.

III. Famam qvidem notorium inducere, ſed non ſemper facere probationem plenam, nec judicem ſemper movere debere. *Vid.* Dornſperger *in ſyntagm. jur. lib. 1. cap. 40.*

Ad

Digitized by Google

Ad cap. intellecto 33.

Andreas II. Belæ filius Rex Ungariæ inaugurationis tempore ſtatibus Regni juramento ſe obſtrinxerat, jura regni ſui & honorem coronæ ſe illibata ſervare velle. Hoc non obſtante alienaverat deinceps nonnulla ad Regnum pertinentia, addito juramento ſe alienationes iſtas revocare nolle. Qværebatur, num ſubſiſteret tale juramentum, & num revocari alienationes iſtiusmodi poſſent.

Ratio dubitandi videtur eſſe iſta, qvod voluntas poſterior ſemper emendet priorem, & qvod poſteriora ſemper derogent prioribus, non in ultimis tantum voluntatibus, ſed etiam ſtatutis, contractibus, pactis &c. Aug. Barboſ. *in axiom. verb. Poſteriora.* Etſi igitur Rex Hungariæ ſe nihil eorum, qvæ ad Regnum ſpectant, alienare velle, juratò promiſerit, alienatio tamen deinde ſecuta & promiſſio de non revocando non minus juramento vallata & qvia poſterior, magis qvam prior attendenda eſt.

Ratio decidendi eſt, qvia juramentum non tollit obligationem priorem tertio acqviſitam. Nec enim eo invito diſcedere licet à qvalicunqve conventione cum eo initâ, multo minus id licebit, ſi juramento vallata fuerit.

Ratio dubitandi tùm demum procedit, vel qvando nulla cum alio conventio interceſſit, qvia tùm unusqvisqve voluntatem ſuam, niſi jurata fuerit, mutare poteſt, vel qvando utraque pars mutuo conſenſu à priore conventione recedit. Tum enim altera remiſiſſe juramentum cenſetur.

filius noſter] Hoc nomine Reges inſignire ſolet Pontifex *c. 6. X. de crim. falſ.*

alienationes qvasdam] Alienatio dicitur omnis actus, per qvem dominium transfertur. *l. 1. C. de fund. dotal. l. 28. ff. de V. S. lib. 7. C. de reb. al. non alien.*

contra regis honorem] qvod fit, ſi ex regalibus aliqva Rex alienaverit, in qvibus dignitas regalis maximè conſiſtit.

Cùm teneatur] etiam ſine juramento. Jura regni enim cùm non ſint propria Regis, alienari ab eo neqveunt, aut ſi alienata fuerint, emptori auferri poſſunt *l. 28. ff. de contr. empt.*

No-

Notandum hinc I. Juramentum ex natura ſuâ habere vim obligatoriam, ſed conſtructivam tantùm, non etiam deſtructivam, h. e. poſſe inducere novam obligationem, ubi nulla fuit, vel etiam confirmare eam, qvæ ante fuit, ſed non poſſe tollere eam qvam invenit aut aliam ei repugnantem ſuperinducere. Rob. Sanderſon *de juram, prælect. 2. ſect. 11.*

II. Juramentum prius qvod legitimum eſt prævalere poſteriori qvod illegitimum eſt, ſicut ex diverſo prævalet poſterius jusjurandum qvod legitimum eſt, ſi prius fuerit illegitimum. Cujaç. *ad h. t. Add. quæ diximus ad c. 11. notab. 2.*

III. De qvæſtione, utrum Princeps de principatu aliqvid alienare poſſit, ſine diſtinctione decerni non poſſe, ſed diſtinguendos eſſe principatus, qvi populi voluntate delati ſunt, ab illis, qvi ſunt in patrimonio principis, qviqve pleno proprietatis jure ab eo poſſidentur. Hi alienari pro lubitu poſſunt, illi non poſſunt. Hug. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 1. cap. 3. num. 12. 13.*

IV. Non deſinere ſummum eſſe imperium, etiamſi is qvi imperaturus eſt, promittat aliqva ſubditis aut DEo etiam talia, qvæ ad imperii rationem pertineant. H. Grot. *d. l. n. 16.*

Ad cap. Mulieri 34.

Mulier qvædam juratò affirmaverat, Titium ſponſalia de præſenti ſecum celebraſſe, ſed cum illa nihil haberet, qvod ad probationem ejus rei faceret, Titius ab ejus impetitione per ſententiam abſolutus eſt. Qværebatur, cum mulier illa alium ſibi maritum deſtinaſſet, num Epiſcopus matrimonium hoc permittere, an verò impedire deberet.

Ratio dubitandi utrinq; videtur ſatis prægnans. Si enim concedit Epiſcopus veniam nubendi, verendum eſt, ne juramentum à muliere præſtitum degenerare faciat in perjurium, poſito ſcil. qvod illa verum juraverit, qvia tùm mulier vinculo conjugii adſtricta, nec ad alia vota conjugalia admittenda eſt. Si verò denegare debeat Epiſcopus veniam nubendi, poterit ille tùm cauſa exiſtere, ne legitimum ineatur matrimonium, ſi fortè fœmina falſo juraverit. Sed neqve hoc decet Epiſcopum, neqve illud. Et hinc ergò qvid faciendum ſit, maximè dubium redditur.

Rationem hinc decidendi cùm nullam Pontifex inveniat, conſcientiæ mulieris totum hoc negocium committendum eſſe reſpondet, cùm nec

Digitized by Google

qvisqvam alius definire qveat, verum fuerit an falſum, qvod illa juravit. Qvod ſi ſciens illa falſum juravit, poſſe nunc eam matrimonium inire, ſed ſi verum fuit, qvod juravit, nubere nunc non poſſe.

Sed enim ut maximè elegans Cujacio videatur hæc deciſio, mihi non ſatis videtur eſſe accurata. In foro enim externo dum verſamur, deciſio potius ex eo petenda eſt, qvod per ſententiam prius qvod prætendebatur matrimonium ſolutum fuerit. Quo poſito, non video, qvî impediri poſſit matrimonium novum. Aliàs enim, ſi ad conſcientiæ tribunal referenda res eſſet, nec judices qvidem abſolvere virum potuiſſent, cùm nec illi de juramento, verè an falsò præſtitum fuerit, certi eſſe potuerint. Nec obſtat, qvod dicit hîc Pontifex, Epiſcopum, ſi licentiam nubendi conceſſerit, perjurii autorem fore. Sic enim potius perjurii autores fuiſſent judices, qvi reum abſolverunt, non Epiſcopus, qvi ſententiæ huic abſolutoriæ inniteretur.

Illud verò non exiguam parit difficultatem, qvomodo vir abſolvi potuerit, poſtqvam mulier juramento ſponſalia firmavit, cùm tamen juramentum omnis controverſiæ finis ſit. Reſpondet Panormitanus, intelligi hîc non juramentum in ſupplementum, ſed vel tale, qvod exegit judex de veritate dicendâ, vel qvod præſtitit mulier in poſitionibus ſuis. Ultimum hoc probabilius videtur & ſtylo judiciali conforme.

in jure] olim idem erat, qvod apud prætorem. Sed cùm hodiè differentia juris & judicii ab uſu receſſit, manſerunt nihilominus præparatoria judiciorum, qvæ antiqvitus in jure peragebantur. Oſw. Hillig. *in Donell. enucl. lib. 23. c. 2. lit. K.*

per verba de præſenti] Sæpè tamen verba etiam futuri temporis notant ſponſalia de præſenti.

Noto hinc I. per abſolutionem judicis non abſolvi conſcientiam rei. Qvia enim judicia in actibus externis & factis probationibus ſubſiſtunt, de conſcientiæ reatu ea definire nihil poſſunt. Nec igitur putare debet reus, propter ſententiam ſibi licere, qvod propter conſcientiam non licet.

II. Actore non probante reum, etſi nihil ipſe præſtiterit, abſolvi debere, *l. 4. C. de edend.*

Ad

Digitized by Google

Ad cap. Clericus 35.

Caſus talis eſt: Clericus, cum cooptaretur in Eccleſiam, juraverat, obſervaturum ſe ſtatuta illius Eccleſiæ jam edita. Succeſſu temporis edebantur ſtatuta alia, & Clericus ille promittebat, etiam iſta ſe obſervare velle per juramentum qvod ab initio præſtiterat, non repetendo illud, ſed ſimpliciter promiſſionem ſuam ad illud referendo. Qværebatur, qvalis & qvanta eſſet obligatio hujus Clerici qvoad ſtatuta noviter facta. Reſpondet Pontifex, obligationem iſtam ſubſiſtere in terminis ſimplicis promiſſionis, obligationem vero juramenti hîc nullam ſubeſſe. Adeſſe obligationem ſub pœnâ mendacii, non ſub pœnâ perjurii.

Ratio dubitandi eſt, qvia relatione factâ ad juramentum præſtitum, ipſum totum juramentum videtur repetitum & ad præſens negocium applicatum. Qvi ergò dicit, ſe per idem juramentum, qvod antehac præſtitit obſervare velle ſtatuta, qvæ nunc conduntur, perinde obligabitur, atqve ſi de novo juraſſet.

Ratio decidendi eſt, qvia vis juramenti ab initio præſtiti de ſervandis ſtatutis jam editis, non poteſt trahi ad hunc effectum, qvod qvi tale qvid promiſit, etiam promiſiſſe intelligatur, ſervaturum ſe, qvæ poſtea edita ſunt; hoc enim eo juramento non continebatur. Retulit ergò ſe ad id, in qvo nihil tale habetur. Nec enim jusjurandum porrigitur ad ea, de qvibus dictum aut cogitatum non eſt. Cujac. *ad h. t.* Nec ad effectum verum juramenti, item & perjurium ſufficit relatio ad aliud juramentum, tametſi ea fiat ab ipſomet jurante. Did. Covarruv. *in cap. qvamvis de pact. in 6. pr. n. 8.*

Verum enimvero ratio dubitandi mihi potior videtur & haud paulo fortior. Nec enim neceſſe eſt, ut forma juramenti qvoad externam verborum conceptionem repetatur ad inducendam obligationem juratoriam, cum nec verbis qvidem ſemper opus ſit. Qvod ſi DEus teſtis qvo qvo modo invocetur, ſive id ab aliqvo expreſsè fiat verbis prolatis, ſive tacitè ſignis qvibuscunqve ſufficientibus ad hoc, ut hi, qvorum intereſt, manifeſtè intelligant, velle eum interpoſito DEo teſte fidem ſuam obligare, ejusmodi actus & formaliter juramentum eſt, & omnino ſufficit ad inducendam obligationem in conſcientiâ. Hinc igitur ſi quis ſub juramento antehac præſtito obligari denuò velit in alio negocio recentiore; ſimplici relatione ad juramentum iſtud & DEum teſtem invocare, & hoc teſte inter-

 poſito

Digitized by Google

poſito fidem ſuam obſtringere poteſt. Et quid verò intereſt, ſi dixero: Ego juro, aut ſi dixero: Ego promitto ſub fide juramenti antehac præſtiti, niſi quod alterum mentem jurantis ſignificantius exprimat.

Ad rationem decidendi reſpondeo, obligationem juratoriam ad ſtatuta qvæ poſtea condita ſunt, vires accipere non ex juramento antehac præſtito nudè conſiderato, ſed ex toto hoc actu complexo, qvi conſtat ex juramento antehac præſtito, & relatione ad id noviter factâ, ita ut per relationem hanc juramentum iſtud extendatur ad negocium aliqvod novum.

Difficultates has cùm animadverteret Auguſtinus Barboſa, inſubtilisſimè reſpondet, Clericum hîc non intendiſſe de novo jurare, noluiſſe enim extendere cauſam nec ſubſtantiam, nec ita juramentum ipſum, ſed voluiſſe tantùm extendere vinculum i. e. effectum juramenti ad caſum ſub illo non comprehenſum, qvi tamen effectus ſine causâ ſuâ exiſtere non poſſit. Qvod ſi conſtet, Clericum habuiſſe intentionem jurandi, & extendendi juramentum ipſum antehac præſtitum, non ejus duntaxat vinculum, concedit Barboſa, revera eum juraſſe & hunc textum non procedere in foro conſcientiæ. Qvæſo ego, unde id habet Barboſa, clericum effectum ſine cauſa extendere voluiſſe. Textus ait, promiſiſſe Clericum per idem juramentum, qvod non eſt juramenti tantùm vinculum & effectum extendere ſine cauſa. *Conf.* Covarruv. *d. l. n. 12. verſ. Decimo.*

Clericus] Talem in hypotheſi conſideravit Pontifex, ſine dubio autem intellectum id voluit etiam de Laicis qvibuscunque.

per idem juramentum] non præſtitum denuò, ſed ſimplici ad illud factâ relatione.

Noto hinc I. Juramentum ad ſubſtantiam ſuam nulla præcisè deſiderare verba. *Vid* Franzk. *l. 2. reſolut. 1.*

II. Fruſtra eſſe & egregium ſui impoſtorem, ſi qvis ſe juramenti vinculo aut penitus ſolutum aut ſaltem laxius obligatum ideò putet, qvod verbum nullum juratorium emiſerit. Robert. Sanderſon *de juram. prælect. 5. ſect. 1.*

Ad cap. 36. & ult.

Nihil hic novi habetur, quod antea jure civili conſtitutum non eſſet. Dividemus hoc capitulum in certas propoſitiones.

Prop.

Prop. I. Juramentum à judice delatum non poteſt recuſari. Ratio dubitandi eſt, qvia ſic cogitur qvis juramentum præſtare, à qvo tamen meritò qvivis abſtinet vir bonus. Sed & jure civili integrum eſt tale juramentum recuſare *l. 12. ſſ. 2. C. de R. C.*

Ratio decidendi eſt, qvia lis aliter expediri neqvit, *l. 1. ff. de jurejur.*

Ad rationem dubitandi reſponderi poteſt, nullam hinc induci coactionem, ſed liberum adhuc eſſe jurare juſſo, jurare velit an minus. Si hoc, contra ſe fateri videtur, & causâ cadit.

Dantur tamen caſus, qvibus ſine detrimento cauſæ recuſari tale juramentum poteſt. Ut, ſi de re ignotâ deferatur, ſi illicitum deferatur, Berlich. *1. concl. 32. n. 38.* ſi dicatur non ritè concepta formula.

Prop. II. Juramentum, qvod à parte parti in judicio defertur, recuſari poteſt & referri.

Ratio dubitandi eſt, qvia ſic invertitur ſtatus & intentio cauſæ ex parte deferentis, qvi non ex ſuâ ſed ex adverſarii conſcientiâ litem decidendam eſſe duxit.

Ratio decidendi eſt, qvia manifeſtæ turpitudinis & confeſſionis eſt, nolle nec jurare nec jusjurandum referre *l. 38. ff. de jurejur.* & æqvum eſt, ut patiatur ipſe, qvod alteri imponere conatus eſt.

Nota tamen hîc eſt I. Si non referatur juramentum tale, recuſari id non poſſe, niſi juſtis ex cauſis, qvas enumerat Berlichius *d. l. n. 15. ſeq.*

I. Agi hîc de juramento, qvod pars parti defert in judicio. Extra judicium enim qvod delatum eſt referri neqvit, qvia id agi videtur inter partes, cum una ex conventione alteri defert jusjurandum, ne is, cui defertur, id referat & rejiciat in deferentem. Cujac. *ad h. t.*

Prop. III. Conventus actione famoſa referre juramentum delatum neqvit.

Ratio dubitandi peti poteſt ex ratione decidendi prop. anteced.

Ratio vero decidendi hæc eſt, qvia delictum, de qvo actio inſtituta eſt, magis notum eſt illi, cui delatum eſt juramentum, qvàm iſti, qvi detulit.

Prop. IV. Actore nihil probante Reus, etſi nihil præſtiterit, abſolvitur.

Ratio dubitandi eſt, qvia in judicando & ſententiâ ferendâ ad probatio-

Digitized by Google

ones reſpiciendum eſt; Si igitur reus de jure ſuo nihil probavit, qvomodo pro eo ferri poteſt ſententia.

Ratio decidendi eſt, qvia is, cujus nihil intereſt, ad agendum admitti non debet, nec turbanda hinc poſſesſio rei ab eo, qvi nullum habet jus agendi.

Ubi tamen notandum, Actorem, qvi nihil omninò habet, unde intentionem ſuam probet, poſſe Reo jusjurandum deferre *l. 35. ff. de jurejur. l. ult, C. de fideicomm. l. ult. §. 10. C. de jur. delib.*

Prop. V. In cauſis dubiis, (qvæ ita dicuntur, qvando dubia eſt argumentorum probatio, forte propter probationem ex utraqve parte conflictum, vel propter præſumptionem aliqvam, qvæ facit pro alterâ parte) à judice rectè juramentum defertur. Utri autem parti id deferri debeat, judicis arbitrio relinqvitur. *Vid.* Franzk. *ad ff. tit. de jurejur. n. 131. ſeq.*

Ratio dubitandi peti poteſt ex propoſitione antecedente, ſed qvæ ideò hîc nihil facere poteſt, qvia illic nihil hîc aliqvid ſed non plene probatum ſupponitur.

Ratio decidendi eſt, qvia iniqvum videtur, ut qvis omni cauſâ cadat, qvi aliqvam fidem de jure ſibi competente fecit.

LIB. II. DECRETAL.

Tit. XXV.

de

EXCEPTIONIBUS.

Ad cap. 1.

QVid probet teſtis & num puniri qveat, qvi per modum exceptionis de crimine convictus fuit, principale eſt hujus cap. thema. Finge, reum ſive in civili ſive in criminali cauſâ conventum adverſus teſtem actoris aut accuſatoris excipere de crimine falſi, qvod is aliqvando commiſit. Diſtingvit Pontifex, utrum teſtis ille jam ante reus peractus fuerit in alio judicio, an verò nunc demum reus ejus criminis dicatur. Poſteriore hoc caſu probatione opus eſt, cùm non ſufficiat, crimen

men objicere. Priore vero caſu nullâ probatione opus eſt, ſed allegatione tantum, ut judici eâ de re conſtet. Qvod ſi vel olim, vel nunc demum teſtis ille crimen objectum confeſſus aut de eo convictus fuerit, perit fides ejus, & vel prorſus non audiendum, vel, ſi auditum jam fuerit, non attendendum eſt ejus teſtimonium. Et hæc prima eſt hujus capituli deciſio.

Ratio dubitandi eſt, qvia ex unico illo commiſſi falſi actu non licet ad nunc & ſemper argumentari, nihil omninò veri nullo unqvam tempore à teſte illo proficiſci poſſe, præſertim ſi teſtimonium ejus juramento firmetur, qvod ſolenne eſt in judiciis & neceſſarium.

Ratio decidendi eſt, qvia teſtes absqve ullâ infamiâ vel ſuſpicione, vel manifeſtâ maculâ in ferendo teſtimonio reqviruntur. Et hic militat illud: Semel malus ſemper præſumitur talis.

Altera capituli hujus deciſio pertinet ad qvæſtionem, num puniri debeat teſtis, cui per modum exceptionis objectum fuit crimen, qviqve de eo confeſſus aut convictus fuerit. Reſpondet Pontifex, puniri eum non debere.

Ratio dubitandi eſt, qvia crimina, undecunqve claruerint punienda ſunt *c. ecce 24. q. 3.* & qvia intereſt Reip. ne delicta maneant impunita *l. 51. ff. ad L. Aqvil.* qvò & facit, qvod Pontifex puniverit Canonicum, qvi in jure crimen Simoniæ confeſſus fuerat *c. 2. X. de confeſs.*

Ratio decidendi eſt, qvia accuſatio in talem teſtem ſecundum juris ordinem nondum proceſſit, ſive qvia hoc judicium, in qvo qvis teſtimonium perhibere cogitur, non adverſus ipſum teſtem inſtitutum eſt, neque exceptio iſta objecta fuit eum in finem ut is puniatur, ſive per modum judicii criminalis, ſed ut fides ejus elevetur, & teſtimonium infirmetur. Sufficere ergò ait Pontifex, ſi à perhibando teſtimonio repellatur.

Videtur tamen Pontifex excipere caſum, qvando crimen, qvod objicitur, cauſam principalem, de qvâ agitur, contingit. E. g. ſi agatur de Simoniâ ab reo commiſſa, & teſtis productus fuerit unus ex facinoris iſtius adminiſtris & adjutoribus, non dubito, teſtem talem, ſi confeſſus aut convictus & ſufficienter auditus fuerit, propter continentiam cauſæ, ſine ulteriori judicio puniri poſſe.

à teſtimonio repelli poſſunt] h. e. omninò non ſunt examinandi, cùm jam certum ſit, eorum teſtimonia nullius valoris eſſe,

niſi

niſi prius ſe probaverint] Hæc exceptio propriè pertinet ad eos qvi ſunt in reatu, nondum peracti rei. Qvibus enim adhuc licet probare innocentiam ſuam, peracti rei dici nondum poſſunt. Subeſt tamen hîc argumentum à minori ad majus, & per extenſionem fortiorem etiam illi repellendi ſunt, qvi rei jam peracti ſunt.

mulctari] h.e. puniri. Alias autem inter mulctam & pœnam multum intereſt, cùm pœna generale ſit nomen, omnium delictorum coercitio, mulcta ſpecialis peccati, cujus animadverſio hodiè pecuniaria eſt. *Vid. l. 131. §. 1. ff. de V. S. & ibi.* Joh. Gœddæus.

cùm accuſatio in ipſos] h.e. cùm judicium hoc adverſus eos non ſit inſtitutum, neqve accuſandi animo crimen eis objiciatur, neqve peragi propterea illi in hoc judicio qveant.

præſertim ubi] Dictio hæc exprimit caſum minus dubitabilem, & implicat magis dubitabilem. A Barboſa *dictione 277.* Strauch *in Lexic. partic. jur.* Sed hîc tamen videtur exceptionem denotare, (etſi id neget Nicolaus Rodriguez Fermoſinus, & ſibi ipſi contrarius exiſtat Auguſtinus Barboſa *ad h. t.*) dum tamen, qvod præſupponendum eſt ſufficienter auditus de hoc ſuo crimine fuerit teſtis.

Notandum hinc I. Teſtibus productis & ante & poſt examen objici poſſe crimina, ut fides eorum infirmetur. Idqve patet ex antiqvâ decretali apud Anton. Auguſtinum *c. 1. in 2. compil. Add.* Chur-Sächſ. Gerichts-Ordn. *tit. 20. pag. 53.*

II. In exceptionibus reum partibus actoris fungi & proinde exceptiones ſuas probare debere. *l. 19. ff. de probat. l. 1. ff. de except.*

III. Probationes iſtas de teſtium inhabilitate ante ſententiam inſtituendas eſſe, & regulariter qvidem poſt publicationes atteſtatorum, niſi inhabilitas manifeſta & notoria ſit, aut in continenti probari qveat, qvo caſu nec examinandus qvidem talis erit teſtis, Berlich. *deciſ. 2.* Carpzov. *in proceſſ. tit. 13. art. 5. n. 6.* Mev. *part 5, deciſ. 218.* In appellationis autem inſtantiâ tales probationes non facilè admittuntur. Didac. Covarruv. *pract. quæſt. c. 18. n. 5.*

IV. Teſtes debere eſſe habiles & idoneos ætate, moribus, conditione, extra ſuſpicionem, integrâ fide, & qvi omni gratiæ & potentatui fidem religioni judiciariæ debitam poſſint præponere *l. 5. C. de teſtib.* Multum tamen hîc relinqvi arbitrio judicantis *l. 3. ff. de teſtib.*

V. Re-

V. Repellendos nec audiendos eſſe teſtes, qvi vel rei peractijam ſunt propter aliqvod crimen, vel in reatu adhuc ſunt.

VI. Objicientem teſti crimen actione injuriarum non teneri, dum tamen id probaverit. Matth. Coler. *de proceſs. execut. l. 1. cap. 8. n. 86.* Marzius *deciſ. 72. num. 15.* Carpzov. *p. 4. conſt. 42. def. 7.* Hondedeus *part. 1. conſult. 96.* Nec teſtis propterea infamis erit. *arg. l. 21. ff. de his qvi not. inf.*

VII. Teſtem, cui per modum exceptionis crimen objectum fuit, etſi confeſſum aut convictum puniri non poſſe, niſi crimen objectum cauſam contingat. Hoc caſu enim etiam anticategoriæ admittuntur & accuſator ob crimen per retorſionem objectum puniri poteſt. *l. 2. §. 6. ff. ad L. Jul. de adult.* Hartm. Piſtor. *Obſervat. 126.*

Ad c. a nobis 2.

Præſupponenda hîc ſunt duo principia Canoniſtarum. (1.) excommunicatum in judicio accuſare & agere non poſſe. *c. 7 X. de judic. c. 7. de probat.* (2.) Communicantem cum excommunicato ipſum qvoqve incidere in excommunicationem. *c. 30. X. de ſentent. excomm.* Finge jam, Titium à Mævio de crimine adulterii accuſatum objicere ei exceptionem excommunicationis, qvod ſcil. Mævius propter crimen aliud excommunicatus ſit, nec propterea perſonam ſtandi in judicio, nec facultatem accuſandi habeat. Mævium replicare de eâdem excommunicationis maculâ, qvam incidit Titius, dum ſecum communicaverit, hoc ſenſu: Tu non potes mihi opponere exceptionem excommunicationis, qvandoqvidem ipſe qvoqve excommunicatus nunc es, propterea qvòd mecum hactenus communicaſti, non ignorans, excommunicatum me eſſe. Qværitur an replicatio ita retundat exceptionem, ut accuſatus reſpondere teneatur ad accuſationem propoſitam? & reſpondetur, replicationem illam nihil facere.

Ratio dubitandi eſt, qvia, qvi cum aliqvo communicat, ipſe, ut dixi, excommunicationem incurrit, & ſic objicere non poteſt id, qvo ipſe infectus eſt, nec reprobare qvis poteſt eum, cujus mores ſemel approbavit. *l. 9. ff. de negot. geſt.*

Ratio decidendi eſt, qvia multo fortior eſt exceptio qvam replicatio. Accuſator enim excommunicatione majori innodatus, h. e. ab Eccleſiâ prorſus excluſus erat, accuſatus autem minori tantùm, h. e. à Sacramen-

 to-

Digitized by Google

torum tantùm communione repellebatur. Excommunicationi autem minori innodatus poteſt ſtare in judicio, etiam, ut actor, qvod excommunicatio major non admittit.

Notandum hîc excommunicatos & excluſos à communione fidelium vitari qvidem debere, qvantum per rerum naturam fieri poteſt; Qvod vero ille etiam, qvi communicaverit cum illis, in excommunicationem incidat, duriſſimam eſſe ſeqvioris Eccleſiæ legem. *Vid.* Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccleſ. lib. 5. c. 9. num. 29.* Idqve valdè rigidum eſt, qvod nec orare qvidem cum eis liceat, uti dicitur. *c. excommunicatos cum duob. ſeq. 11. q. 3.* & qvod excommunicationem incurrat etiam ille, qvi excommunicato mortuo lavando, veſtiendo, ſepeliendo humanitatis officia præſtat. Aug. Barboſ. *ad c. 28. n. 5. X. de ſentent. excomm.*

II. Injuſtè denegari excommunicatis facultatem agendi. *Vid. qvæ dixi ad Lancellott. lib. 4. tit. 13. §. 19.*

Ad cap. cum Eccleſiaſticæ 3.

Summa hæc eſt: Habentem plura beneficia non poſſe adverſario ſuo objicere, qvod ei non liceat plures præbendas habere. Fruſtra enim legis auxilium implorat, qvi committit in legem *c. 14. X. de uſur.* Et qvi vult alterius mores reprehendere, non debet ipſe eodem laborare vitio. Plura beneficia Eccleſiaſtica, plures præbendas in diverſis Eccleſiis habere, prohibitum eſt jure Canonico. *c. 5. & c. 28. X. de præbend.* Eam legem objiciebant Eccleſiæ cujusdam Canonici novo Collegæ, cui papa præbendam in Collegio ſuo contulerat, qvod ipſe jam ante præbendam in aliâ Eccleſiâ haberet. Sed cùm ipſi in eodem vitio verſarentur, & plures præbendas in diverſis Eccleſiis poſſiderent, exceptio illa ſtringere non poterat. Et loqvitur, hiſtoria Eccleſiaſtica, qvantum legi illi Eccleſiaſticæ per praxin contrariam derogatum ſemper fuerit. *Vid. qvæ dixi ad Lancellott. lib. 1. tit. 27. §. 40.*

Ad cap. paſtoralis 4.

Titius à Cajo conventus opponebat in primo termino exceptionem fori, eâqve diſcuſsâ in ſecundo exceptionem legitimationis, in tertio exceptionem ſatisdationis pro reconventione & expenſis. Qværebatur, utrum hoc permitti deberet? Pontifex id negat, & jubet, ut omnes ejusmodi exceptiones intra certum tempus à judice aſſignandum præponantur.

Ra-

Ratio dubitandi videtur eſſe ea, qvod favorabiles ſint partes rei, & favorabilis cauſa exceptionum, qvodqve prohiberi neqveat, ne reus utatur exceptionibus competentibus.

Ratio decidendi eſt, qvia per dilatorias exceptiones malitioſè nonnunqvam cauſarum terminatio prorogatur. Ne igitur nimium protrahatur proceſſus, & malitioſè termini multiplicentur, tempus conſtitui debet, intra qvod dilatoriæ exceptiones omnes opponantur, qvo elapſo, nulla eas amplius proponendi licentia competat.

Excipit tamen Pontifex tres caſus, (1) qvando reus de aliis ſibi competentibus proteſtatus fuerit. (2) qvando exceptio dilatoria de novo fuerit exorta, & (3) qvando jurat reus, ignoratam ſibi eam hactenus fuiſſe.

extunc] h. e. poſtqvam terminus à judice aſſignatus præterlapſus eſt.

proteſtate] Gloſſa hîc intelligit proteſtationem, qvæ fit cum ſpecificatione reliqvarum exceptionum, e. g. ſi qvis proponat exceptionem recuſationis judicis, & addat: ſalvis exceptionibus litis pendentis, libelli inepti, cautionis pro reconventione & expenſis. Et tùm putat gloſſa, ſuper exceptione recuſationis tantùm procedi poſſe, eo effectu, ut poſtqvam de hâc judicatum fuerit, reliqvæ deinceps adhuc probari qveant. Sed hâc ratione nî fallor fraus fit legi. Nec alium tamen verba patiuntur ſenſum. Videtur Pontifex ſeductus per *l. 19. C. de probat.* non animadvertens, per dilatoriam illic loci non intelligi dilatoriam proceſſus, ſed ſolutionis & cauſæ, qvæ oritur ex pacto de non petendo intra certum tempus. *Vid.* Sichard. *ibid.* Hahn. *ad Weſenbec. de except. n. 10.* Vinn. *ad §. 11. Inſt. de except.* Cujac. *9. obſ. 23.* Ex ſententiâ igitur Pontificis proteſtari h. l. idem eſt qvod conteſtari *in l. 8. & 9. C. de except.*

de novo] id eſt, ſi novæ cauſæ poſtea emerſerint, ob qvas e. g. judicem tanqvam ſuſpectum recuſare liceat.

Notandum hinc I. In judiciis utiliter conſtringi exceptiones dilatorias, ut intra certum terminum aut à lege præfixum, aut à judice præfigendum, proponantur univerſæ & ſingulæ, & poſt terminum elapſum non audiantur amplius. Qvia enim reorum eſt fugere, non deſinent illi, ſi liberum id eſſet, unam poſt aliam comminiſci & per ſolas exceptiones dilatorias proceſſum protrahere in infinitum.

II. Non proponi tantùm, ſed etiam diſceptari, probari & decidi debere unâ continuâ operâ dilatorias exceptiones omnes. *l. pen. C. h. t.*

III. Non audiri debere poſt litem conteſtatam exceptiones dilatorias, multo minùs in inſtantiâ appellationis, niſi propter dilatorias illas ante litem conteſtatam appellatio interpoſita fuerit. *Vid.* Moller. *ad conſtit. 3. part. 1.* Hartm. Piſtor. *lib. 4. q. 23. n. 2. 3. 4.*

IV. Exceptionem dilatoriam noviter exortam, aut nunc demum compertam (ſi hoc ultimum juramento confirmatum fuerit) in qvovis articulo proceſsûs opponi poſſe. Covarruv. *pract. qvaeſt. c. 26. n. 2.*

Ad cap. cum inter 5.

Caſus talis eſt: Savaricus de Malo leone nobilis Pictavienſis cum excommunicatus eſſet, conveniebatur à monaſterio de Argentolio, & cognitio cauſæ commiſſa erat qvibusdam à Pontifice Rom. delegatis. Rei procurator nonnullos judices ut ſuſpectos recuſabat. Replicabat actor, talem exceptionem à reo excommunicato opponi non poſſe. Relatione factâ ad committentem Pontificem, reſpondit ille, exceptionem hanc excommunicatis non eſſe denegandam.

Ratio dubitandi eſt, qvia eo ipſo, dum excommunicatus ſuſpectum reddit judicem, judicium impugnat. At impugnandi facultas excommunicatis non eſt danda, uti dicitur in fine hujus capituli. Qvò facit, qvod difficulter admodum, & non niſi ut reus, admittatur in judicio, excommunicatus, id qvod utiqve ut beneficium agnoſcere, nec proinde ſugillare judicem deberet. Neqve conditio ejus talis eſt, ut favore dignus exiſtimetur, nedum ut à judicio decedat judex & removeri ſe patiatur.

Ratio decidendi eſt, qvia reo convento defenſio, qvippe qvæ juris naturalis eſt, denegari neqvit. At maxima pars defenſionis conſiſtit in eo, ut judicium rectè ſe habeat, neve qvis coram judice ſuſpecto litigare cogatur. Dum ergò excommunicatum convenire in judicio licet, ſatis erit abſurdum, ſi actore impugnante reo defenſionis copia denegetur, præſertim cum per exceptionem recuſationis judicis non favor excommunicati, ſed integritas judicii, ne id claudicet, procuretur. Similem ait eſſe rationem appellationis, diſparem autem planè reconventionis, cùm in eâ actoris partes ſuſtineat, qvæ ipſi jure Canonico planè interdictæ ſunt.

Priorem] Priorem conventualem habere dignitatem & differre à Clauſtrali docent Antonius Bengeus & Franciſcus Pinſon. *de benefic. pag. 27.*

de

de Argentolio] erat hoc monaſterium Virginum in agro Pariſienſi, ſed cùm turpiter viverent moniales, pulſis illis, reſtitutum fuit id cœnobium monachis S. Dionyſii. *Vid.* Anton. Dadin. Alteſerra *ad c. 36. X. de teſtib.*

nobilem Virum] Mirum eſt, hominem excommunicatum, tanto à Pontifice inſigniri titulo, cùm eum aliàs Electoribus tantùm & Principibus tribuere ſoleat. *Vid.* Limnæ. *de jur. publ. l. 4. c. 6. n. 54.*

de Malileone] Savaricus hic fuit pirata, uti eum vocat Guilermus Brito *Philippidos lib. 8.* Ejus mentionem facit Rigordus de geſtis Philippi Auguſti ad ann. 1208. & dicitur fuiſſe Seneſcallus Regis Angliæ.

ſuſpectos] De cauſis unde ſuſpecti judices fiant, videri poſſunt Hortenſius Cavalcanus *de brach. reg. part. 3. num. 344.* Stephanus Aufrerius *tr. de recuſat.*

claudicare] claudicaret utiqve ſi non ex æqvo utriqve litiganti juſtitia adminiſtretur, ſed judex in alterutrius partes magis propenderet.

in causâ abſolutionis] h. e. qvando poſt cognitionem cauſæ apparet, abſolvi eum debere.

ſuffragia] ſcil. juris, qvæ ei ut reo convento competunt.

Notandum hinc I. Excommunicatum conveniri tantum poſſe in judicio, agere & reconvenire non poſſe, ex placitis juris Canonici. Sed qvam iniqva ea ſint, *dixi ad c. 7. X. de judic.*

II. Rectè jus canonicum excommunicatis relinqvere exceptionem recuſationis judicis, qvippe in qvâ prima & præcipua defenſionis ratio conſiſtit.

III. Periculoſum eſſe, coram ſuſpecto judice litigare, & hinc naturali jure adverſus talem competere exceptionem.

IV. Judicem ex æqvo utriqve parti favere & tàm reo qvam actori juſtitiam impertire debere, ne judicium claudicet.

V. Excommunicato appellationis remedium non eſſe denegandum, cùm & illud defenſionis pars ſit.

Ad cap. cum venerabilis 6.

Johanni Epiſcopo Sabinenſi Eccleſiam S. Viti à monachis Farſenſibus vindicanti, procurator monaſterii, non expectatâ probatione actorum exceptionem permutationis factæ oppoſuerat, eamqve in rem inſtrumentum produxerat, qvo continebatur, Theodoſium anteceſſorem Johannis Ec-

Digitized by Google

Eccleſiam, qvæ petebatur, titulo permutationis plenè conceſsiſſe monaſterio, & recepiſſe pro eâ Eccleſias & res alias. Actor hinc replicaverat, intentionem ſuam per hanc exceptionem ſufficienter fundatam eſſe. Per confeſſionem enim permutationis factæ induci ſimul confeſſionem dominii, qvod tempore permutationis fuerit penes Epiſcopum amisſionem autem & translationem dominii per inſtrumentum productum non probari, id enim in authentico mentionem facere Theodoſii Epiſcopi, indefinitè non verò Epiſcopi Sabinenſis, qvanqvam id vocabulum non ſine falſitatis notâ transſcripto ſive exemplo producto inſertam fuerit. Ut verò fortiùs urgeret intentionem ſuam actor, teſtes ſimul induxerat, ex qvorum ore probabat, Epiſcopos, Sabinenſes diu poſſediſſe fundos ad Eccleſiam, qvæ in lite erat, pertinentes. Pontifex de certamine hoc conſultus ſpiritualia, ut vocantur, Epiſcopo, temporalia ejus Eccleſiæ monaſterio adjudicat.

Ratio dubitandi qvoad ſpiritualia eſt, qvia permutatione omnia ſimul jura utrinqve translata intelliguntur.

Ratio decidendi eſt, qvia Eccleſia controverſa eſt in diœceſi actoris. Epiſcopus autem in omnibus ſuæ diœceſeos Eccleſiis habet jura Epiſcopalia, niſi aliqva earum vel privilegio vel præſcriptione exemptam ſe fecerit.

Ratio dubitandi qvoad temporalia eſt, qvia teſtes ab Epiſcopo producti depoſuerant, Epiſcopos anteceſſores diu fundos ad Eccleſiam controverſam pertinentes poſſediſſe.

Ratio decidendi eſt, qvia poſſeſſio illa, qvæ probabatur, ad rei vindicationem non erat ſufficiens, qvippe qvæ tantum temporis ſpacium, qvantum ad præſcriptionem ſufficiens erat, non continebat.

Incidentes de dubiis, qvæ in proceſſu occurrebant, & à partibus movebantur, enucleatè agit Pontifex, & primò qvidem eam examinat qvæſtionem, utrum excipiens confiteatur intentionem actoris, eamqve negat.

LIB.

Digitized by Google

Lib. II. Decretal.

Tit. XXVII.

de

SENTENTIA ET RE JUDICATA.

Ex matrice hujus textus', *h. e. ex epiſt. 6. & 7. lib. 2. Gregorii Magni*, conſtat ſpeciem facti fuiſſe iſtam. Hadrianus Thebanæ civitatis Epiſcopus temerè & neqve confeſſus neqve convictus condemnatus fuerat primùm à Johanne Epiſcopo Lariſſæo, deinde à Johanne primæ Juſtinianæ Epiſcopo, qvibus ſucceſſivè cauſæ cognitionem commiſerat Imperator. Et prior qvidem ille coëgerat Hadrianum in vincula conjectum, ut objecta ſibi capitula confiteretur; alter verò iſte Demetrium diaconum verberibus adigere non erat veritus, ut adverſus Epiſcopum ſuum teſtimonium diceret. Sed eventus docuit, nihil eorum, qvæ imputabantur, ab Hadriano commiſſum, neqve per teſtes qvicqvam probatum fuiſſe. Qvocirca indignè id ferens Gregorius M. ad qvem Hadrianus profugerat, reſtitui eum ſedi ſuæ debere reſpondit, nec qvicqvam valere ſententiam contra leges & contra canones prolatam. Inter nullitates autem ab his judicibus commiſſas maximè eminebat illa, qvod ad accuſationem Epiſcopi admiſſi fuerant diaconi loco moti, adeoqve Epiſcopo ſuo infeſti, contra canonem Africanum 8. Summa huc redit, nullius momenti eſſe ſententiam contra leges vel canones latam.

Ratio dubitandi eſt, qvia res judicata, de tali enim ſententiâ hîc agitur, pro veritate accipitur *l. 207. ff. de R. J.* Eſtqve ejus tanta autoritas, ut ex nigro faciat album & ex albo nigrum, ex non ente ens, ex non jure jus, ex non herede heredem, ex non filio filium, Joh. Maſcard. *de probat. concl. 1296. n. 14. ſeq.* Sigiſm. Scaccia *de ſent. & re jud. gloſſ. 14. q. 2. n. 7.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſententia debet eſſe juri conformis. In theſi enim qvando juri & legibus repugnat, eſt ipſo jure nulla, ita ut nec appel-

la-

Digitized by Google

latione opus ſit *l. 19. ff. de appell. l. 1. §. 2. qvæ ſentent. ſine appell. l. 2. C. qvando provoc. non eſt neceſs.*

contra leges canonesve] Differentia horum in eo conſiſtit, qvod canones per modum conventionis in Synodis promulgentur, nec aliunde vim obligandi habeant; Leges verò ex principis autoritate & juſſu veniant, ita ut cogi poſſint refractarii ad præſtandam obedientiam.

ſuſpenſa] Sic dicitur ſententia, cujus effectus ſufflaminatur per interpoſitam appellationem, ne tranſire poſſit in rem judicatam.

ipſo jure] verba hæc, qvàm diverſimodè capiantur, prolixè exponit Tob. Pauermeiſter *de jurisdict. lib. 1. c. ult. n. 29. 30.* Significatio omnium præcipua eſt ea, qvâ opponitur exceptioni. Pugnantia enim ſunt JCtis liberari ipſo jure & liberari per exceptionem *l. 34. §. 1. ff. de O. & A.* Qvanqvam enim qvoad effectum parum intereſſe videatur *l. 112. ff. de R. J.* manet tamen adhuc aliqva in aliis articulis differentia. Qvando enim ipſo jure ſublata eſt obligatio, ut maxime deinceps reus condemnetur, ſententia tamen nunqvam transire poteſt in rem judicatam, ſed actione judicati conventus allegatione factæ ſolutionis e. g. perpetuò tutus eſt. Qvi verò per exceptionem ſe tuetur, ſi conveniatur & condemnetur, ſententia ſubſiſtit, & executioni mandari poteſt. Eckolt *de O & A. n. 28.* Vacon. à Vacuna *lib. 2. declarat. 36. n. 7.* Nicol. Bellonus *lib. 2. supputat. 19.*

Hinc verò notandum I. Sententiam contra jus conſtitutum latam eſſe ipſo jure nullam, nec ullum adeò effectum habere. Nec enim aliter judicare debet judex, qvàm legibus aut conſtitutionibus aut moribus proditum eſt. *pr. Inſt. de off. jud.* Sed probe hîc diſcernenda eſt ſententia, qvæ contra jus conſtitutum fertur, & à Græcis JCtis παράνομος dicitur, ab eâ qvæ fertur contra jus partis in applicatione juris conſtituti ad hypotheſin, & ἄδικος ſive injuſta aliàs dicitur. Hæc enim non eſt nulla. *Vid. ſi lubet, noſtra dicaſticæ concluſ. 36. §. 48. ſeq.*

II. Ad jus conſtitutum referri non tantùm leges, ſed & canones, maximè ſi confirmati per leges fuerint, itemqve ſtatuta municipalia, bonos mores & conſvetudines, tùm & ſententiam priorem, qvæ vires rei judicatæ acqviſivit. *Vid.* Zoeſ. *ad h. t. n. 52.*

III. A ſententiâ ipſo jure nullâ neceſſarium non eſſe ut appelletur, cum illa nunqvam omninò tranſire poſſit in rem judicatam *l. 19. ff. de appellat. l. 1. §. 2. ff. qvæ ſentent. ſine appell.* At ſi injuſta tantùm fuerit ſententia, h. e. talis, qvæ

qvæ non directò jus conſtitutum ſed jus partis tantùm lædat, ea niſi appelletur, rei judicatæ vires conſeqvitur *l. 2. & . 5. C. qvand. provoc. non eſt neceſſ. l. 32. ff. de re jud. l. 27. ff. eod.*

Ad cap. jurgantium 2.

Dum cauſam, qvæ inter Vivlandum & diaconum Gavinianum verſabatur cognitioni Johannis Epiſcopi Ravennatenſis committit Gregorius *lib. 2. epiſt. 28.* admonet eundem, ut dilationibus conceſſis ne nimium cauſam protrahat.

Ratio dubitandi peti poteſt *ex l. 2. C. de ſentent. ex peric. recit.* ubi conſtituit Imperator, judices qvos cognoſcendi & pronunciandi neceſſitas tenet, non ſubitas, ſed deliberatione habitâ poſt negocium ſententias ponderatas formare debere. Atqve hinc dicitur *in l. fin. C. comminat. epiſt. programm.* magno conflictu, h. e. probè examinato negocio & ſufficienter auditis partibus confligentibus, habitâ deinceps deliberatione, ponderatis utriu qve partis probationibus, & omni omninò causâ plenè discuſsâ ſententias decerni ſolere.

Ratio decidendi eſt, qvia dilationes tantùm & protelationes in proceſſu abeſſe jubentur â Pontifice, cùm illicò addat, cauſæ veritatem ſubtili inqviſitione diſcuti debere.

celeri ſententiâ] non tamen præcipitatâ, & causâ non ſatis discuſsâ.

& rigor] Qvid rigor, qvid æqvitas ſit, pleniùs expoſui *in dicaſt. concluſ. 36. §. 34.* ubi ſimul dixi, qvâ ratione temperari inter ſe debeant.

Notetur hîc I. Judicem partibus ſuis fungi debere nec præcipiti feſtinatione, nec moratoriâ cunctatione.

II. Protelationes litium eſſe evitandas, nec concedendas temerè & ſine causâ dilationes. *Vid.* Ventura de Valentiis *in Parthen. litig. l. 1. cap. 12.*

Ad cap. non poteſt 3.

Florentius Epidauri Epiſcopus injuſte & nec in Synodo qvidem ſede ſuâ dejectus erat. Reſpondet Pontifex, ſententiam illam prorſus nullam eſſe, & reſtitui ante omnia Florentium, dehinc cauſam ejus ab avo examinari debere.

Digitized by Google

Ratio dubitandi difficulter hîc eruetur, qvandoqvidem de facto, qvaliter ſe habuerit, non usqve qvaqve conſtat ex epiſtolis Gregorii *8. & 9. lib. 2.* Generalis tamen ratio ad præſens thema, qvod de nullitate ſententiæ agit, repeti poteſt ex *cap. 1.* qvod ſcil. res judicata finem imponat liti & qvod propter illam reſuſcitare hanc nullo modo liceat, qvodqve præſumptio ſit pro ſententiâ. *Vid.* Aymo Cravett. *de antiq. temp. part. 2. c. 1.* Fernand. Vaſq. *lib. 1. controv illuſtr. c. 39.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſententia non obſervato juris ordine lata eſt nulla, *l. 4. C. de ſentent. & interloc. omn. jud.* & qvia ſententia nulla in rem judicatam transire non poteſt, *l. 4. §. 6. ff. de re jud.*

à ſacerdotali gradu] Sacerdotis vocabulum Epiſcopis κατ' ἐξοχὴν tribui patet *ex l. 10. l. 14. l. 18. l. 31. l. 33. l. 42. l. 43. l. 44. C. de Epiſc. & Cler. l. 13. l. 34. C. de Epiſcop. aud. Vid.* Anton. Contius *ad l. 7. C. de Epiſc. & Cler.* Joh. Rainold. *in Colloqv. cum Hart. p. 368.*

concors ſacerdotum ſententia] In Synodo congregatorum. Cumqve ad condemnationem Epiſcopi jure Canonico reqviratur, ut duodecim Epiſcopi comprovinciales conveniant *c. ſi qvis tumidus & c. ſeq. 15. q. 7.* gloſſa hîc putat, concordem eſſe debere omnium & ſingulorum ſententiam, idqꝫ ſpeciale eſſe in cauſa Epiſcopi condemnandi *per c. ſi. qvis Epiſcopus criminaliter 6. q. 4.* ad qvem videri poteſt Auguſtinus Barboſa.

Notandum hîc I. depoſitionem Epiſcopi non niſi ex juſtis cauſis fieri debere.

II. Depoſitionem talem fieri non poſſe à ſolo metropolitano ſed pertinere ad cognitionem totius Synodi, ex pluribus Epiſcopis comprovincialibus coactæ.

III. Aliter ſi fiat depoſitio, ſententiam eſſe ipſo jure nullam.

Ad cap. ea 4.

Poſtqvam plurimas corruptelas, qvæ Eccleſiam Africanam in provinciâ Mauritaniæ Cæſareenſis infecerant, emendaſſet Leo I. Pontifex Romanus *epiſt. 87.* qvidqve deinceps obſervari deberet, longo ordine expoſuiſſet, hoc tandem epiphonemate epiſtolam ſuam concludit. In qvo neceſſe non eſt, ut inſiſtamus prolixiore explicatione, qvandoqvidem nihil aliud in eo continetur niſi argumentum monarchiæ Eccleſiaſticæ, qvam jam eo tem-

tempore affectavit Epiſcopus Romanus, præter imo contra Chriſti & Apoſtolorum inſtitutum.

Ad c. de cætero 5.

Finge ſententiam latam fuiſſe ex falſis documentis, ejusqve executionem certæ perſonæ fuiſſe commiſſam, falſitatem autem demùm in executione objectam. Qværitur an & qvatenus attendere debeat executor iſtam exceptionem? Et reſpondet Pontifex, executori facultatem de toto negocio cognoſcendi non competere, ſed deferri tales qvæſtiones debere ad judicem, à qvo executio mandata fuit, ſuſpenſa interim executione.

Ratio dubitandi poteſt peti exinde, qvod judex poſtea qvam ſemel ſententiam dixit, judex eſſe deſinit, & corrigere ſententiam ſuam non poteſt, *l. 55. ff. de re jud.* Ergò ſi qva in executione obverti poteſt exceptio, nullibi ejus cognitio inſtitui poteſt, niſi apud eum cui executio commiſsa fuit.

Ratio decidendi eſt, qvia nudus executor nullam habet jurisdictionem in eâ causâ, & proinde ſuper exceptionibus propoſitis cognoſcere non poteſt *l. 6. & 8. C. de execut. rei jud.*

& fraus intervenerit] Qvale exemplum dedimus in præmiſsâ facti ſpecie, de ſententiâ ex falſis inſtrumentis latâ.

de toto negocio] h. e. causâ principali, qvæ antea fuit in lite, qvæqve per ſententiam terminata fuit.

ad ſedem Apoſtolicam] h. e. ad Papam, à qvo cauſa principalis cognita & deciſa fuit.

Notetur hîc unicè, executorem non habere poteſtatem cognoſcendi de exceptione cauſam principalem concernente à condemnato in ipſo executionis actu objectâ. Intereſt ſcil. utrum exceptio verſetur circa res, in qvibus executio facienda eſt, & de iſtis executor cognoſcendi facultatem habet *l. 15. §. 4. ff. de re jud.* an verò reſpiciat merita cauſæ principalis, & tùm rurſus intereſt, utrum concernat tantùm executionem, qvalis eſt exceptio competentiæ, it. exceptio diviſionis fidejuſſori competens, & de talibus itidem executor cognoſcere poteſt, an verò directò impugnet ſententiam, ut eſt exceptio nullitatis falſorum inſtrumentorum & ſimiles. Has audire qvidem & admittere poteſt executor, non tamen ſuper eis pronunciare, ſed ſi cognoverit eas eſſe veras, ut qvia nullitas evidenter apparet, tunc remittere cauſam debet ad priorem judicem, ſin eas falſas repererit, his non

 atten-

Digitized by Google

attentis exeqvi poteſt ſententiam primi judicis. Lud. a Peguera *deciſ. 182.* Andr. Gail, *l. 1. obſ. 113.*

Cæterùm probè tenendum eſt, agere hunc textũ de executore ſententiæ, ne ſtatuamus differentiam inter jus Canonicum & civile, uti facit Cujacius *ad h. t.* propter *l. 4. C. ſi contra jus vel util. publ.* qvam huic textui contrariam eſſe dicit. Sed enim agit ibi Imperator de ſpecie prorſus alia, nempe de executione Reſcripti alicujus, qvod lite pendente, id eſt, ante rem judicatam ſeu definitivam ſententiam, vel poſt interpoſitam appellationem, qvæ judicatum ſuſpendit, ſæpè impetratur, ut qvid celeriter reformetur, puta ut reſtituatur poſſeſſio aut ſimile qvid. Uti optimè obſervat Jacobus Gothofredus *ad l. 4. C. Theod. de diverſ. reſcript.*

Ad c. cum aliqvibus 6.

Cujacius explicat hoc capitulum de eo, qvi juſſu Prætoris mittitur in poſſeſſionem bonorum ejus, qvem vicit, judicati ſervandi cauſa, ad qvam miſſionem dicit non ſufficere verbis eam fieri, ſed victorem mitti debere in poſſeſſionem corporalem, naturalem & realem. Cum pignus prætorium conſtitui aliter non poſſit, niſi ventum fuerit in poſſeſſionem *l. 26. §. 1. ff. de pignor. act.*

Alii, inter qvos Auguſtinus Barboſa, malunt textum hunc accipere generaliter de qvovis condemnato ad reſtitutionem alicujus rei, qvod talis condemnatus non liberetur, ut maximè pignus dare velit, niſi corporalem poſſeſſionem in victorem transferat. Et hæc explicatio ideo præferenda eſt, qvia Pontifex verbis generalibus nec ad hypotheſin certam reſtrictis utitur.

Ratio dubitandi peti poteſt *ex tit. Cod. ſi in cauſ. jud.* ſecundum qvem capi ſolent pignora à condemnatis, ut rei judicatæ ſatisfiat.

Ratio decidendi eſt, qvia aliud pro alio invito Creditori non rectè ſolvitur *l. 16. C. de ſolut. l. 2. §. 1. ff. de R. C.* Qvi ergò condemnatus ut poſſeſſionem tradat, pignora offert, nec ſententiæ ſatisfacit, nec intentioni judicis, nec victori. Nec obſtat ratio dubitandi qvippe qvæ locum habet, qvando condemnatio non in ſpecie certâ, ſed in qvantitate facta eſt, aut qvando ſpecies interiit, & in ejus locum æſtimatio ſucceſſit.

adjudicata poſſeſſio] Poſſeſſionis vocabulum propter duplicem explicationem

Digitized by Google

nem hujus capituli, accipi poteſt vel de re ipsa & proprietate ejus *l. 78. ff. de V. S.* vel de jure inſiſtendi rei, prout ſumitur *in tit. de acq. vel. am. poſſ.*

niſi corporali poſſeſſione latentur] h. e. niſi naturaliter ſeu corporaliter poſſeſſioni inſiſtant, *l. 1. ff. de acq. vel am poſs.* Poſſesſio autem hîc dicitur corporalis in oppoſitione ad excludenda pignora, non ad excludendos alios poſſesſionem acqvirendi modos, qvales deſcribuntur *l. 18. §. 2. ff. de acq. vel. am. poſſ.*

Notandum hinc I. Condemnatum ad ſolvendum non intelligi ſolvere, ſi dederit pignora aut fidejuſſores *l. 21. §. 2. ff. de conſtitut. pec. l. 4. §. 4. ff. de re jud. l. 6. §. 1. ff. qvib. mod. pign. vel hyp. ſolv.* Eodemqve modo nec reſtituere rem intelligi, qui, cùm ita condemnatus ſit, pignora dare paratus eſt.

II. In causâ executionis, etſi acceptet Creditor pignora, non tamen propterea ceſſare executionem, niſi novatio facta fuerit. *l. 4. §. 4. ff. de Re jud.*

III. Aliud pro alio invito Creditori ſolvi non poſſe, adeò, ut ſi aurei fuerint in obligatione, fieri non poſſit ſolutio in argento. *l. 99. ff. de ſolut.* Carpzov. *p. 1. conſt. 8. def. 11. & p. 2. conſt. 29. def. 4* Si tamen id qvod debetur, præſtari non poſſit, admittitur, ut præſtetur æſtimatio *l. 61. ff. de R. V. l. 71. §. 3. ff. de legat. 1.* Poſt interitum enim rei, æſtimatio ejus eſt in obligatione.

IV. Pignus conventum ſolâ voluntate contrahi. *l. 1 ff. de pign. act. l. 1. ff. de pign.* Sed prætorium pignus non aliter acqviri, niſi per actualem immiſſionem in rem præſentem. Unde licet in omnibus actibus ad acqvirendam poſſeſſionem ſufficiat rem eſſe in conſpectu *l. 1. §. 21. & d. l. 18. §. 2. de acq. poſſ.* in prætorio tamen pignore reqviritur, ut miſſus poſſesſionem intret *l. 26. §. 1. ff. de pign. act. & ibi* Petrus Coſtalius.

V. Sententiam ipſam non transferre dominium rei corporalis, ſed neceſſe eſſe, ut ſeqvatur traditio & poſſesſio actualis.

Ad c Lator 7.

Species facti hæc eſt. Wilhelmus Uxorem duxerat Annam viduam, eamqve ſibi ſacerdotali benedictione jungi fecerat, & deinceps per aliqvod temporis ſpacium ei, ut conjuges decet cohabitaverat. Fribusculo verò inter eos ſuborto maritus debitum conjugale negaverat. Id cum indignè ferrent cognati mulieris, judicem adeunt matrimonii ſolutionem atqve ſeparationem intentantes, ideò qvod ab initio non conſtiterit matrimonium,

um. qvippe qvod invita mulier, nec ætate habilis nupſiſſet, & maritus ipſe profligatiſſimus nunc eſſet, atqve vitam ageret prorſus deſperatam. Qvibus cùm maritus non multum contradiceret, ſed ipſe in ſolutionem conſentiret, factum, ut ſeparationis ſententia pronunciaretur, & ita deinceps ſeorſim viverent duo illi conjuges. Sed poſt aliqvod temporis intervallum pœnitentiâ ductus maritus Pontificem adiit, ab eoqve cauſa expoſita judices delegatos impetravit, qvibus injunctum fuit, ut ejusdem cauſæ cognitionem iterarent, & ſi compertum eis fuerit, ſub colore injuſti matrimonii judicem priorem fuiſſe deceptum, ſententiam reſcinderent, atqve conjuges ſibi deinceps cohabitare facerent. Qværitur igitur, an Pontifex huic mariti petitioni deferre debuerit?

Pro ratione dubitandi allegari poteſt, qvod poſt plenam cauſæ cognitionem lata jam fuerit divortii ſententia, eaqve in rem judicatam tranſiverit, cujus qvanta ſit autoritas, *ad cap. 1.* qvaſi in compendio diximus.

Ratio decidendi eſt, tùm qvia matrimonia canonicè contracta levitate qvadam diſſolvi non debent, tùm vero, qvia decepta videtur Eccleſia & judicium Eccleſiaſticum, ut ſententiam ſeparationis ferret. Nec enim tanti viſa fuerunt Pontifici argumenta à cognatis mulieris allegata, ut matrimonium ſolvi oportuiſſet. Etſi enim invita ea ab initio nupſiſſet Wilhelmo, cùm in contrahendis ſponſalibus liberrimus reqviratur conſenſus, *l. 134. ff. de V. O. l. 12. l. 14. C. de nupt.* & matrimonium per vim & metum initum ipſo jure nullum ſit. *d. l. 14. cap. 2. X. de eo qvi dux. in matr. c. 14. X. de ſponſal.* qvia tamen ex poſt facto copulam carnalem admiſit, tacitè & ipſo facto conſenſit in hoc matrimonium. atqve hinc metus purgatus cenſetur *l. 22. ff. de R. N. c. 21. X. de ſponſal.* De ætate immaturâ, qvod adductum fuerat, *ex eodem c. 21* corruit ideò, qvod copula carnalis acceſſiſſe dicatur, cui accedit, qvod vidua ea, cum Wilhelmo nuberet, fuerit, de qva dici vix poterit, qvod nondum ſit viripotens. Mariti autem mores immutati non præbent juſtam ſolvendi matrimonii cauſam. Ut adeò obreptum meritò cenſeatur judici, ut ejusmodi ſententiam ferret.

ſcandalum eſt ſubortum] h. e. altercatio & contentio, qvæ faciebat, ut abſtineret maritus ab uſu conjugii.

nec ætatis aptæ matrimonio] h. e. qvod non fuerit viripotens, nec virum pati potuerit, breviter, qvod nondum expleverit annum duodecimum. Gœdd, *ad l. 13. ff. de V. S.*

dis-

aſotam] Ita etiam legitur in antiqvâ compilatione. Sed in editione Conciliorum habetur vocabulum, dyſcolam, qvod non placet Antonio Auguſtino, qvod dyſcoli dicantur illi, qvi duri, moroſi ac difficiles ſunt & pene agreſtes. Hîc autem aſotum magis, diſſolutum, ac nepotem innui.

canonicè] Promiſcuè utitur Pontifex vocabulis canonicè & legitimè, qvod ſibi in hâc materiâ aſſiſtant mutuo leges & canones.

Notandum hinc I. Sponſalia non valere, niſi legitime contracta ſint. Legitimè autem contracta dicuntur tùm, qvando obſervata fuerunt omnia, qvæ à legibus præſcribuntur, tùm qvoad ipſos contrahentes, tùm qvoad formam actus.

II. Copulam carnalem, etſi non faciat ad matrimonii eſſentiam, operari tamen hoc, ut ſponſalia conditionata per eam purificentur, & ratum fiat matrimonium, qvod per ſe non eſt legitimum. Carpzov. *Jp. Conſiſt. lib. 2. def. 25. & def. 60.*

III. Contentiones & rixas non eſſe juſtam matrimonii ſolvendi cauſam, neqve ſeparare ſe poſſe conjuges, ne qvidem qvoad thorum & menſam, ſed compelli eos debere ad cohabitandum.

IV. Separationem omnem fieri debere autoritate magiſtratûs Eccleſiaſtici & præviâ cauſæ cognitione. Carpz. *Jp. Conſ. lib. 2. def. 211.*

V. In nuptiis conſenſum contrahentium debere eſſe liberrimum nihilqve conſenſui huic contrarium eſſe magis, qvàm vim & metum, cum utiqve plenâ ſecuritate debeat gaudere ille, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, qvod odit, & ſeqvatur exitus, qvi de invitis ſolet nuptiis provenire. *c. 14. X. de ſponſalib.*

VI. In contrahendis nuptiis maſculos debere eſſe puberes, fœminas viripotentes *pr. Inſt. de nupt.* Non enim videtur nupta, qvæ virum pati non poteſt. *l. 30. ff. qvando dies legat.*

VII. Nuptias ab invitis & ætate nondum valentibus contractus convaleſcere per ſubſeqventem copulam carnalem, qvæ tacitum inducit conſenſum. *c. 21. X. de ſponſ.*

VIII. Mutuum diſſenſum non facere ad ſolvendum matrimonium legitime contractum. Gerhard. *Loc. de conjug. §. 639.*

IX. Mariti pravitates & mores corruptos nõ eſſe legitimã divortii cauſam.

X. Sententiam in causâ matrimoniali latam non transire in rem judicatam, ſcil. qvoad qverelam nullitatis, & errorem in eâ commiſſum, benè tamen

men qvoad appellationem, ideò qvod poſt decendium elapſum appellari neqveat. Et hæc doctrina locum habet præcipue tùm, qvando contra matrimonium ſententia prolata eſt. In caſu vero, qvo ſententia lata eſt pro matrimonio, locum non habet, niſi qvando in gradu prohibito matrimonium contractum fuiſſe ex poſt facto apparet. *Vid.* Gail. *lib. 1. obſ. 112.* & Bernh. Grev. *ibid.*

Ad c. cum cauſa 8.

Caſus propoſitus fuit iſte. Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis Veronenſis vendiderat domum duobus Laicis Gozoni & Armano, qvi propterea ex empto actionem inſtituerant apud Legatum Apoſtolicum Cardinalem tùm temporis ibi degentem. Qvi Eccleſiæ nomine comparuerat, Theobaldus ad Pontificem appellaverat in articulo forte incidente, aut à judice ut ſuſpecto; Sed qvia terminum à Cardinali ad juſtificandam appellationem præfixum neglexerat, Cardinalis non dubitavit ſententiam ferre contra Theobaldum, & Laicis actoribus domum adjudicare, propter conſvetudinem, qvæ in Veronenſi civitate circa alienationes bonorum Eccleſiæ invaluerat. Appellatione ad Pontificem denuo interpoſitâ, commiſſa ab eo fuit cauſæ cognitio Epiſcopo Brixienſi, qvi ſententiam a Cardinale latam confirmavit. Poſtea verò cum utraqve pars ad Conſiſtorium Pontificis veniſſet, qverelâ nullitatis ſine dubio inſtitutâ, Pontifex reformavit ſententiam, utve domus Eccleſiæ maneret judicavit. Qværitur, utrum id facere Pontifex potuerit.

Ratio dubitandi eſt, tùm, qvia per duas inſtantias auditi jam fuerant rei, & qvidem in ipſa inſtantia appellationis apud Commiſſarium Pontificis nec appellare liceat in eâdem causâ ad eundem judicem. Tùm qvia ſententia lata nititur conſvetudine civitatis Veronenſis, ſecundum qvam alienari potueruut ab Archipresbytero bona Eccleſiæ. Judex autem conſvetudinem loci æqvè ac ſtatuta & leges obſervare debet, cum non minima ſit uſûs & conſvetudinis autoritas.

Ratio decidendi eſt, qvia ſententia contra canones lata eſt ipſo jure nulla *c. 1. h. t.* Canones autem ne qvidem ab Epiſcopo ſine conſenſu capituli factam prædiorum Eccleſiaſticorum alienationem admittunt. *c. ſine exceptione 12. q. 2.* Conſvetudo autem, qvæ allegatur in contrarium eſt irrationalis, judicante Aug. Barboſa *ad h. t.* qvæ propterea ſervari non debet.

ab

ab archipreſbytero] Archipresbyter & archidiaconus ſunt miniſtri Epiſcopi. Steph. Baluz. *ad Reginon. p. 530. & 657.* Archidiaconus autem ſuperior eſt archipresbytero, cùm tamen presbyter præcedat diaconum. Eſt ergo archipresbyter tertius ab Epiſcopo.

legati] fuit hic Cardinalis & propterea Legatus à latere. *Vid. quæ dixi ad Lancellott. lib. 1. tit. 27. §. 9.*

& receptas inducias] ſive dilationem & terminum præfixum, intra qvem introduci & juſtificari debuit appellatio.

conſvetudinem] Qvalis ea fuerit, non usqꝫ qvaq; conſtat. Alii putant, intelligi hîc eam, qva cautum fuit, ne bona immobilia in Eccleſiam tranſirent, aut ab eâdem retinerentur. Potius tamen eſt, ut intelligamus de eâ, qvâ archipresbytero licentia eſſet bona Eccleſiæ immobilia ſine præſcitu Epiſcopi & capituli alienare.

Notandum hîc I. Legatos Pontificis habere jurisdictionem in provinciis ſibi asſignatis & per ſimplicem etiam qverelam adiri poſſe. *c. 1. X. de off. leg.*

II. Appellante intra præfixum tempus appellationem ſuam non introducente apud judicem ad qvem, poſſe judicem à qvo in causâ pergere, neqꝫ neceſſariam eſſe ſententiam, ut ſuper deſertione feratur. Sigm. Scaccia *de appell. q. 11. n. 148. ſeq.*

III. Notabiles eſſe conſvetudinis receptæ effectûs. Aliqvando enim introducit jus novum, ubi jus ſcriptum deficit, *l. 32. pr. ff. de legib.* aliqvando legem interpretatur *l. 37. ff. eod.* aliqvando legem contrariam vetuſtiorem corrigit *§. 11. Inſt. de J. N G. & C. d. l. 32. inf.*

IV. Conſvetudinem debere eſſe rationabilem h. e. talem qvæ non nutrit peccatum, nec bono publico aut Eccleſiæ refragatur *c. fin. X. de conſvetud.* Carpzov. *deciſ. 60. n. 15. 16.* Ventur. de Valentiis *in Parthen. litig. lib. 1. cap. 13. n. 3. ſeq.*

V. Non valere conſvetudinem, qvâ bona Eccleſiæ ab alio qvam Rectore & iis qvorum intereſt, alienantur, *c. placuit & ſeq. 12. q. 2.* Res enim qvæ mea eſt, ſine meo conſenſu alienari neqvit. Bona autem Eccleſiæ non ſunt ſolius Archipresbyteri ſed totius capituli. *Add. l. 14. cum auth. ſeq. C. de SS. Eccl.* Guil. Redoan. *de reb. Eccleſ. non alien. q. 24. n. 50.*

Digitized by Google

V. Ejusmodi appellationem poſſe recipi à judice ſuperiore & gravamen ab eo emendari *d. c. 53. X. de appell.*

VI. Impediri executionem, ſicubi recepta fuerit appellatio ſive ab inferiore ſive à ſuperiore judice. Prior enim per iſtud factum jurisdictionem à ſe abdicare, & ſi qvid pergit, attentare cenſetur. Poſterior per inhibitionem revocare creditur jurisdictionem judicis inferioris.

VII. Per clauſulam hanc non tolli nec denegari remedium nullitatis nec reviſionem aut ſupplicationem. And. Gail. *l. 1. obſ. 135.*

VIII. Per clauſulam iſtam non prohiberi appellationem à ſententiâ, manifeſtam continet iniqvitatem: Si tamen iniqvitas iſta ex iisdem actis & ex eodem proceſsu eluceat. Nec enim voluiſſe cenſetur delegans, ut manifeſtè iniqva ſententia à judice delegato feratur.

Ad c. tenor 10.

Facti ſpeciem pleniùs exponit antiqva compilatio ſecunda *c. 5. h. t.* hoc fere ordine: In cauſa matrimoniali lis inter Rudolphum & Mariam agitata, poſtqvam Maria pro matrimonio teſtes produxiſſet, per appellationem à Rudolpho interpoſitam ad Pontificem devoluta erat, qvi cauſam commiſerat Epiſcopo Theatino. Cùm ab hoc Commiſſario jam tertiùm citata fuiſſet mulier, nec tamen illa comparuiſſet, ſed abſentiam ſuam propter infeſta itinera, qvæ poſt obitum Regis invaluerant, per nuncium excuſaſſet, abſolutus fuit Rudolfus ab ejus impetitione. Re compertâ mulier Pontificem adiit, qvi cauſam denuò cognoſcendam committit alii Epiſcopo, cujus nomen non extat. Citatur ab hoc Rudolfus & propter adverſam valetudinem ſe excuſat, mox vero aliam ſibi copulari facit. Judex delegatus eum propterea excommunicat, ſed abſolvit iterum, poſtqvam is judicium ſe ſuſcipere velle promiſiſſet. In termino Rudolfus ſententiam producit, mulier è contrario ſe non auditam conqveritur, & teſtes offert, qvibus ſponſalia cum Rudolfo probare intendit. Pontifex hâc de re conſultus nihil obſtare ſententiam, ſed in proceſſu pergendum eſſe reſpondet, & inhibendum inſuper Rudolpho, ne ante cauſæ deciſionem ſuperinductæ mulieri cohabitet amplius. Status ergo cauſæ hic eſt, utrum ſententia, qvâ abſolutus fuit Rudolfus, jus faciat, & annon inde exceptio rei judicatæ obſtet actioni à muliere noviter in alio judicio intentatæ.

Aaa 2 Ra-

Digitized by Google

Ratio dubitandi eſt, qvia abſolutio parit exceptionem rei judicatæ & litis finitæ *l. 6. & 7. ff. de except. rei jud.* Abſolutio autem juſtè facta videtur, ideò, qvod contumax fuerit mulier, & ter citata nunqvam comparuerit. Qvo caſu in arbitrio eſt Rei aut petere abſolutionem à citatione, aut in contumaciam actricis litem negativè conteſtari & petere abſolutionem ab ipſa actione. Gail. *1. obſ. 59. n. 4. ſeq.* Nec qvicqvam tùm prodeſt condemnato ob contumaciam qvod bonam cauſam habuit. Ant. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 1. def. 19 n. 4.*

Ratio decidendi eſt, tùm qvia ſententia contra matrimonium lata fuit, qvæ non poteſt accipere vires rei judicatæ, tùm qvia mulier contumax dici non potuit, partim, qvia juſtam habuit excuſationem, partim qvia per nuncium excuſationem eam interpoſuit. Contumax eum dici neqvit, qvi ex aliqvâ causâ ſe poteſt excuſare. Barnab. Cornazzan. *deciſ. 23.* Unde in noſtris judiciis in expenſas tantùm condemnari ſolent, qvi juſtam habentes cauſam per literas ſeſe excuſant. Carpzov. *part. 1. conſt. 9. def. 19.*

Theatino] Theloſino legitur in antiqva decretali. Antonius Auguſtinus Teleſino legendum eſſe putat. Sed qvia ignoratur, qvo in loco contigerit iſta facti ſpecies, fruſtra tentabitur emendatio. Qvia verò in antiqva decretali fit mentio terræ per mortem Regis turbatæ, videri poterit, ad Epiſcopum qvendam Anglicanum exaratam fuiſſe hanc decretalem, qvod tùm temporis in Angliâ diem ſuum obierit Henricus II & motus propter Judæos excitati fuerint.

abſolutus] Qvod enim excommunicatus qvis manet, experiri judicio non poteſt *c. 7. X. de judic.* niſi qvando rei partes ſuſtinet, qvo tamen caſu per alium defendere cauſam ſuam cogitur, qvod in cauſis matrimonialibus difficulter admittitur.

annulo] annulus ille dicebatur pronubus, qvem ſponſus ſponſæ dare ſolebat. Sed & aliæ res qvandoqve arrhæ loco ſponſæ dari conſveverant. *l. 3. & 5. C. de ſponſal. l. 36. §. ult. ff. de donat. int. V. & U. l. 38. pr. ff. de R. N.* Briſson. *de rit. nupt. pag. 4.* Hotomann. *de ſponſal. c. 3.* Ex tali autem ſubarratione præſumitur contractum matrimonium.

Conficitur hinc I. non omnem abſentem eſſe contumacem, neqve propterea condemnari debere. Excuſatur enim abſens à contumacia propter legitima impedimenta. Coler. *deciſ. 104. n. 33.* Sebaſt. Medices *de caſ. fort. part. 1. q. 4.* Petr. Termineus *in proceſſ. c. 17. n. 28.*

II. In

II. In cauſis matrimonialibus poſſe reum cum comminatione prohiberi, ne lite pendente cum alia perſona nuptias faciat. Carpz. *lp. Conſiſt. part. 3. def. 32.*

III. Sententiam contra matrimonium non transire in rem judicatam.

IV. Ex traditione annuli facta mulieri præſumi contractum matrimonium per verba de præſenti. Coler. *deciſ. 300.* Herm. Eſ. Roſacorb. *pract. forenſ. c. 43. n. 12. ſeq.*

Ad c. Conſangvinei II.

Eliſabetha mariti pertæſa per cognatos ſuos probaverat, cognationem ſpiritualem ſibi eſſe cum marito, nec ſubſiſtere ergò poſſe matrimonium, eaqve ex cauſa per ſententiam ſeparata à marito fuerat. Poſtea verò cùm jam alii nupta eſſet, confeſſa fuit, ante ſententiam ſeparationis falsò aſſertam fuiſſe cognationem iſtam ſpiritualem, & cœpiſſe eam demum poſt ſeparationem. Qværebatur, annon reſcindi deberet ſententia? Reſpondet Pontifex, propter ſolam illam mulieris confeſſionem, niſi accedant probationes aliæ evidentiores à dicta ſententia non eſſe recedendum.

Ratio dubitandi eſt, qvia confeſſio partis eſt probatio probata & excellentior qvâvis probatione. *l. 13. C. de non num. pec.* & hinc eſt, qvod confeſſus pro judicato habeatur. *l. 1. ff. de confeſſ. Vid.* Erid. Hiltrop. *in proceſs. part. 3. tit. 17.*

Ratio decidendi eſt, qvia præſumptio eſt pro ſententia, qvam ſola mulieris confeſſio reqviſitis ſuis & aliis adminiculis atqve probationibus deſtituta evertere non poteſt. Qvandoqvidem confeſſio qvæ fit coram ſolo judice non cenſetur eſſe judicialis, nec facta in judicio. Joh. And. Dornſperger *in ſyntagm. jur. lib. 1. c. 4.*

compaternitatem] Ita vocatur cognatio illa ſpiritualis, qvæ inter compatres propter baptiſmi Sacramentum intercedit. Qvæ qvidem cognatio jure civili, tantùm inter ſuſceptorem & ſuſceptam per ſacrum baptiſmum comprobata eſt *l. 26. C. de nupt.* Pontifices vero non inter hos tantùm prohibitū voluerunt matrimoniū, ſed etiam inter ſuſceptorem & parentes baptizati, inter baptizatum & filios ſuſceptoris; inter patrem baptizati & viduam ſuſceptoris, inter baptizantem & baptizatum, & plures perſonas alias. Pro-

Digitized by Google

pter tale connubium qvod inierat Robertus Rex totam Franciam anathemate percusſit Papa Gregorius, uti refert Helgaldus Floriacenſ. *in ejus vit.* Sed talis extenſio impedimentorum matrimonii, cum extra verbum divinum ex ſolo Pontificis cerebro nata & conſcientiis valdè onerosa ſit, à noſtris Eccleſiis meritò rejicitur. *Vid.* Gerhard. *de conjug. n. 364. ſeq.*

poſt ſeparationem] Hæc enim cognatio ſuperveniens non dirimit matrimonium *c. 2. X. de cognat. ſpir.* ut maximè res in eam cauſam reciderit, à qvâ incipere non poteſt

Obſervetur hîc I. ſupervenientem confeſſionem partis contrariam non obſtare rei judicatæ, niſi qvid aliud acceſſerit. Idqve maxime in cauſis matrimonialibus locum habet, qvod illæ non ſint in poteſtate confitentis, ſed alterius præjudicium contineant. In aliis autem cauſis, qvæ tanti præjudicii non ſunt, facilius admittitur. ut confeſſio partis retractet rem jud. Sichard. *ad l. 1. inf. C. de transact.* Schrader *de feud. part. 9. ſect. 13. n. 64.* Alvar. Valaſc. *de jur. emphyt. q. 7. n. 32.* Aug. Barboſ. *ad h. t. n. 6.*

II. Certa eſſe confeſſionis judicialis reqviſita, qvibus non obſervatis nullus ejus erit effectus. *Vid.* Dornſperger *d. l.* Præcipua ea ſunt, (1) ut fiat coram judice competente (2) adverſario præſente & (3) poſt litem conteſtatam.

Ad c. cum olim 12.

Species facti hæc eſt: Vacante Archidiaconatu Eccleſiæ Magatonenſis, (qvæ civitas in inſulâ ſita eſt, & ad Galliam Narbonenſem pertinet, propter pietatem & religionem celebris, teſte Georgio Fournier *Geogr. lib. 8. c. 10.*) Epiſcopus loci Petrum de Caſtro novo nominaverat. Præpoſitus verò ejusdem Eccleſiæ communi omnium ſuffragio Archidiaconum eligi debere, ſibiqve duplicem vocem competere contenderat. Pergente verò Epiſcopo & candidatum ſuum per annulum inveſtiente. Præpoſitus alium nominaverat, cui Archidiaconatus conferri deberet. Cœleſtinus III. Pontifex re comperta neutrum admitti voluerat, ſed promiſerat. delegare ſe velle nonnullos, qvi Epiſcopum & capitulum monerent de eligendo novo Archidiacono, aut, ſi id fieri propter diſſenſum non poſſet, ut ipſi vices eorum ſupplerent, & electionem perficerent. Idem tamen mox Cœleſtinus ſuæ promiſſionis parum memor Geraldum Joannium, qvi nondum ad diaconatûs officium promotus fuerat, Archidiaconum fecerat, & qvidem in-

inſcio procuratore Epiſcopi, qvi tùm Romæ ſubſiſtebat. Acceſſerat deinceps ex intervallo conſenſus & donatio Epiſcopi, eundem Archidiaconatum eidem Geraldo conferentis, ut ſibi potius acceptam ille referret eam dignitatem, qvàm Pontifici Romano. Succeſſor verò Cœleſtini Innocentius III. non obſtantibus iſtis omnibus, Geraldo, licet abſenti, dignitatem illam adimit, & ut à Capitulo alius eligatur, permittit. Qværitur, qvàm bene?

Ratio dubitandi eſt, tùm qvia incivile eſt, ſucceſſorem in officio revocare geſta anteceſſoris ſui, tùm verò, qvia Geraldo abſenti & non audito aufertur dignitas impetrata, cùm tamen inauditâ causâ qvenqvam damnari, æqvitatis ratio non patiatur. *l. 1. pr. ff. de reqvir. vel abſentib. damn.*

Ratio decidendi eſt, qvia circumventus cenſeri debet Cœleſtinus anteceſſor per ſub & obreptionem, qvæ colligitur non ex eo tantùm, qvod promiſſionem ſuam, qvam fecerat, non ſervaverit, & ipſe Archidiaconatum vacantem Geraldo conceſſerit, ſed etiam ex eo, qvod Geraldus ille nunqvam antea diaconus fuerit, cùm tamen fieri archidiaconus neqveat, niſi qvi diaconus antea fuit. *c. nullus, cum ſeq. diſt. 60.*

Verum enim verò, qvod de ſubreptione anteceſſori factâ ait Pontifex, videtur malæ cauſæ malè compoſitum cataplasma. Qvomodo enim ſubreptum Cœleſtino dici poterit in tali cauſa, qvam ille celari procuratori Epiſcopi & clam haberi voluit? De promotione per ſaltum qvod ait Pontifex, neqve iſta videtur juſtam ſubreptionis conjecturam præbere. Qvis enim neſcit, ſummi Pontificis manum omnia jura Eccleſiaſtica continere, & diſpenſare poſſe etiam in illis, qvæ ſunt juris divini, ſi diis placet? Ipſe Pontifex trepidè admodum hîc aſſerit, credere ſe, circumventum fuiſſe anteceſſorem ſuum. Magis igitur eſt, ut credamus, Innocentium III. minus propitium fuiſſe Geraldo, & voluiſſe adeò eum ſub qvalicunqve prætextu dignitate impetratâ exuere.

archidiaconatum] Archidiaconi erant adjutores miniſterii Epiſcopalis & vocari ſolent oculi Epiſcopi. Erant enim veluti vicarii ejus penè in omnibus negociis. *Vid.* Petrus de Guſſan villa *not. ad Petri Bleſenſ. pag. 764.* Steph. Baluz. *ad Servati Lupi epiſt. 80.* Illud verò diſcutiendum reſtat, qvâ ratione inſcriptio fieri potuerit ad Archidiaconum Magalonenſem, cum eo tempore nullus talis fuerit, ſed de eo eligendo tota hæc decretalis agat, niſi ſtatu-

t uere malis, unius Eccleſiæ plures fuiſſe Archidiaconos, qvod difficulter adſtruetur.

præpoſito] Præpoſiti tales in qvibusdam Eccleſiis cathedralibus ſuam habent dignitatem, inferiorem tamen Epiſcopo, ut adeò dubium hinc naſcatur, qvî factum, ut duplicem ſibi aſſeruerit vocem præpoſitus, cum ea in collegiis regulariter competat capiti aut Seniori.

per annulum inveſtivit] Inveſtitura nihil aliud eſt, qvam translatio beneficii ſymbolo interveniente facta. Symbola autem iſta variant pro conſvetudine cujusqve loci, ut in hoc textu inveſtitura dicitur facta per annuli traditionem, aliqvando fit per traditionem libri &c. *Vid.* Joh. Bapt. Souchet *ad Ivon. Carnot. epiſt. 182.* Per talem tamen inveſtituram poſſesſio non acqviritur, uti per inveſtituram abuſivam poſſesſio feudi non acqviritur, ſed jus tantum ad rem. *Vid.* Struv. *diſp. Feud. 8. num. 9.* Anton. Bengeus & Franciſc. Pinsſon. *de benef. verb. inſtitutione pr. n. 12.*

aſcenſum] Nicolai Pontificis hoc eſt effatum *c. ſententiam 35. q. 9.* eoqve Innocentius utitur etiam *c. 5. X. de in integr. reſt.*

in eluſionem] ut ſcilicet ſibi magis, qvàm Romano Pontifici gratiam referret Geraldus.

liqvido conſtet] qvomodo verò liqvido, cum paulo ante dixiſſet, credere ſe, circumventum fuiſſe prædeceſſorem?

Notandum hinc I. Ei, qvi præeſt alicui collegio, in ſuffragiis ferendis non iniqvè duplicem competere vocem, eum in finem, ut ſi paria fuerint vota, ea pars prævaleat, penes qvam ſteterit præſes aut caput. Antonin. Teſſaur. *deciſ. 1.* Vincent. de Franchis *deciſ. 252.* Videndus tamen Anton. Faber *Cod. lib. 1. tit. 7. def. 2. 3.*

II. In electionibus, ſi diſſentiant eligentes, nec ad concordiam revocari poſſint, remedium eſſe omnium optimum, ut utraqve pars ab eo, qvem cupit, abſtineat, & de aliqvo tertio eligendo deliberationes inſtituat.

III. Ad compeſcendam contentionem eligentium, præſertim in officiis Eccleſiaſticis, ſuperioris interpoſitionem qvandoqve neceſſariam eſſe, qvi officium id pro lubitu conferat.

IV. Per ſub & obreptionem qvod impetratum eſt, pro impetrato non eſſe habendum. Subreptitium autem dicitur tùm, ſi narrata, ad qvæ tale reſcriptum impetratum fuit, ſint falſa, vel ſi taceatur id, qvo expreſſo Princeps non fuiſſet conceſſurus, aut ſaltem non ita facile. *l. 29. ff. ad L. Corn. de falſ.*

falſ. Omnia enim reſcripta tacitam hanc habent conditionem, ſi preces veritate nitantur. *l. fin. C. de diverſ. reſcript.* Gail. *l. 1. obſ. 14.* Petr. Frider. *de proceſs. lib. 1. cap. 15.* Nic. Reuſner. *lib. 2. conſil. 25.* Anton. Fab. *Cod. lib. 1. tit. 2. def. 2.*

V. In notoriis non ſervari debere ordinem juris neqve reqviri ſententiam. Dornſperger *in ſyntagm. jur. lib. 1. c. 41.*

Ad c. cum inter 13.

Caſus talis eſt: Lis fuit inter conventum monaſterii S. Zenonis Veronenſis & Archipresbyterum Eccleſiæ S. Proculi ibidem de ſubjectione hujus Eccleſiæ, qvam intentaverat monaſterium. Inter multas probationes alias, qvibus inſtructum erat monaſterium, qvasve ſubleſtæ fidei dixerat Archipresbyter, producta fuit ſententia ante annos qvinqvaginta ab Epiſcopo Veronenſi in judicio contradictorio lata, qvâ archipresbyter dictæ Eccleſiæ obedientiam præſtare monaſterio juſſus fuit, idqve ita obtinuiſſe ab eo tempore ſimul probaverat conventus. Pontifex hanc ſolam probationem ſufficere reſpondit, ut Archipresbyter fidelitatem & obedientiam præſtet Abbati S. Zenonis.

Ratio dubitandi eſt, qvia ſententia allegata admodum iniqva videtur, eò qvod innitatur privilegiis à monaſterio allegatis, ſed qvæ vitiis ſuis non carerent, & nullius propterea momenti eſſent.

Ratio decidendi eſt, qvia monaſterium habet jus ex ſententiâ & re judicatâ natum, qvippe qvod vim tituli habet. Pro ſententiâ autem ſemper eſt præſumendum, qvod ex præſcripto juris ordine lata ſit. Accedit præſcriptio, qvâ ſententiæ iſti per annos qvinqvaginta paruerunt archipresbyteri dictæ Eccleſiæ.

Nec obſtat ratio dubitandi, qvia ſi qva ſententiæ ex parte monaſterii videtur ineſſe iniqvitas, illa non eſt contra jus conſtitutionis, ſed contra jus partis, qvæ, cùm appellatum ab eâ antehac non fuerit, vires rei judicatæ acqviſivit. Vitia autem qvæ privilegiis & reliqvis inſtrumentis ineſſe allegantur, tàm evidentia non ſunt, ut veritatem & effectum ſententiæ evertere qveant. Et propterea non tàm ad inſtrumenta illa, qvam ad rem jud. reſpiciendum eſt.

Archipresbyterum] Fuit hic caput & Rector ſuæ Eccleſiæ, ſubjectus tamen abbati. Solebant autem Abbates Epiſcopis ſæpè æqviparari, imò etiam anteferri.

Digitized by Google

conceſſionis] Regulariter pia loca omnia, qvaliacunqve ſint, ſubjecta ſunt Epiſcopo diœceſeos, qvi propterea alteri alicui concedere ea poteſt.

patriarcharum Aqvilejenſium] Patriarcha propriè eſt, cui ſubditi ſunt metropolitani aliqvot, qvales nulli fuerunt patriarchæ Aqvilejenſi. Dictus verò eſt Patriarcha, eô qvod Reges Gothorum Italici regni Epiſcopos patriarcharum nomine ornarent. Nihil ergo eximium hâc appellatione habuit, præter nomen & ſonum verbi. Petr. de Marca *diſp. de primatib. n. 20.*

obedientiâ manuali] i. e. qvæ fit per manum interpoſito juramento fidelitatis junctis manibus. Anton. Dadin. Alteſerra *ad c. 12. X. de reſtit. ſpol.*

veritate geſtorum] h. e. auctoritate ſententiæ privilegiis & reliqvis inſtrumentis prævalente.

Obſervandum hinc I. Sententiam etiam iniqvam, dummodo non contra jus conſtitutum ſit, niſi intra decem dies appellatum fuerit, vires rei judicatæ acqvirere, & jus facere inter litigantes, qvaſi ſilentio ejus, qvi condemnatus eſt, confirmatam *c. 15. infr. h. t. l. 1. §. 2. ff. quæ ſentent. ſine appell. reſcind. l. 4. C. de ſentent. quæ ſine cert. quant. prof.*

II. Confirmationem nihil dare novi, & ſemper intelligi ſalvo jure alterius.

III. Præſumendum eſſe pro ſententiâ & decreto judicis, qvod judex omnia rectè geſſerit. Jac. Menoch. *lib. 2. præſumpt. 67, 68.* Fernand. Vaſq. *lib. 1. controv. illuſt. c. 39.*

IV. Actus diuturnos & longiſſimo tempore non aliter exercitos jus dare, dummodo non deſit bona fides.

Ad c, cauſam 14.

Epiſcopus Laudenſis ex conſenſu partium judex à Pontifice delegatus ſententiam dixerat inter Canonicos Novarienſes & Albertum Siccum clericum de præbendâ litigantes. Albertus ab eâ ad Pontificem appellaverat, ideò qvod non obſervata fuiſſet forma mandati Pontificii, idqve probare jam intenderat. Pontifex præviâ cauſæ cognitione ſententiam priorem confirmavit. Qværitur, an rectè?

Ratio dubitandi eſt, qvia judex delegatus agere non poteſt contra formam mandati. Id enim ſi fecerit, proceſſus eſt nullus *c. 37. X. de off. jud. deleg. c. 22. X. de reſcript.* Non videtur ergò ſubſiſtere poſſe ſententia contra formam reſcripti lata,

Ratio

Ratio decidendi eſt tùm qvia judicis animus non ſemper ad unam probationis ſpeciem inclinatur *c. 6. X. de renunciat. l. 21. §. 3. ff. de teſtib.* ſi alia argumenta ad probationem aptiora ſuppetant, ut maximè ad unam ſpeciem reſtrictum ſit mandatum, tùm qvia in cognitione cauſæ apparebat, ſententiam publicatam nihil continere iniqvi, ſed probationibus & actis conformem & legibus conſentaneam eſſe: tùm deniqve qvia communi partium conſenſu Epiſcopus Laudenſis judex conſtitutus atqve is ut ſententiam ferret, ab utrâqve parte reqviſitus fuerat.

Nec obſtat ratio dubitandi, vel qvia nondum probaverat Albertus, ſententiam mandato Apoſtolico contrariam eſſe, vel qvia ſententia iſta mandato contraria dici non poteſt, qvæ diverſis qvàm in mandato præſcriptæ fuerint, innititur probationibus.

ſuper præbenda] Præbenda & beneficium idem ſonant in jure Canonico & accipiuntur pro ſtipendiis, qvæ ratione officii militibus Eccleſiaſticis diſtribuuntur.

nitebatur probare] nondum ergò probaverat, qvod intendebat. Aliàs confirmari vix potuiſſet ſententia prior.

Docemur hîc I. à judice etiam conſenſu partium dato, appellari poſſe, & qvidem ad committentem *l. 23. ff. de appellat.* etſi judex datus Epiſcopus fuerit. Cui non adverſatur conſtitio *in l. 8. C. de Epiſc. aud.* qvia illa non agit de judice ex conſenſu partium dato, ſed de arbitro ex conſenſu partium ſumpto & electo, à qvo appellare non licet, *l. 32. §. 14. ff. de recept. arb. l. 1. C. de recept. arb.*

II. Sententiam contra tenorem commiſſionis latam non valere. Mandati enim fines diligenter cuſtodiendi ſunt *c. 32. X. de offic. jud. del. l. 5. ff. mandat.*

III. Judicis animum omnibus probationibus patere debere, & malè ſubſiſtere in unâ tantùm ſpecie.

IV. Majorem eſſe præſumptionem de juſtitiâ ſententiæ qvam judex ab utraqve parte reqviſitus pronunciavit, qvam qvi ad unius tantùm inſtantiam datus fuit.

Ad c. qvod ad conſultationem 15.

Per ſententiam Clerico injunctum erat juramentum purgationis poſt viginti dies præſtandum. Promiſerat Clericus, præſtare ſe id velle, nec à

Digitized by Google

dictâ ſententiâ appellaverat. Veniente die, appellationem non expreſsâ causâ interpoſuit. Qværitur, num audiendus? Reſpondit Pontifex audiendum non eſſe.

Ratio dubitandi eſt, qvia judicato exeqvendo qvadrimeſtre tempus præfixum eſt, *c. 26. X. de offic. jud. deleg. l. 2. & 3. C. de uſur. rei jud.* Videtur ergo ſententia contra conſtitutiones lata & ipſo jure nulla eſſe *c. 1. h. t. l. 1. ſ. 2. ff. quæ ſent. ſine app.* Et qvia appellatio etiam nullitatem devolvit, Gail. *l. 1. obſ. 127. n. 1. 2.* videtur hinc etiam poſt decendium appellationem interponi poſſe.

Ratio decidendi eſt, tùm qvia à ſententiâ intra decendium poſt publicationem non fuit appellatum, & facta ea adeò ſit res judicata: tùm qvia appellationi interpoſitæ nulla fuit inſerta cauſa, qvod tamen neceſſarium eſt reqviſitum. *l. 13. ſ. 1. ff. de appell.* tùm deniqve qvia jurare juſſus promiſerat, ſe termino præfixo jurare velle, & in ſententiâ acqvieverat *l. 5. C. de re jud.*

Nec obſtat ratio dubitandi, qvia judex tempus judicati faciendi coarctare vel prorogare poteſt, *l. 2. ff. de re jud.* Idqve multo magis obtinet, ſi pars ipſa in coarctationem conſenſerit, ut in hâc ſpecie factum.

purgationem] qvæ fieri ſolet per juramentum adhibitis certis conjuratoribus, diverſo numero, qvi ſimul de credulitate jurabant. *c. 8. & 10. X. de purgat. can. & ibi Dd.*

à ſedente in medio] i. e. ab eo qvi præeſt judicio. Sedebat enim prætor in medio, & ex utroqve latere Aſſeſſores, & ſic etiam alii judices.

Notari hîc poteſt I. Tempus aliqvod debere concedi condemnatis, intra qvod judicatum facere debeant. Idqve ita jure civili in actionibus perſonalibus conſtitutum fuit â Juſtiniano ut tempus qvadrimeſtre conceſſum habeant, *l. fin. C. de uſur. rei jud.* qvod tamen pro re natâ & ex certâ causâ arctari aut prorogari poteſt *l. 2. ff. de re jud.* Sed in actionibus realibus jure civili ſtatim fit executio. Fr. Duaren. *ad d. l. 2.* Jo. Car. Antonell. *de temp. leg. lib. 3. c. 13.* Jure vero noſtro ex actione reali condemnatus intra qvatuordecim dies ſi rem non reſtituat, res ipſi aufertur, condemnato autem ex actione perſonali terminus Saxonicus ad ſolvendum præfigi ſolet. Carpzov. *p. 1. conſ. 32. def. 3. 4.*

II. Jure Canonico, ſi à ſententiâ interlocutoriâ appellatum fuerit, in ſchedulâ appellationis cauſam exprimi debere *c. 69. X. de appell. Clement. ap-*

pel-

Digitized by Google

pellanti eod. Zoeſ. *ad ff. de appell. n. 20.* Nec poteſt ergò recipi qvod generaliter ſtatuit Dav. Mev. *part. 1. deciſ. 59.* In foro Saxonico Electorali videtur indiſtinctè conſtitutum ut in qvàvis appellationis ſchedulâ gravamina exprimantur, *per verb. in Ordinat. appell. tit.* von *Appellationen &c. ibi:* mit Anzeigung der Urſachen ſeiner Beſchwehrung 2c.

III. Appellationem intra decendium poſt publicatam ſententiam eſſe interponendam, alioqvin eam tranſire in rem judicatam. Appellationi enim renunciaſſe cenſetur, qvi intra decem dies non appellavit.

IV. Ab executione fruſtra appellari, niſi executor modum excedat *l. 5. C. qvor. appell. non recip. c. 27. §. nos autem X. de off. jud. deleg.*

Ad c. ſicut 16.

Lis erat inter presbyterum & ſubdiaconum cujusdam Eccleſiæ propter qvinqve modios frumenti, qvos per annos ſingulos ſibi deberi, & à presbytero injuſtè ablatos, ſibi proinde reſtituendos contenderat ſubdiaconus. Presbyter autem turbatur ſe exceptione rei judicatæ, qvod jam olim conventus eâ de re ſententiam abſolutoriam accepiſſet. Sed qvia ſententiam ipſam in ſcriptis producere non poterat, probare tenorem ejus fide duorum teſtium intendebat. Iſti autem teſtes cùm ſimpliciter tantùm de ſententiæ contentis, nihil autem de rationibus, qvæ judicem ad ejusmodi ſententiam ferendam moviſſent, teſtimonium dicerent, qvæſitus fuit Pontifex, qvousqve teſtimonium iſtud & ſententia ab eis allegata attendi deberet. Reſpondit Pontifex, rei judicatæ ſuam relinqvi debere autoritatem.

Ratio dubitandi eſt, tùm qvod abſurdum videatur, probari ſententiam per teſtes, qvippe qvod ſententia concipi & de ſcripto recitari debeat, & qvæ ſcripta non eſt, nec nomen qvidem ſententiæ habere mereatur *l. 3. C. de ſentent. ex peric. recit.* tùm qvod teſtes cauſas prorſus nullas adducere potuerint, qvibus motus fuiſſet judex ad ejusmodi ſententiam ferendam.

Ratio decidendi eſt, qvia in præſenti hoc tantùm qværitur, utrum judicatum ſit, idqve caſu eo, qvo ſententia in ſcriptis concepta caſu deperdita fuit, ſufficit probari per duos teſtes, qvi confirment, eâ de re, qvæ nunc in litem deducitur, jam olim ſententiam publicatam pro presbytero fuiſſe.

Non obſtat ratio dubitandi, qvia ſententia qvidem ex ſcripto recitari debet, ſed eam recitatam eſſe, etiam ſine ſcripto rectè probatur, nec opus eſt, ut ex eâ probatione de cauſis qvæ judicem ad ejusmodi ſententiam in-

Digitized by Google

duxerunt, conſtet, cùm ut cauſæ in ſententiâ exprimantur, nullibi conſtitutum inveniatur, & præſumptio ſit pro ſententia omnia legitima proceſſiſſe.

Decano] Vocabulum hoc eſt militare, ſed qvod deinde ad cœnobitas & clerum tranſiit, unde in Academias poſtea translatum eſt. *Vid.* Carol. du Freſne *in gloſſar.*

Cancellario] Cancellarii in Eccleſiis cathedralibus habebant ſigillum Eccleſiæ, præerant bibliothecæ, & ſcholis, unde & magiſtri ſcholarum qvandoqve vocabantur.

Diſcimus hinc I. Sententiam ex ſcripto recitandam eſſe, idqve ſi factum non fuerit, ne ſententiæ qvidem nomen mereri, adeò ut nec appellatione opus ſit. *l. 3. C. de ſent. ex peric. recit. Vid.* Scaccia *de ſentent. gloſſ. 12.*

II. Sententiam publicatam ſi in ſcripto periit, probari poſſe per duos teſtes, dum tamen illi non de facto publicationis tantùm, ſed etiam de tenore ſententiæ teſtimonium ferant, & ſufficere, qvod tales teſtes ſe eam legi audiviſſe deponant, licet illam non viderint. Seb. Vautius *de null. tit. de null. ex def. proceſs. n. 77.*

III. Judicem ſententiæ ſuæ rationes inſerere non teneri Arumæ. *lib. 2. deciſ. 1. n. 5. 6.* Carpzov. *deciſ. 85.* Pax Scala *de conſil. ſap. lib 3. cap. 20.* In foro tamen Saxonico receptum, ut ſi criminalis ſententia concipiatur, qvæ pœnam corporis afflictivam inferat, rationes inſerantur.

IV. In ſententia omnia præſumi ſolenniter acta propter autoritatem rerum judicatarum. Qvemadmodum pro inſtrumentis militat præſumptio propter autoritatem fidei publicæ. *l. ſciendum 30. ff. de V. O.*

Ad c. cum ſuper 17.

Mota erat qvæſtio ſtatûs Abbati monaſterii Cellæ novæ ab Epiſcopo Aurienſi in Gallæcia, ita ſcil. ut diſceptaretur in judicio de ſubjectione ipſius monaſterii, Epiſcopo intendente monaſterium ſibi lege diœceſana ſubjectum eſſe, ex adverſo verò Abbate contradicente & aſſerente, monaſterium eſſe exemplum & liberum à jurisdictione Epiſcopali. In hoc certamine Epiſcopus per aliqvot ſententias vicerat, eratqve ſtatus cauſæ jam in eo, ut ad executionem proclivis eſſet judex delegatus, nec attenderetur appellatio Epiſcopi Ovitenſis, qvi per modum interventionis à ſententiis iſtis appellaverat, dicendo, idem monaſterium non ad Aurienſis Epiſcopi ſed

ſuam

Digitized by Google

ſuam pertinere jurisdictionem, nec propterea Aurienſi Epiſcopo concedendum eſſe, ut executioni mandetur ſententia, qvin ſe potius audiendum, & totum proceſſum ſive executionem potius interea ſuſpendendam eſſe. Pontifex relatione ad ſe factâ probavit ſententias inter Epiſcopum Aurienſem & Abbatem monaſterii publicatas, qvod exemptio illa allegata haudqvaqvam probata eſſet, & hactenus nihil eſſet, qvod revocari executionem ſententiæ poſſet. Sed qvia jam non amplius lis erat de exemptione monaſterii, ſed nova controverſia movebatur inter duos Epiſcopos, utri eorum ſubjectum eſſe deberet monaſterium, & hactenus intererat Epiſcopi Ovetenſis, ne ſententiæ illæ ad effectum executionis perducerentur, juſſit Pontifex ſuſpendi executionem, & audiri prius Epiſcopum Ovetenſem.

Tota igitur controverſia in hoc capitulo deciſa verſatur in eo, utrum ſententia inter duos lata & effectum judicati ſortita ſuſpendi poſſit à tertio aliqvo, qvi in lite non fuit, præſertim ſi neutri partium aſſiſtit, & nova planè contradicendi argumenta habet, & ex novo atqve diverſo capite litigare velit. Scilicet confecta jam res erat, non exemptum eſſe monaſterium. Obtinuerat ergò Epiſcopus Aurienſis. Sed inter hunc & Epiſcopum Ovetenſem non amplius de exemptione diſceptabatur, ſed de ipsâ ſubjectione, utri eorum monaſterium ſubjectum eſſe deberet.

Ratio dubitandi præcipua conſiſtit in eo, qvod lis primum mota inter Epiſcopum Aurienſem & Abbatem jam finita erat, qvodqve nihil reſtabat amplius, niſi ut ſententia executioni mandaretur. Cumqve Epiſcopus Ovetenſis litem iſtam neqve pro actore neqve pro reo ſuſcepiſſet, & neutri eorum adſtitiſſet, ſed ſeparatum planè jus in judicium deducere vellet, non videbatur impediri hinc debere ſententiæ executionem, qvandoqvidem ille etiam poſt executionem agere adverſus Epiſcopum Aurienſem adhuc poſſet.

Ratio decidendi eſt, qvia res inter alios acta, ſententia inter alios pronunciata aliis nocere non debet. Ideò victoria unius, qvi pro ſe probavit, tantum inter partes illas, qvæ in lite fuerunt, jus facit, alteri, qvi pro jure ſuo ab illo victoris diverſo nihil adhuc probavit haudqvaqvam præjudicare poteſt. Multum autem noceret executio ſententiæ, ſi per eam in poſſeſſionem mitteretur Epiſcopus Aurienſis, cùm adverſus poſſeſſorem, cujus partes plerumqꝫ favorabiliores ſunt, haud paulo durior fieret conditio intervenientis adverſarii.

ſu-

Digitized by Google

ſuper ſtatu] i.e. utrum liberum aut exemptum eſſet, monaſterium, an verò ſub jurisdictione Epiſcopi. Sic etiam inter homines, qvando de ingenuitate aut ſervitute lis movetur, cauſæ ſtatûs appellantur, item liberalia judicia.

rationabiliter interpoſitam] h. e. ſi oſtenderit interveniens ſua intereſſe, ne ſententia executioni mandetur.

infra tempus legitimum] Fatalia appellationis ſunt diverſa interponendæ, introducendæ & juſtificandæ, qvæ accuratè obſervari debent.

Notandum hinc I. exemptionem Abbatum & monaſteriorum à jurisdictione Ordinarii ſeqvioris ſeculi inventum eſſe, reprehenſum tamen à cordatis qvàm ſæpiſſimè, & inter vitia Eccleſiæ relatum. *Vid. quæ dixi ad Lancellott. l. 1. tit. 19. §. 11.* Ivo Carnotenſ. *epiſt. 65. ibiq; Franciſcus Juretus, & epiſt. 195. ibiq; Joh. Bapt. Souchetus,* Franciſc. Florens *diſſertat. Canon. p. 22. ſeq.* Hieron. Bignon. *ad Marculf. p. 420.* Petr. de Marca *de concord. p. 211. ſeq.*

II. Sententiam inter alios latam ſæpè præjudicium facere tertio. *l. 63. ff. de rejud.* cui propterea intervenire & impedire licet, ne ſententia ad executionem promoveatur, cùm ſatiùs ſit in tempore, qvàm poſt vulneratam cauſam remedium qværere.

III. Non audiendum eſſe tertium intervenientem niſi ante omnia, qvid ſua interſit, docuerit. Qvod ſi is per modum appellationis demum intervenerit, ipſum hoc intereſſe exigit, ut gtavamina ſpeciatim allegentur, cùm aliàs à ſententiâ definitivâ appellans cauſas gravaminum allegare non teneatur. Frid. Hiltrop. *de proceſs. part. 2. tit. 11. n. 50.*

IV. Probationem ejus qvod intereſt non debere eſſe ſolennem & omnibus numeris perfectam, ſed ſummariam tantum, per unum teſtem aut inſtrumentum aliqvod, aut etiam per juramentum, imò etiam per præſumptiones qvandoqve Dn. D. Nicolai *proceſs. lib. 1. c. 14. n. 6.* Eſt enim probatio iſta tantùm præambula & præparatoria, non deciſoria & eo tantùm fine exigitur, ne interventio malitioſè fiat, qvod plerumqve interventio colluſionis ſuſpicione laboret. Brunnemann. *proceſs. c. 13. n. 6.*

V. Poſſe fieri, ut ſententia inter principales litigantes lata vires rei judicatæ acqvirat, nec profit tamen vincenti, ſicubi pro interveniente pronunciatum fuerit.

VI. Appellationem, niſi fatalia obſervata fuerint, nullius eſſe momenti, nec remorari ſententiæ effectum poſſe.

VII. Sen-

VII. Sententiam inter alios latam tertio regulariter non præjudicare, facere tamen aliqvam præſumptionem adverſus eum. Barnab. Cornazzan. *deciſ. 135. n. 17.* præcipue, ſi cauſa inter alios ventilata, ſit in eodem qvæſtionis ſtatu. Carpz. *2. reſp. 104. n. 14.* Hartm. Piſtor. *4. q. 29.*

Ad c. cum Bertholdus 18.

Bertholdus miles prædium ſuum pignori dederat Creditori Petro, jus patronatûs tamen exceperat & ſibi reſervaverat. Petro defuncto ſucceſſerat Artongus nepos, qvi vacante Eccleſiâ Brunum clericum præſentaverat Archidiacono Argentinenſis Eccleſiæ, & hic ex conſenſu Epiſcopi Argentinenſis Brunum iſtum inſtituerat. Bertholdus verò præſentaverat eidem Epiſcopo Titium, qvem ille admittere noluerat. Defuncto Epiſcopo coram ſucceſſore ejus lis mota fuit à Titio adverſus Brunum propter jus qvod uterqve prætendebat in Eccleſiâ. Appellatione dehinc ad Archiepiſcopum Remenſem interpoſitâ Commiſſarii fuerunt conſtituti, qvi auditis probationibus cauſam referrent ad Archiepiſcopum. Qvo facto cum non comparuiſſet in judicio Archiepiſcopi Titius legitimè citatus, abſolutus ab ejus impetitionibus fuit Brunus & in poſſesſione confirmatus. Paulo poſt comparuit Titius, propter abſentiam ſe excuſans, & petens, ut judicium inſtauraretur. Nec difficilis fuit Archiepiſcopus, qvi cauſæ cognitionem repeti voluit à Commiſſariis aliis, præviâ tamen cognitione aliâ de cauſis abſentiæ, ſicubi per eas Titius contumaciam purgaſſet. Commiſſarii iſti ſubdelegarunt alios, à qvibus cùm gravari ſe diceret Brunus, ad Pontificem Romanum appellavit. Atqve hic in Conſiſtorio ſuo ſententiam Archiepiſcopi Remenſis irritam, declaravit, & Eccleſiam, de qvâ controverſia fuit, Titio adjudicavit. Qværitur num rectè?

Ratio dubitandi eſt, qvia ſententia Archiepiſcopi lata erat propter contumaciam, qvam non comparendò commiſerat Titius. Etſi igitur bonam habuerit cauſam Titius, juſta tamen cenſeri poteſt ſententia, qvia condemnatus ex contumacia non tàm ob id victus præſumitur, qvod malam cauſam habuerit, qvàm qvod contumax fuerit, *l. 55. ff. de evict. l. 8. §. 14. ff. de inoff. teſt.* Et qvanqvam contumax dici neqveat, qvi juſtas abſentiæ cauſas allegare poteſt. *l. 2. ff. ſi qvis caut.* Titius tamen, uti in textu dicitur, juſtam abſentiæ cauſam minus ſufficienter probaverat, ut adeò ſubſiſtere adhuc videatur ſententia adverſus eum lata. Talem enim ſi probaſſet, dubium

non eſt, executioni mandari non potuiſſe judicatum, *l.75.ff. de judic. l.55. §. 2. ff. de re jud.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſententiæ iſti tales fuerunt inſertæ rationes, qvæ eam ex falſis cauſis latam arguebant. Primùm enim præſuppoſitum inveniebatur, Brunum probaſſe, Artongum Creditoris nepotem in posſeſſione juris patronatûs extitiſſe, cùm tamen hoc tantùm probaſſet, Rectorem Eccleſiæ qvotannis Creditori ejusqve heredi ſolviſſe penſionem annuam, qvæ penſionis præſtatio non facit idoneum argumentum juris patronatus. Secundò etiam id falſum erat, qvod itidem in ſententiâ continebatur, Titium non probaſſe intentionem ſuam, cùm ex teſtimoniis planè contrarium appareret. Tertium erat, qvod Archiepiſcopus unius tantùm partis Bruni ſcil. probationes habuiſſet, & ex illis ſententiam ſuam concepiſſet. Qvæ omnia arguebant, ex falſis cauſis latam fuiſſe priorem ſententiam, & Archiepiſcopum, uti modeſtè eum redarguit Pontifex, circumventum fuiſſe.

Ne ergò præjudicaret opinio veritati, Pontifex irritam declaravit ſententiam Archiepiſcopi & Eccleſiam de qvâ lis erat, adjudicavit Titio, eò, qvod is à verò patrono, nempe domino iſtius prædii, qvi in conſtitutione pignoris jus patronatûs ſibi reſervaverat, præſentatus eſſet.

curiam ſuam] Curia & curtis idem denotant, villam ſcil. ſive aream circumſeptam ſeu muro circumdatam cum ædificiis in eâ poſitis. *Vid.* Hottomann. *de verb. feudalib.* Gothofr. Anton. *diſp. feud. 1. th. 4. lit. f.*

jus patronatus] qvod eſt jus vocandi miniſtrum Eccleſiæ ad officium.

Remenſis Epiſcopus] Eſt ille inter Pontificis legatos natos, uti vocantur. *Sed vid.* Renat. Choppin. *de ſacr. polit. lib. 2. tit. 6. n. 2.*

reſponſalem] i.e. procuratorem, qvi pro eo in judicio reſponderet. Aliàs reſponſales dicebantur, qvi in comitatu principis Eccleſiarum curas ſuſtinebant, qvales reſponſales Conſtantinopoli habere ſolebat Epiſcopus Romanus, qvi & apocriſiarii dicebantur. *Vid.* Petr. de Marca *de concord. lib. 5. cap. 16.*

committentibus aliis vices ſuas] Videtur id parùm juſtè factum, qvandoqvidem delegatus ab alio, qvā à Romano Pontifice ſubdelegare non poteſt. *Vid.* Alteſerra *ad c. 27. §. ſi verò X. de offic. deleg.*

auditorem] i. e. judicem. Audire enim dicitur judex qvi cognoſcit & judicat. *l. 6. ff. de dot. præleg.* Unde & Epiſcopalis audientia dicitur in Codice, & auditorium locus in qvo cauſæ ventilabantur. No-

Notandum hîc I. Prædio aliqvo pignori dato, tacitè ſimul ad Creditorem tranſire jus patronatûs, qvod ei prædio adhæret, niſi diſertis verbis id exceptum & reſervatum fuerit. Diſſ. Rochus *de Curte de translat. jur. patr, num. 60.*

II. Jus patronatus, qvod defunctus habuit, transmitti cum reliqvis bonis ad heredem.

III. Etſi rerum ad cultum divinum pertinentium nullum ſit commercium, jus tamen patronatûs per ſe non cohærere religioni, ſed utilitatis gratiâ extrinſecus eſſe aſſumptum, & proinde acqviri & alienari poſſe, non qvidem ſeparatim, qvippe qvâ ratione Simoniam committi volunt, ſed cum venditâ univerſitate, civitate, pago imò cum vendito fundo particulari qvocunqve modo illi annexum ſit jus patronatûs. Julian. Vivian. *de jure patronat. lib. 4. c. 5.*

IV. Patronum præſentare debere candidatum à ſe vocatum Epiſcopo, ut ab hoc de eruditione, vitâ & moribus illius ſcrutinium inſtituatur.

V. Archidiaconum ſine conſenſu & mandato Epiſcopi non poſſe inſtituere miniſtrum Eccleſiæ.

VI. Abſentem propter contumaciam condemnari poſſe, ſed ſi juſtas deinceps abſentiæ cauſas allegaverit, ſententiam retractari debere.

VII. Delegatum judicem non poſſe alium ſubdelegare, niſi ſit delegatus Principis *l. 5. ff. de jurisdict. l. 5. de off. ej. cui mand. eſt jurisdict.* Sig. Scaccia *l. 1. de judic. c. 9. n. 637.* Rutger. Ruland. *de Commiſſar. lib. 3. c. 5. 6. 7.*

VIII. Ex cenſu, qvem Eccleſia ſolvere alicui tenetur, colligi non poſſe, jus patronatus eidem competere.

IX. In ſententiâ ferendâ judicem teneri utriusqve partis probationes probè cognitas habere, neqve excuſari poſſe, ſi unius tantùm probationes audire velit.

X. In Eccleſiâ patronatâ non poſſe alium conſtitui Eccleſiæ miniſtrum, niſi qvi à vero patrono vocatus & præſentatus fuerit.

Ad c. in cauſis 19.

Capitulum hoc eſt axiomaticum, ut propterea neceſſaria non ſit ſpecies facti, qvæ iſtud illuſtret. In genere autem definit, pontificem Romanum in ſententiis inter partes litigantes publicandis, juris ordinem obſervare debere.

Ratio dubitandi eſſe poſſet iſta, tùm qvod Pontifex Rom. ex ſententiâ Canoniſtarum, ſit ſuper omnia jura, tùm qvod communiter ſtatuatur, etiam in Principum auditoriis multa ex ſolennitatibus juris civilis remitti, eò qvod ſolâ facti veritate inſpectâ cognoſcere & ſententiam proferre princeps debeat. Gail. *1. obſ. 42. n. 2.* Anton. Mornac. *ad l. 8. C. de judic.* nec attendenda ſit nullitas in proceſſu commiſſa. Mynſing. *1. Obſ. 27.* Sebaſt. Vantius *de null. cap. an qvalibet ſent. poſſ. dici nulla n. 8.* qvodqve adeò ipſe multa ſubſtantialia judicii tollere qveat. Octav. Veſtrius *in proceſs. lib. 3. cap. 2.*

Ratio decidendi eſt, qvia ſententia Pontificis jus facere debet in ſimilibus cauſis, qvod ſeqvi debent etiam alii judices inferiores. Cùm igitur judices inferiores ordinem juris præſcriptum obſervare cogantur, & in proceſſu multa contingere poſſint, qvibus cauſa exactius dilucidetur, etiam Pontifici ordo ille obſervandus erit, ut utrobiqve paria ſint omnia.

Additur autem exceptio, niſi ex diſpenſatione aliter duxerit ſtatuendum, qvæ eadem additur *in l. 1. inf. ff. de conſtitut. Pp.* Sed talis diſpenſatio non facienda niſi neceſſitate aut utilitate urgente.

ordo juris] h. e. ordo judicii ſubſtantialis. Et vigor æqvitatis, h. e. ratio juſtitiæ & æqvitatis. Ita namqve temperanda eſt in ſupremis judiciis juſtitia, ut & æqvitatis aliqva habeatur ratio.

Obſervandum hinc I. Principis judicium dici, qvod nomine principis exercetur, nec neceſſe eſſe, ut ipſe ſemper præſideat. Jus ipſi dixiſſe memorantur Auguſtus Cæſar, Tiberius, Claudius, Veſpaſianus, ſed & Franciæ Regibus id ſolenne fuiſſe teſtatur Hieron. Bignonius *ad Marculf. pag. 507.* Utrum autem id Principem deceat, politicorum hodiè eſt qvæſtio vexata. *Vid.* Forſtner. *in not. ad Tacit. p. 113.*

II. Juſtitiam ita ſervandam eſſe in judiciis, ut æqvitatis ſimul habeatur ratio, maximè in auditoriis Principum; cavendum tamen, ne ſub nomine æqvitatis aut ſub ſpecie ejusdem ſumma committatur iniqvitas. *Vid. qvæ dixi de jur. maj. lib. 1. c. 6. n. 13. ſeq.*

III. Non exemplis qvidem, ſed legibus judicandum eſſe *l. 13. C. de ſentent. & inter locut.* conſvetudinem tamen judicandi & rerum perpetuo ſimiliter judicatarum autoritatem vim legis obtinere *l. 38. ff. de legib.* maximè verò attendi ſententiam principis, qvippe qvæ in ſimilibus cauſis jus facit propter autoritatem judicantis.

IV. Sen-

Digitized by Google

IV. Sententiam contra judiciorum ordinem latam autoritatem rei judicatæ non obtinere, *l. 4. C. de ſentent. & interlocut.*

V. Principem, licet legibus non teneatur, in judicando tamen inter privatos ordinem judiciarium ſervare debere.

VI. Principem diſpenſantem ordini judiciario non eſſe adſtrictum.

VII. Diſpenſationem fieri non debere niſi propter neceſſitatem & utilitatem publicam.

Ad c. inter monaſterium 20.

Vacante monaſterio S. Leufredi de Cruce monachi abbatem ex gremio ſuo elegerant, eumqve Epiſcopo diœceſano præſentaverant. Contradicebat Abbas monaſterii S. Audoëni, qvod ex ſuo monaſterio abbas ille S. Leufredi eligi deberet. Dati erant â Pontifice judices delegati, coram qvibus lis conteſtata & teſtes jam producti erant. Pendente lite Abbas Audoëni aliud mandatum & in eo alios judices delegatos impetraverat. Nec ceſſabant tamen judices priores, ſed continuato proceſſu per ſententiam electionem monachorum S. Leufredi confirmabant. Re ad Pontificem delatâ, mutatum fuit omninò nihil. Qværitur, an non potius Abbatis S. Audoëni partes ſuſtineri debuiſſent.

Ratio dubitandi eſt, (1.) qvod ſuſpecti eſſent judices priores, (2) qvod ad inſtantiam alios jam conſtituiſſet Pontifex, penes qvos, ut poſteriores, cauſa terminari debuiſſet, quia per ſecundam commiſſionem prior expirat. *c. 25. X. de offic. jud. del.* (3.) quod ſententia priorum judicum lata eſſet contra ſententiam diu ante publicatam pro monaſterio S. Audoëni. Talis autem ſententia adeò nulla eſt, ut nec appellatione opus ſit. *L. 1. C. quand. provoc. non eſt nec.*

Ratio decidendi nititur privilegio, qvod olim â Sede Apoſtolicâ accepit monaſterium S. Leufredi, in qvo monachis illius monaſterii conceſſa fuit poteſtas eligendi abbatem ex numero & corpore ſuo.

Ad rationes dubitanti reſpondet Pontifex, nullam earum obſtare: non primam, quia cauſæ ſuſpicionis prorſus frivolæ erant, nec juſto tempore prolatæ, ſed poſt litem demum conteſtatam: Id verò argumentum facere, recuſationis exceptioni tacitè fuiſſe renunciatum. Non ſecundam, qvia in ſecundis literis nihil omninò dictum fuerat de ordine proceſſus jam agitati coram prioribus judicibus, nec proinde prius reſcriptum per-

Digitized by Google

poſterius revocatum dici poterat. Non tertiam, qvia illa ſententia nec exhibita fuit, nec legitime olim publicata.

Cum ſi prædictu] Senſus admodum obſcurus. Videtur hoc velle: Si maximè ſententia prioribus producta & oſtenſa fuiſſet, autoritatem tamen ejus quam ſine dubio in ſecundâ hâc inſtantiâ vehementer impugnavit pars adverſa, tanti non eſſe, ut exceptio rei judicatæ per eam ſuſtinere poſſit.

imputetur] h. e. ſi valida fuisſet ſententia, ſibi imputet monaſterium S. Andoeni, quod eam non oppoſuerit juſto tempore. Videtur ergò Pontifex ſtatuiſſe, non attendi debere ſententiam & rem judicatam priorem, niſi â poſteriore ſententiâ appellatum fuerit.

benedictionis] qvâ abbati electo poteſtatem legitimâ impertit Epiſcopus. Per electionem enim etiam ante benedictionem fit & dicitur abbas, adminiſtrare verò non poteſt, niſi benedictione acceptâ, quâ exercitium accipere videtur. Fr. Boſquet. *ad Innocentii III. epiſt. p. 41.*

Diſcere hinc licet I. Commisſionem primam per ſecundam non cenſeri revocatam, niſi illius in ſecundâ expreſſa fiat mentio. Joh. Bapt. Leonellius *de ſubrept. reſcript. q. 5. art.* 7.

II. Judicem ſuſpectum juſtè recuſari, & ſufficere quidem cauſam etiam minimam. Anton. Fab. *Cod. lib. 3. tit. 1. def. 2.* non tn. omnino frivolam.

III. Recuſationem judicis ante litem conteſtatam proponi debere, *l. 16. C. de judic.* niſi fortè, qvod ex jure canonico ſupplendum eſt, de novo emergat cauſa vel juſtè ignorata poſt demum in notitiam perveniat. *c. 25. X. de off. & pot. jud. deleg.* Cujac. *9. obſ. 23.* Sichard. *ad d. l. 16. n. 3. ſeqq.* Græven *part. 1. concuſ. 33.* Marant. *part. 6. de appell. n. 74.*

IV. Exceptionem recuſationis omnium primam eſſe, atque ante omnes alias opponi debere, ne per alterius alicujus etiam dilato, viæ exceptionis, objectionem in judicem conſenſiſſe videaris, cùm hâc ratione renunciatum cenſeatur dictæ exceptioni. Frid. Hiltrop. *in proceſſ. part. 2. tit. 13. n. 3. 4.* Zunger *de except. part. 2. c. 4. n. 4.*

V. Obreptitium cenſeri reſcriptum, qvod obtinetur & impetratur nullâ factâ mentione de ſtatu cauſæ. Joh. Bapt. Leonell d. l.

VI. Documenra omnia, quibus litigantes ſuam probare conantur intentionem, non allegari tantum in judiciis, ſed etiam exhiberi debere.

VII.

VII, Sub prætextu novorum inſtrumentorum lites non debere inſtaurari, *l. 4. C. de re jud. l. 35. ff. eod.* cum alioqvin nullus eſſet litium finis *l. 2. C. eod.* eandemque eſſe rationem teſtium novorum, qvod eadem ſit ratio teſtium, quæ inſtrumentorum *l. 15. C. de fid. inſtrum.* Sed inter inſtrumenta excipiendam eſſe ſententiam priorem, qvod hoc caſu ſententia contraria poſterior ſit nulla *l. 1. C. ſententiam reſcindi non poſſ. l. 1. C. qvand. provoc. non eſt nec.* Mynſing. *cent. 4. obſ. 60.* Brunnemann. *ad. d. l. 4.*

VIII. Confirmationem præſentati differendam eſſe, ſi quando jus electionis, vel vocationis aut jus patronatus in dubium vocetur.

IV. Aliquando tamen ſuperiorem, ſalvo cujusque jure, ſuam interponere debere autoritatem, ſi præſertim ex longiore morâ Eccleſiæ aliqvod metuendum ſit periculum.

Ad c. ſuborta 21.

Lis mota erat inter Epiſcopum Meldenſem & monaſterium Resbacenſe ſuper ſtatu, libertate & ſubjectione iſtius monaſterii contendente Epiſcopo, ſibi id ſubjectum eſſe, monaſterio verò exemptionem prætendente. Cumque procurator monaſterii confeſſus fuiſſet, Epiſcopum qvaſi posſeſſionem obedientiæ in eodem monaſterio habuiſſe, reſtitutus fuit Epiſcopus in iſtam poſſeſſionem, qva ſpoliatus fuerat. Poſtquam verò etiam in petitorio deinceps de cauſa iſtâ diſceptaretur, & â monaſterio privilegium exemptionis ab Innocentio II. conceſſum produceretur, videbatur pro monaſterio ſententiam pronunciari debere. Nihilominus tamen etiam hîc Pontifex judicavit, monaſterium ſubjectum eſſe debere Epiſcopo Meldenſi, propter ſententiam qvæ jam ante ab Alexandro III. in eâ cauſa lata erat.

Ratio dubitandi in allegato conſiſtit privilegio. Exemptio n. non aliô fortiore modo probari poteſt, niſi per productionem ipſius privilegii, qvo exemptio fuit conceſſa. Privilegia autem Eccleſiarum nullâ debent improbitate convelli, nullâ novitâte mutari *c. privilegia 25. q. 2.*

Ratio decidendi petitur ex ſententiâ Alexandri III. qui integro ſeculo & qvod excurrit, poſterior fuit Innocentio II. Et ex eâ hoc modo argumentatur Pontifex: Aut privilegium iſtud Innocentii II. fuit productum coram Alexandro III. aut non fuit productum. Priori caſu, per ſententiam, id videtur fuiſſe reprobatum. Poſteriore, ſententia Alexandri III. non poteſt

teſt retractari obtentu privilegii iſtius, cùm ſententia prætextu novorum Inſtrumentorum retractari non debeat.

qvaſi poſſeſſionem] Hæc enim eſt jurium incorporalium, qvippe qvæ apprehendi corpore neqveunt, atqve idcirco qvaſi poſſideri dicuntur. *Vid.* Hillig. *ad Donell l. 5. c. 6. lit. O.*

Cauſam inſtructam] h. e. concluſam ab utrâqve parte, ita ut ſententiâ nunc opus eſſet.

ita tamen] Pontifex enim judicando non intelligitur præjudicare Eccleſiæ Romanæ, unde ſemper ſolet reſervare jus ſedis Apoſtolicæ. Similis formula extat *c. 2. X. de capell. monach.*

Diſcimus hinc I. Confeſſionem partis adverſæ eſſe optimum probandi modum, non tàm qvod probet, qvam qvod à probationis onere liberet. Weſenbec. *parat. de probat. n. 4.*

II. In interdicto recuperandæ reſtituendum eſſe eum, qvi probat, poſſediſſe ſe, & à poſſeſſione dejectum.

III. Privilegium non allegari tantùm, ſed etiam oſtendi & exhiberi debere. *c. 7. X. de privileg.*

IV. Audiri debere adverſus privilegium qvemcunqve, cui præjudicium inde aliqvod creatum fuerit.

V. Reſcripta ad unius partis inſtantiam emiſſa ita formari & accipi debere, niſi adverſarius rationabile qvid objiciat & probet.

VI. Prævalere debere inter litigantes, qvi efficaciores allegat rationes.

VII. Sententiam, qvæ vires rei judicatæ acqviſivit, prætextu novorum inſtrumentorum non retractari. *l. 4. C. de re jud. l. 35. ff. eod.*

Ad c. cùm I. & A. 22.

Poſtulatus erat abbas S. Dionyſii Remenſis à Canonicis nonnullis, variis de criminibus, de dilapidatione, perjurio, Simoniâ & aliis, ob qvæ judices à Pontifice delegati eum ab adminiſtratione Eccleſiæ removerant. Appellatione ad Pontificem factâ qværebatur de juſtitiâ ſententiæ,

Rationes dubitandi Abbas ſuggerebat iſtas (1) qvod judices ſententiam pronunciaverint, lite non conteſtata contra regulam, ut lite non conteſtata non procedatur ad ſententiam. (2) Qvod judices teſtes receperint conſpiratores contra *c. conſpiratores 3. q. 4.* (3) Qvod teſtimonia, qvæ receperant, non publicaverint, nec reo ediderint, contra *c. 24. & 26. X. de accuſat.*

Pon-

Pontifex, ut, qvid ipſe ſtatuere deberet, ſecum deliberare poſſet, aliis novis judicibus committit, ut ipſi diligenter inqvirant, qvatenus ſeſe habeat iſtud, qvod de teſtibus conſpiratoribus allegatum erat. Id enim ſi verum deprehenſum, nec aliter probatio ſacta fuerit, proceſſum irritandum & alium de novo inſtituendum eſſe putat. Si verò liqvidò non conſtaret, teſtes iſtos fuiſſe conſpiratores, vel non depoſuerint iſti ſuper his, ob qvæ Abbas remotus fuit, ſed ea aliunde probata fuerunt, proceſſum ait confirmari debere. Nec tamen propterea, qvod teſtes iſtos adverſus Abbatem conſpiratores fuiſſe conſtet, prorſus rejici vult eorum teſtimonia cùm utiqve valere debeant in illis, qvæ abbatem non contingunt ſed ſtatum Eccleſiæ ejus concernunt, qvandoqvidem priores judices mandatum habuerint, non tantùm inqvirendi in vitam abbatis, ſed emendandi etiam Eccleſiæ corruptelas.

Subſiſtit ergò pontifex in examine rationis dubitandi ſecundæ, de qvâ dicit, ſibi non factam fuiſſe plenam fidem. Unde colligitur, primam & tertiam refutatam illicò fuiſſe.

noſtro Apoſtolatui] En verò hîc Pontificis Romani arrogantiam Apoſtolatum ſibi tribuentis. Statuit Th. Stapletonus *l. 6. principior. doctrin. c. 7. & 15.* & ut principium ſuſtinet, Apoſtolatus nullam eſſe ſucceſſionem. Bellarminus *v. controv. 4. q. 5.* Papam aliqvo modo in Apoſtolatu ſuccedere ſtatuit, *Vid.* Rainold. *colloq. cum Hart. cap. 6. ſect. 1.*

Judices autem abbatis] Abbas non propter ſua crimina juravit, ſed ſuper his, qvæ credidit eſſe in ſuâ Eccleſiâ reformanda *c. 17. X. de accuſat.*

conſpiratorum] grave eſt crimen conſpirationis adverſus Epiſcopum ſuum, notatum jamdiu in Concilio Chalcedonenſi *cap. 18.* it. in ſynodo Qviniſexta in Trullo habitâ *can. 34. in Concilio Wormatienſi can. 74.*

Hinc verò elucet I. rectè inqviri in exceſsûs & delicta prælatorum, de qvibus publica innoteſcit fama, cùm Eccleſiæ nihil noceat magis, qvàm vita miniſtrorum peſſimè acta.

II. Utiliter inſtitui viſitationes Eccleſiarum, ut qvæ irrepſerint vitia, emendari & corrigi mature qveant.

III. Rectè removeri paſtorem Eccleſiæ criminis convictum, propter ſcandalum, qvod in parochianos redundat.

IV. Lite non conteſtatâ neqve ad teſtium receptionem neqve ad ſententiam definitivam procedendum eſſe.

Digitized by Google

V. Teſtium qvalitates judici conſiderandas eſſe, cùm plurimi à teſtificando prorſus repellantur, qvorum integrum catalogum recenſet Dornſperger *In ſyntagm. jur. lib. 1. c. 18.*

VI. Probationes, qvibus qvis convincitur, communicandas eſſe reo, aut illi, qvem gravant.

VII. Teſtium dicta, etſi in uno parum valida ſint, non tamen rejici prorſus debere in aliis articulis, maximè ſi teſtimonia ſua juramento firmaverint.

Ad c. cum te 23.

Species facti in ipſo textu plana eſt. Hoc qværitur: utrum propter injurias leves condemnatus infamiam incurrat, & propterea reſtitutionem famæ petere oporteat?

Ratio dubitandi eſt, qvia actio injuriarum ſive criminaliter ſive civiliter inſtituta fuerit, condemnatis infamiam irrogat, *l. 1. l. 4. §. 6. ff. de his qvi not. infam. l. 10. l. 18. C. eod. l. 7. ff. de publ. jud.* niſi in ſententia fama reſervata fuerit.

Rationem decidendi ſumit pontifex ex eo, qvod in præſenti caſu nulla vel minima facta ſit injuria, & hæc ratio facit exceptionem à regula.

in decem ſolidos] Solidi non una fuit æſtimatio, & plerumqve pro aureo ſumitur. *Vid.* Reiner. Budol. *de monet. lib. 1. c. 22.* Nic. le Maiſtre *de bon. Eccleſ. p. 2. c. 2.* Carol. du Freſne *in gloſſar.*

Diſcere hinc licet I. etiam ob minimam injuriam actionem injuriarum inſtitui poſſe. Diſtingvuntur namque injuriæ in leves & atroces *l. 17. §. 3. l. 40. ff. de injur.*

II. Condemnatum propter injurias non tantum mulctam præſtare teneri, ſed inſuper infamiæ maculam incurrere.

III. Excipiendum eſſe, qui ob leviſſimas injurias contemnadus fuerit. Gail. *l. 2. Obſ. 102.*

IV. Reſtitutionem famæ à ſolo Principe (cui ſe æqvalem facit pontifex) impetrandam eſſe. *l. 23. C. de nupt. l. 4. C. ad SCt. Tertull.*

Ad c. ad probandum 24.

Agitur hîc unicè de judice excommunicato, qvod ille nec ſolus, nec cum aliis ſententiam ferre poſſit, qvodqve ſententia ita lata irritari debeat.

Ra-

Digitized by Google

Ratio dubitandi eſt, qvia excommunicationis vinculum eſt ſpirituale, neqve tollit vincula ſocietatis humanæ.

Ratio decidendi eſt, qvia excommunicatis omni exuitur poteſtate, ita ut cum nullo, & ne qvidem cum partibus litigantibus communicare qveat. Hæc verò ratio originem ſuam habet ex jure humano & poſitivo.

publicè innodatus) ita ut notorium ſit. Debent enim excommunicatorum nomina tam parochianis, quam vicinis Epiſcopis indicari, & publicè ad fores templi intimari. *Vid. quæ dixi ad Lancellott. lib. 4. tit. 13. §. 30.*

metropolitani) Dicitur ita, qui eſt Epiſcopus totius provinciæ & ſub ſe plures habet Epiſcopos ſuffraganeos.

Notandum hic I. excommunicatum non poſſe eſſe judicem, ſed nec actorem quidem, patronum aut teſtem *c. 8. de ſent. excomm. in 6.* Qvam bene, *vid. quæ dixi ad Lancell. d. l. §. 19.*

II. Unicum inter plures judices excommunicatum facere, ut ſententia retractari debeat, neqve hanc vires accipere ex reliqvorum habilitate, ideò qvod communicare cum excommunicatis non liceat.

Ad c. qvamvis 25.

Qvod ſupra ſæpè dictum fuit, rem inter alios judicatam aliis non nocere, id nunc ſine ulla ſpecie facti in forma axiomatis cum exceptionibus proponit Gregorius IX.

Poſſet autem dubitandi ratio fingi iſta, qvod in eadem cauſa, propter eandem decidendi rationem fruſtra alia expectetur ſententia, cum una vincendi cauſa faciat, ut ſententia profit aut noceat.

Ratio decidendi eſt, quia ſententiæ inter litigantes tantum jus facit, neqve egredi debet terminos judicii, qvod inter litigantes tantum ſubſtitit.

Excipitur (1) qvi paſſus eſt litigare illum, cui ſecundo loco competebat actio vel defenſio, quia tum videor conſentire in judicium, quod alter ille ſuſtinet, & ille cenſetur litem agitare voluntate meâ. (2) qui paſſus eſt litigare eum, à qvo cauſam habet, cum reſolutio jure auctoris reſolvatur jus ſucceſſoris.

præjudicium] præjudicii vocabulum varie accipitur. Vultej. *ad §. 12. Inſt. de act.* Hic denotat quicqvid prius judicatum ſeqventibus judiciis exemptum aliquod allaturum eſt.

Hinc verô unicum id notetur, res inter alios actas aliis non præjudicare, atqve id ſuas habere limitationes *l. 63. ff. de re jud.* Videri poterunt Hartmann. Piſtor. *p. 4. q. 29.* Sig. Scaccia *de ſent. gloſſ. 14. q. 2. & q. 12.* Nicol. Valla *de reb. dub. c. 10.* Joh. Petr. Surdus *deciſ. 256.* Arius Pinell. *de bon. mat. part. 3. n. 48. ſeq.* Fern. Vaſqv. *lib. 5. controv. c. 23. n. 13. ſeq.* Cujac. *lib. 12. obſ. 25.* Carpzov. *1. reſp. 27.*

Ad c. duobus ult.

Etiam hic per modum axiomatis procedit Pontifex, qvid ſtatuendum ſi duo judices contrarii ſibi ſint in ſententia ferenda. Diſcrimen autem facit inter judices, qvod alii ordinarii ſint, alii delegati, & alii compromisſarii. Ordinariorum ſi diſſonæ fuerint ſententiæ, prævalere dicit eam, quæ reum abſolvit, niſi cauſa ipſa favorem in ſe habeat, ut eſt cauſa matrimonii, libertatis, dotis & teſtamenti, tum enim prævalere debet ea, quæ pro his cauſis facit. Inter delegatos judices diſſentientes prævalere debet iſta ſententia, quam approbaveris is qui delegavit. Inter compromiſſarios autem neutra valebit. *l. 27. §. 3. ff. de recept. arb.* quia de tali caſu nihil eſt actum inter partes compromittentes.

Poterat videri, neqve ordinarios qvidem aut delegatos judices, ſi diſſentiant, litem finire poſſe, quod pares ſint illi inter ſe, nec alter alterum autoritate ſuperet. Cumqve contraria inter ſe jungi & componi nullo modo queant, impoſſibile videtur, ut ex diſſentientium ſuffragiis, ſi pares fuerint utrinque, juſta posſit haberi ſententia.

Sed ſalva res eſt, ſi cum pontifice ita ut dictum diſtingvamus, qvod ille didicit ex *l. 38. ff. de re jud. l. 24. ff. de manumis. l. 10. ff. de inoff. teſt. l. 70. ff. de jur. dot.*

Notetur hinc I. favorabiliores eſſe partes rei, qvam actoris *l. 125. ff. de R. J.*

II. Eſſe quasdam cauſas, quæ favorem publicum merentur.

III. Judicium delegatorum poteſtatem pendere ex arbitrio delegantis.

IV. Arbitrorum totam poteſtatem pendere à voluntate compromittentium.

§ (0) §

IN-

Digitized by Google

INDEX.

A.

Abbates & Epiſcopi ſimul nominati qvi? 48

Abbatum & Monaſteriorum exemptio inventum novum & iniqvum 384

Abſolutio juramenti eſt vel declarativa nullitatis vinculi 303 vel diſſolutiva vinculi 303

A juramento abſolutio non facile concedenda 292

Abſolutio à juramento à poteſtate humana fieri neqvit 314

Abſolutio à juramento duo obſervanda habet 308

Abſolvi ab inſtantia: abſ. ab inſtituta actione: non teneri reſpondere ad actionem differunt 71

Abſens. Non omnis abſens eſt contumax 372

Abſens propter contumaciam condemnari qvando poſſit? 387

Abſentis condemnatio 23

Acta à qvo conſcribenda? 271

Actorum auctoritas 273. in alio judicio 275

- - editio 276

Actuarii officia 272. neceſſitas ib.

Actuarius idē & judex eſſe neqvit 272

- - - ubi non reqviratur, ut ſit N.P.C. 273

Actionis nomen exprimere hodie nemo tenetur 41

Actio coactæ quam præcedit actus violentus 205

Actus diuturni jus dant 378

Accuſare & agere differunt 331

Actori non licet, qvod reo denegatur 124

Acon oppidum 131

Adminiſtrator idoneus eſt rerum ſibi commiſſarum defenſor 73

Advocati Eccleſiarum extraordinarii 309

Adulterii cauſa nonniſi civiliter agi poteſt coram judice Eccleſ. 129

Adulterium inter leviora crimina J. Can. 33

Adulterium etiam in ſponſa committitur 331

Adulterii actio perit, ſi pars læſa ſciens lædentem carnaliter poſtea cognoverit 247

Affitare qvid? 240

Æqvitatis ratio in auditoriis Principum habenda 388

Agapæ qvid? 76

Agendi modus poſt incluſionem in cauſa mutari non poteſt 163

Aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt 365

Digitized by Google

Alienatio qvid? 344
Amen num formula jurandi Hebraica 333
Amicabilis compoſitio ante omnia à judice tentanda 121
Anathematiſmus num differat ab excommunicatione majori? 54
Amorem proximi ne per juramentum qvidem declinare poſſumus 303
Angliæ Reges coronandi jus cui Archiepiſcopo congruat 242
Angliæ Primatum num apud Archiepiſc. Eboracenſem an Cantuarienſem reſideat? 242
Annulus pronubus 372
- - Ex annuli traditione facta mulieri præſumitur contractum matrimonium 373
Antichreſis omnis J. C. prohibita 289
Appellare ad ſuperiorem qvando liceat? 123
Appellare licet Jure Can. à qvolibet judice inferiore immediate ad Papam 94
Appellatio interpoſita à judice inferiore non debet reſpui 130
Appellationes fruſtratoriæ recipiendæ non ſunt 74
Appellare licet Jure Can. etiam a gravamine futuro 216
Appellatio à gravamine etiam extrajudiciali fieri poteſt 311
Appellare licet Jur. Can. à qvocunqꝫ gravamine 115
Appellationis judex ſemper alius à judice primæ inſtantiæ ſit 115
Appellatione pendente nihil debet innovari 115
Appellatur fruſtra ab executione, niſi executor modum excedat 381
Appellatio intra decennium poſt publicatam ſententiam interponenda 381
Appellationis fatalia obſervanda 384. alias nihil valet 384
Præbenda qvid? 379
A judice etiam conſenſu partium dato appellari poteſt ad committentem 379
Appellatio ad Superiorem tollitur nullo ſtatuto 316
Appellatione interpoſita ſententia primæ inſtantiæ aut ſuſpenditur aut extingvitur 316
Appellationi non injuſtæ judex inferior deferre tenetur 316
Appellationis cauſa in ſchedula qvando exprimi debeat? 380. ſeq.
Appellatio. Qvi prior appellat, prior agat 146
Appellatione remota ſ. ceſſante; qvid notet hæc clauſula n. poſſe delegari cauſam ſub hâc à ſummo Principe ib.

Ap-

Appellatione remota: clauſula hæc num frivolam ſaltem appell. prohibeat 123
- - - cl. hæc non prohibet ſupplicationem, nec qverelam nullitatis, ib. nec recuſationem judicis ſuſpecti 132
Appellatione remota. Clauſula in reſcriptis Principum definitivis 37
- - ab hac clauſula excipiuntur appellationes expreſſo jure permiſſæ ib.
- - appellatio talismodi non impedit judicis executionem ib.
- - - - niſi recipiatur à ſuperiore 371
- - per clauſulam iſtam non tollitur remedium nullitatis, nec reviſio aut ſupplicatio 371
- - per clauſulam iſtam non prohibetur appellatio à ſententia manifeſtè iniqva 371
Apoſtolicus. i. e. Pontificius 9
Apoſtoli titulus olim aliis etiam Epiſcopis tributus 65
Apoſtolica ſedes, titulus omni Metropoliticæ Epiſcopaliqve ſedi olim tributus 58
Apoſtolatus num in Papa Romano ſucceſſio? 393
Arbitratores 309
Arbitrorum poteſtas pendet à voluntate compromittentium 369
Archidiaconi qvi olim qvi nunc? 76
Archidiaconi qvid? 3/5. 369
Argumentum à conventionibus publicis ad privatis non procedit 6
Aſſertio duplex 269
Attentatum qvid? 114
Audientia qvid? 289
Audientiam tantum habebat primitiva Eccleſia. 2. 1. R. 17. in qvos & in qvibus cauſis ib. 18
Audientia nec Diabolo hypothetice deneganda eſſet 43
Auditores Rotæ 155
Auditor i. e. judex 336
Avthentica h. e. originalia 9
Advocationes cauſarum 250
Auctoritatis præjudicio ſæpe cedendum 189. 185. 188

B.

Benedictio abbatis neceſſaria ad exercitium adminiſtrationis 390
Beneficium in J. Can. qvid? 9
Beneficia duo curata ſunt incompatibilia 134
Beneficium ſcindi & dividi non poteſt 299
Beneficii poſſeſſore vivendo, illud non poteſt promitti alteri 215
Berengaria Angliæ regina Pontificem judicem implorat 102. 103
Bethlehemitana Eccleſia 159
Bona Eccleſiaſtica non poſſunt alienari, 261, niſi ab iis qvorum intereſt 369
nec

Digitized by Google

- - nec conſvetudo ſic valet 309

C.

Cancellariorum Eccleſiaſticorum munia 382
Canonicus qvid? 297
Canonicus ſecularis abſurde dicitur 14
Can. Redintegranda 3. cauſ. 3 qvæſt. 1. commentario illuſtratus à p. 167 - 201
Canones & Leges qvomodo differant? 360
Canones obligant ex conventione 47
Canonici juris præclara ex jure civili decerpta 152
Canonum codex Eccleſiæ Africanæ 81
Canonicæ portionis qvantitas 15
Cantuarienſis Sedis Archiepiſcopalis privilegia 40
Capitulum unde dictum? 215
Capitulum ſede vacante non poteſt cognoſcere de cauſis Eccleſ. Feudalibus 88
Capella qvid? 8
Cardinales qvos fratres vocet Papa? 126
Catholicus i. e. Orthodoxus 306
Cauſæ Privilegiatæ qvid? 36
- - ex feſto alieno in forum proprium reducendæ 36. ſ.
Cauſæ connexæ non debent dividi 152
Cauſæ tamen poſſeſſorii & petitorii debent dividi ib.
Cauſæ qvædam favorem publicum merentur 396
Matrimoniales Cauſæ ſunt fori Eccleſiaſtici 149
Cautio ſufficiens qvid? 230
Cautiones in rebus dubiis utiliter præſtantur 241
- - non debent exigi ſine cauſa ibid.
- - qvæ dicuntur ſufficientes & idoneæ? ib.
Cautio rati fratris pro fratre 9
Cautionis redditio 250
Cenſuræ Eccleſiaſt. ſpecies ex jurisdictione non proveniunt 2. 1. R. 18
Circada qvid? 2
Circumire pro viſitare 2
Circumſtantiæ variant actiones humanas 205
Citationis reqviſita 25
Citatio peremptoria 141
Citatio debet fieri ad inſtantiam partis? 109
Clerici ſunt vel ſeculares, vel regulares 14
Clericorum nomine qvi comprehenduntur? 12
Clericus & Canonicus olim idem 39

Cle-

Clerici vocabulum late acceptum pro miniſtro in Eccleſia Dei 284
Clericorum peculium triplex 175
Clericorum avaritia 15
Clerici num nonniſi in foro Eccleſiaſtico conveniri debeant? 74
Clericorum bona { patrimonialia / ſecularia } qvod forum habeant? 84. 87. 88
Clericus in foro Laici litigans legibus Laicorum tenetur 92
Clerici cauſam civilem committere Laico poteſt Epiſcopus 80
Clericus actor Laici forum qvando ſeqvatur? 188
Clericorum Conventio apud judicē ſecularem olim uſitata 75
Clerici & Laici compromittere æqvaliter olim potuerunt 79
Clerico licuit Laicum ſibi judicem conſtituere 96. 97. 98
Clericorum num imperare ſit? 50
Clerici ſubſunt magiſtratibus ſecularibus 340. propter feuda hominio 341
Clericorum Exemptio à jurisdictione Laica eſt ex beneficio Principum 340
Clericorum exemptio olim nulla fuit à judicio ſeculari 46. 21
- - - - non eſt juris divini 47
Clericorum exemptio limitari poteſt 47. à Friderico II. Imp. malè confirmata 47. eſt iniqva & luctuoſa 50. 51. 52. ex privilegiis Principum nata 45
Clericus furti reus in Hungaria num apud ſecularem judicem ſiſtendus? 45
Clerici qvando brachio ſeculari tradantur? 52
Cognitionum ordo. lib. 2. Decr. tit. 10 147. ſeqq.
Comes i. e. Judex 279
Commercii carnalis poſſeſſio non addicenda conjugi, ubi periculum inceſtus ſubeſt 248
Commiſſariorum officium 343
Commiſſio prima qvando cenſeatur revocata? 390
Commiſſio ſententia contra tenorem commiſſionis lata non valet 379
Commiſſiones ſunt ſtricti juris 56
Commiſſionis extra fines ſententia à delegato pronunciata nulla eſt 208
Commiſſionis tenor ſtrictè obſervandus 208. 241
Compaternitas qvid? 373
- - num impediat matrimonium? 374
Compenſatum pro ſoluto habetur 290
- - num qvi juravit ſe ſoluturum, compenſare poſſit. ib.
Commutatio qvid? 314

Digitized by Google

- - num in juramento locum habeat? 314
Communc dicitur pro republ. 267
Concilia Africana ordine ſuo laxata &c. 24
Concilium Romanum V. notatum 170
Concubina qvid 269
- - qvomodo differat à legitima uxore? 270
Concubinæ eſt divertere 269
Concubinatus olim licitus 270
Condemnari non poteſt, niſi convictus, aut confeſſus 34
Condemnatis tempus ad executionem concedendum 380
Condemnatus ad ſolvendum non intelligitur ſolvere, ſi dederit pignora aut fidejuſſores 365
Conditio reſtitutionis competit adverſus qvemqve poſſeſſorem violentæ dejectionis conſcium 236. aut certiorem ejus factum 237
Conditionis vis 280. 281
Conditio nihil ponit 222
Conductus ſalvus 137
Confeſſio partis judicialis eaqve ſolennis eſt probatio efficaciſſima 141. 392
Confeſſio in ſui favorem non attenditur 33
Confeſſionis judicialis reqviſita 374
Confeſſiones coram Judice incompetente 34
Confirmatio Epiſcop. nihil dat novi 378
Confirmatio pacti, qvod nullum 9
Confirmationes Epiſcoporum optimo conſilio introducta olim 156
Confirmatio præſentati qvando differenda? 391
- - qvandoqve ſuperioris auctoritas interponenda ib.
Conjuges mutuo conſenſu ſeparatim habitare neqveunt 326
- - - nec habent poteſtatem ſui corporis 326
Conjugium ſpirituale Epiſcopi & Eccleſiæ nullum eſt 141
Conjurationes qvomodo evitentur? 342
Conſangvinitas ex injuſtis nuptiis 270
Conſcientia pluris æſtimanda qvam ſententia 227
Conſecratio Pontificia Miniſtri Eccleſiæ 88
- - per conſecrationem Epiſcopus plenam poteſtatem nanciſcitur 88
Conſenſus in nuptiis contrahentium debet eſſe liberrimus 367
Conſiſtoriorum Evangelicorum utilitas & dependentia à Principibus 21. ab iis appellatur ad judicium merè civile ib.
Conſvetudo contraria legi ſcriptæ derogat 47. etiam canonibus ib.

Conſvetudo non valet niſi tacito ſuperioris conſenſu 92
Conſvetudo non valet in bonis Eccleſiaſticis alienandis niſi ab iis qvorum intereſt 369
Conſvetudo rationalis valet 255. ejus rationabilitas 256. 369
Conſvetudinis vis 274. 369
Contentiones non ſunt juſta matrimonii ſolvendi cauſa 367
Continentia promitti neqvit 326. qvia eſt donum ſingulare 326
In Continenti: qvomodo ſumatur? 146
Contractus privatorum ſubjacent Magiſtratui 277. ſ.
Contumacia procuratoris poſt lit. conteſt. nocet Domino 130
Contumaciæ animadverſio 37
Contumax qvis? 26. 135
Contumelia qvid? 279
Contumelia & injuria promiſcuè uſurpantur 324
Conveniri unus debitor pluribus locis poteſt 107
Conventio non differt à pactione 16. vid. Pactum.
Converſi ſic dicuntur novitii Monachi 333
Copula carnali ſponſalia conditionata purificantur & ratum ſit matrimonium, qvod per ſe non eſt legitimum 367
de Corpore delicti niſi conſtet, non ſufficit confeſſio 34
Covarruvias notatur 4
Crimen & delictum qvomodo differant? 210
Criminaliter agere qvid? 210
Crucis ſignum erat exemptionis eccleſiarum ſignum 230
Crucis elatæ prælatio Eboracenſi AntiEpiſc. per totam Angliam ab Honor. II. conceſſa eſt 243. 244. hypotheticè à Regno 245
Crucis elatæ prælatio extra provinciam ArchiEpiſcopis non convenit. olim 243. Papæ Romano verò ubiqve ib. & noviori jure etiam omnibus Archiepiſcopis 246
Curia & curtis qvid? 385

D.

Damnum qvid notet? 106
Debitor moroſus tenetur ad damna & expenſas creditoris 107
Decani vocabulum explicatur 382
Decimæ cui Eccleſiæ debeantur? 13. ſeq.
Decimas religioſi de moralibus ſuis exſolvere non tenentur 251
Decimæ prædiales cui debeantur? 252
Deductio in domum ſola non inducit vinculum matrimoniale 229
Domum deductionis ritus 228
Defenſor à Papa miſſus 4
Degradatio qvid? 32
Degradationis Eccleſiaſticæ effectus & cerimoniæ 54

Dejectio violenta crimen qvale? 205
De delictis varia axiomata 34
Delicta mixti fori Jure Can. dantur 89
- in his locus eſt præventioni judicis ib.
Delicta paria mutua compenſatione tollantur 326
Delictum eo atrocius, qvo delinqvens honoratior 301
Delegatio à delegante revocari poteſt 208
Delegatus Judex qvando alium delegare poſſit 387
Denunciatio & accuſatio differunt 331
Depoſitio qvid 32
Deſertionis proceſſus in qvem inſtituendus? 142
Didacus Covarruvias in materia juramenti notatur 287
Dignitas notat adminiſtrationem rerum Eccleſiaſticarum cum jurisdictione 301
Dignus qvilibet præſumitur, donec probetur contrarium 73
Dilationes petitæ à judice concedendæ 129
Diœceſeos acceptiones 230
Diœceſis i. e. territorium Epiſcopi 275
- - ſua cuilibet Epiſcopo 275
Diœceſeos loca ſacra omnia ſuo Epiſcopo ſubſunt 222
Diſciplina qvid notet 2
Diſciplinæ Eccleſiaſticæ collapſio de? 166
Diſpenſatio i. e. adminiſtratio 284
Diſpenſatio i. e. adminiſtratio 284
Diſpenſatio qvid 31. 33. 226
Diſpenſandi jus circa Leges naturales aut divinas nulli poteſtati humanæ competit 226
Diſpenſatio Principis qvomodo & qvando fiat? 389
Diſcretio i. e. judicium 327
Diſtrictus qvid? 137
Diſtrictio Eccleſiaſtica: i. e. pœna canonica 277
Divortium ubi locum habeat? 324 326
Divortium fieri num poſſit etiam qvoad vinculum? 129
- - inde procurator poteſt intervenire ib.
Divortii cauſa non eſt hæreſis aut infidelitas 329. ſq. 332. nec contentiones 367
- - nec diſſenſus mutuus 367. nec mariti pravitates ib.
Documenta num reus ſua edere tenetur actori? 253. 254
Documenta omnia probationum exhiberi in judiciis debent 390
Dolo facit qvæ petit id, qvod reſtituturus eſt, ubi non valeat regula? 208
Donatio mortis cauſa à minore fieri neqvit 265

revo-

- - - revocari poteſt ib.
- - - monaſterio facta 263. 264
Dos ſoluto matrimonio ad mulierem revertitur 336
Dotalitium qvid hodie? 203
Dubiorum deciſio unde petenda? 300

E.

Eccleſiæ poteſtas externa ſumma eſt anathematiſmus 54
Eccleſia jure div. jurisdict. non habet 17
Eccleſiaſticæ cauſæ ſunt ſummariæ 183
Eccleſiæ ſervi 100
Eccleſiarum donationes vel converſiones qvando nullæ? 215
Eccleſiis cenſus neqve novus imponi poteſt, nec veteres augeri poſſunt 216
Eccleſiaſtici viri qvinam? 340
Eccleſiaſtica bona ex JureCan. bello capta non capientium fiunt 241
Eccleſiaſtica Bona aliis uſibus non ſunt applicanda 105
Electio Clericorum in Eccleſia libera manere debet 11
Electores in electionibus in unum locum congregandi 156
Epiſcopi electio ad qvem pertineat? 157
Epiſcopi patres dicti 2
Epiſcopi depoſitio qvomodo fiat? 362
Epiſcopis competit poteſtas temporalis ex principum arbitrio non jure ſuo 20
Epiſcopalis acudientiæ incrementa 79
Epiſcopus ante conſecrationem de feudis Eccleſiaſt. cognoſcere neqvit 88
Epiſcopi jurisdictio externa ex ordine pendet ib.
Evacuari qvid? 370
Excellentia regum titulus 254
Exceptiones lib. 2. tit. 25. pag. 350. ſeqq.
Exceptio recuſationis judicis prima omnium eſt 390
Exceptio loci non tuti juſta 137. etiam literis ſalvi conductus miſſis 16
Exceptio inopiæ impedit exceptionem ſententiæ 232
Exceptiones dilatoriæ utiliter in judicia conſtringuntur 355
- - - - proponi, diſceptari, probari, decidi debent una opera ib.
- - - - qvando non amplius audiendæ 356
- - - noviter exortæ aut nunc demum compertæ ſemper opponi poſſunt 356
Exceptio poſſeſſionis vitioſæ qvæ ſu-

fuerit ex parte actoris, rejicienda 209
Exceptio ſpolii petitoria non habet vim repulſæ 150
Exceptio rei judicatæ qvando valeat 71
Contra Exception: declinator: fori cautela 25
Exceptiones omnes etiamſi notoriæ ſint, allegare oportet 111
Excipi contra teſtium perſonam duplici tempore poteſt 133
Excommunicationes indoles 2.1.R. 19. it 20
Excommunicationis effectus civilis 262
Excommunicationem præcedant monitiones 269
Excommunicari neqvit niſi ille qvi notus eſt 3'8
Excommunicatus in judicio accuſare & agere } 357 { num juſte? neqvit } 353 { 351
Excommunicati jus ſuum perſeqvi poſſunt 42.43.44
Excommunicatis relinqvitur exceptio recuſationis judicis 357
- - appellationis remedium non eſt denegandum 357
Excommunicatus non poteſt eſſe procurator 262.263
Exempla ſ. Copiæ. 9
Executor cognoſcere neqvit exceptionem condemnati &c. 363
Exhæredatio liberorum fieri neqvit, niſi ex cauſis in jure probatis 324

F.

Facti ſpecies ab ipſis Litigatoribus percipienda 68.69
- - qvod in foro Sax. in cauſis ſaltem matrimonialibus & criminalibus fit 69
Fama qvid valeat? 343
Famæ reſtitutio à ſolo Principe impetranda 394
In Favorabilibus perſonæ ita juvandæ ſunt, ne juſtitia lædatur 96
Feuda Eccleſiaſtica 14
Feuda vocabulum unde? 36
Feudum ſeculare qvotuplex 86
Feudales cauſæ in foro communi deficiente feudali agitantur 37
Feudales cauſæ in Saxonia Elector. etiam in curiis provincialibus tractantur 37
Feudele in judicio non attenditur qvalitas reiconventi ſed res ipſa non perſona ſed cauſa 37
Filius Papæus Regum titulus 344
Filiatio probata 270
Fidejuſſor, qvi ſe juramento obſtrinxit, num perdat beneficium excuſſionis? 295
Finium regundorum judicium duplex 256. tantùm in prædiis ruſticis locum habet 257. petitori probatio incumbit 256
Forum competens lib. 2. tit. 2. 77. ſ.

Fo-

Forum competens eſt locus delicti commiſſi 100. 101
Foro in generali qvomodo qvis conveniri qveat? 111
Fratres compellabant ſe invicem olim Chriſtiani omnes 218
Fratres olim Chriſtiani, hodie Monachi dicuntur 260
Fructus qvid? 289

G.

Gradus conſangvinitatis prohibiti 261. 262
Gratiani collectio minoris auctoritatis eſt? 168
Guido Rex Hieroſol. vindicavit ſibi curam rei Eccleſ. 160

H.

Hincmarus qvis? 112
Homagii vocabulum 306
Hominium remittendum Miniſtris Eccleſiæ 341
Hoſpitalia ædificabantur olim ad animæ remedium 221
Hoſpitalarii ſeu milites Melitenſes qvi? 229
Hülſemann. explicatus 21
Humiliati Semimonachi qvinam? 221

I. J.

Illegitima nulla conventione mutari poſſunt 324
Illuſtris titulo olim nullus major in J.R.G. 30
Imitari qvid? 47
Imperativa verba ſunt precaria 265
Imperium ſummum cum conventione conſiſtit 345
Imperii vacantis Vicariatus num Pontifici competat? 94
Impoſſibilium genera 16
Impuberes ſeptennes Sponſalia contrahere poſſunt 228
- - qvomodo pro iis alii poſſint contrahere ſponſalia? ib.
Infidelis 331
Inhibitio ad unius partis inſtantiam malè decernitur 246
Injuriam inferens ad ſatisfactionem alteri tenetur 324
Injuriarum actio poſt ſatisfactionem nulla ſupereſt 324
Injuriarum actio ob minimam poteſt inſtitui? 394
- - condemnatus & multam & infamiæ maculam incurrit ib.
- - niſi fuerint leviſſimæ ib.
Injuriæ Mutuæ qvando compenſationem, qvando actionem inferunt 309
Inqviſitio i. e. cognitio plena 77
Inſtitutio pro inveſtitura 300
Inſtitutus qvis? 208
Inſtrumentum ſigillo, nec ſubſcriptione munitum, tamen, valet 258. 260
- - tunc teſtes in contrarium nihil valent 258. 259
- - qvando teſtes valeant 259. 260

In-

Digitized by Google

Inſtrumentorum novorum prætextu lites non inſtaurandæ 391
Interdicta applicantur etiam perſonis conjugatis 213
Interdicta recuperandæ 209
Interdicta omnis generis num cumulari poſſint cum petitorio? 163. 164
Interdictum unde vi adverſus qvem detur? 235
Interdictum unde vi adverſus qvem non datur? 230. eſt perſonale 235
Interdictum vel locale vel perſonale 293. 294
Interdictum unde vi & Canon redintegr. 3. cauſ. 3. qv. 1. coincidunt. 172. 184
Interdictum, qvo ſacris abſtinere jubetur populus, impium eſt 234
Interdictum Canoniſtis qvid? 36. 338
- - Pontificium impium 338
Interdicti Eccleſiaſtici proceſſus plane impius 67
Interdictum Juris Civ. & Can. differt 56
Interpretatio Legis triplex eſt 58
Interpretatio extenſiva 176
Inveſtitura qvid? 222. 376
Inveſtiti ſimultaneæ in foro Saxonico, vicariis provincialibus & judicio ſupremo conveniri de qvibusvis cauſis poſſunt 37
Johannes Angliæ Rex non Richardus à Philippo Gall. R. actionibus Gallicis exutus 58. ſeqq.
Johannes I. Papa Rom. ſuperbus 167
Irritatio juramenti competit principi in terris 314. & alii ſuperiori 315
Italicarum civitatum bella qvondàm gravia diſſidiaq; cruenta 238
Judex ex æqvo utriqve parti faveat 357
Judex facilis ſit ad perperam factum revocandum 245
Judex jurejurando adſtringendus 320
Judex ordinarius qvid? 265
Judex procedens juris ordine non ſervato qvis? 250
Judex ſuſpectus juſte recuſatur 390
Judicis ſuſpecti recuſatio valet 132
- - ſed prima debet eſſe exceptio ib.
- - poſt recuſ. jurisdictio ſuſpecti judicis ſuſpenditur ib. & 137
Judicis arbitrium in probandis finibus 175
- - eſt in delictis ut inqvirat, non expectato actore aut accuſatore 318
- - recuſatio ante litem conteſtatam proprie debet 390
- - ſuſpecti proceſſus prolixus Jure Can. 83. expeditior Jure Civ. ib.
Judicatarum Rerum firmitas 49
à Judice abſit motus animi præceps 230
Judice ab incompetente latæ ſententiæ effectus nullus 81

Judi-

Judice coram ſuſpecto litigare periculoſum eſt 357
Judicem ſuſpectum recuſans non eſt injuriæ reus 137
Judicem recuſandi cauſa eſt ſubjectio judicis 132. inimicitia 137
Judices qvibus de cauſis ſuſpecti fiant? 357
Judicia utiliter in Eccleſiaſtica & ſecularia diſpeſcuntur 21
Judicialis auctoritas maxima 271
Judiciorum Eccleſiaſticorum veterum & modernorum differentia, 2.1.R.19
Judicum Delegatorum auctoritas pendet ex arbitrio delegantis 396
Juramenta ſtricte qvidem, non rigide, ſunt explicanda 331
Juramenta unde interpretanda? 342
Juramenti comites tres 334
Juramenti formale 347
Juramenti obligatio ſub ſolius religionis vinculo ſubſiſtit 287
Juramenti religio, cur ita dicatur? 66
Juramenti verba absqve cavillatione interpretanda 321
Juramentis ex duobus utrum prævaleat? 299.300.310.345
Juramento conventio firmata qvod accipit robur 337
Juramento remiſſio vaſallus tamen ad juramenti officia tenetur 306
Jurans abſolvi poteſt à Magiſtratu 280
Jurare num liceat ulli Chriſtiano 332. num Monacho ib.
Jurato promiſſum num crimelius commutari poſſit 280
Jurato promiſſa latroni ſunt ſervanda 279
In jure, pro in judicio 53
Jurisdictio conſvetudine etiam acqviritur 47.100
Jurisdictio Eccleſiaſtica externa quibus artibus attracta fuerit 90.93
- - qvæ cauſæ Laicorum hodie illi relinqvantur ib.
Jurisdictio eſt dominio Feudali conjuncta 35
Jurisdictio pro cognitione ſimplici uſurpatur 100
Jurisdictio prorogata à privatis qvodammodo tribuitur 108
- - - nec tamen illi qvi nullam omnino habet ib.
Jurisdictiones non confundendæ 28
Jus civile docere & audire Pariſiis & in vicinia prohibitum 92
Juſtellus edidit codicem canonum Eccleſ. Africanæ 81
Juramentum ad non cogitata & ultra intentionem jurantis non extendendum 309
- - calumniæ utiliter defertur partibus 343
- - calore iracundiæ præſtitum, illicitum qvidem, nec tamen omnino nullum eſt 304

Digitized by Google

Juramentum de faciendo. qvicqvid alter mandaverit non illicitum 324
- - - nec tamen obligat, ſi alter iniqvi qvid juſſerit 324
Juramentum ex parte præſtantis eſt perſonale, ex parte recipientis reale 306
- - - ejus, qvi ſub alterius poteſtate eſt, absqve ipſius conſenſu nec licitum, nec obligatorium 338
- - - fidelitatis & exigi & præſtari per procuratorem poteſt 322
- - - ex variis cauſis præſtari poteſt pluribus 323
- - - illegitimum nullius eſt momenti 321
- - - in forma ſpecifica adimplendum 280. 281
- - - indebite exigere peccatum eſt 291
Juramentum metu extortum de re non illicita ſervandum eſt 291
Juramentum aliud temerarium, aliud omnino nullum 331
- - - in cauſis dubiis à judice rectè defertur 350
- - - non habet vim deſtructivam 345
- - - à judice delatum non poteſt recuſari 349
- - - qvod à parte parti in judicio defertur recuſari poteſt 349
Juramentum ne adverſetur bonis moribus & legibus 323
- - - non valet, ſi juret maritus Uxori, ſe nullo unqvam de crimine eam accuſaturum 329
- - - tit. 24. p. 276. ſqq.
- - - per vim & metum extortum 278. 290. ſ.
- - - nullo deferente præſtitum 270
- - - relaxabile ab eo cui juratum eſt 277
- - - reſcindi poteſt auctoritate ſuperioris, aut materia deficiente ceſſare 279
Juramentum per creaturas eſt illicitum 333
- - - protectionis ab Advocatis Eccleſiæ 311
Juramentum promiſſorium circa bona fortunæ etiam vi extortum qvatenus ſervandum 308
- - qvod cedit in præjudicium temporalitatis Eccleſiaſticæ non eſt nullum 336
- - Vaſalli non abſolutè neceſſarium 306

L.

Laici rei in defectu juſtitiæ ſecularis trahi poſſunt ad forum Eccleſ. 74
Lædens tenetur ad ſatisfactionē 309
Laicorum ob omni regimine Eccleſiaſtico excluſio 26

Lao-

Digitized by Google

Laodicea urbs deſcripta 279
Legati Pontificis habent jurisdictionem in provinciis aſſignatis 369
Legati Pontificis qvotuplices 40
Legatorum notorum titulus Papæ proficuus 40
Legem tamen ſententia Principis refert ib.
Legibus non Exemplis judicandum eſt 388
Legitimatio perſonarum in judiciis neceſſaria 49
Libellus conventionalis 116
Libellus in omni actione judiciaria neceſſarius 38. 40
Libellus qvomodo in omni lite neceſſarius ſit? 113. præter cauſas ſummarias ib.
- - in ſcriptis eſt offerendus ib.
Libelli formulæ antiqvæ abrogatæ hodie 41
Libelli oblatio lib. 2. tit. 3. 111. ſqq.
Libelli varia ſignificatio 113
Libello uno plures actiones diverſarum rerum nomine cumulari poſſunt 126
Libertas omnibus rebus favorabilior 257
- - vide multa contra jus commune recepta 258
Lite non conteſtata neq; ad teſtium receptionem, neqve ad ſententiam definitivam procedendum eſt 393
Lite pendente nihil eſt iñovandum. lib. 2. tit. 16. p. 242. ſqq.
Litigioſa res qvid? 249. rei litigioſæ alienatio nulla 250
Litis conteſtatio tit. 5. p. 124. ſeqq. ejus factæ character 127
- - unde dicta? pag. 124. qvid ſit? ib.
- - maxime neceſſaria 126. nunqvam omittenda ib.
- - ordinarie, niſi in cauſis ſummariis 129
Litis conteſtatio non neceſſaria, ſi de meritis cauſæ ex actis conſtet 127
Ante Litis conteſtationem teſtes recipiendi non ſunt 127. 128
Litis pendentia inducitur etiam per motam controverſiam, per citationem ſolam 246
Litium protelationes evitandæ 361
Loca in territorio regulariter ſunt de territorio alicujus 230

M.

Madura urbs 2
Mala qvædã ſunt talia natura, qvædam qvia prohibita 334
Mandati fines diligenter cuſtodiendi 241
Mandata cenſentur ea, ſine qvibus mandatam impleri neqvit 241
Manes non ſunt inqvietandi 190
Marcha qvid, & qvod ejus pondus, remiſſivè 8
Maritus militiæ aut negotiationis cauſa abſens non deſertor eſt 142

Digitized by Google

Maritus qui juravit uxori nolle ſe eam de adulterio accuſare, tenetur ſervare juramentum 330
Maritus qvi deprehenſam uxorem in adulterio retinet, Jure civ. Lenocinii reus, Jur. Can. eam reconciliare ſibi poteſt 330
Matrimoniales cauſæ ſunt ſummariæ, qvando? 130
Matrimonialibus in cauſis minores ſine curatore in judicio comparere poſſunt 228
- - etiam procuratores admittuntur, niſi in foro Saxonico 229
Matrimonium qvid? 326
Matrimonium contractum impedimenta qvædam dirimunt 218
Contra Matrimonium difficilius qvid ſtatuitur qvam pro matr. 138
Matthæi c. 18. v. 15. ſeqq. explicantur 62
Milevitanæ Synodi canones 99
Milites Eccleſiæ qvinam? 86
Miniſterii Eccleſiaſtici renunciatio & refutatio alteri facta eſt illicita 292
Miniſteria Eccleſiaſtica non ſunt commercia 300
Minoris actus per Juramentum firmatus 265
Miſerabiles perſonæ etiam Illuſtres Viduæ cenſentur 104
Miſſio qvomodo fiat diverſimode? 135. ex primo decreto ib.
- - præmittenda aliqvalis cauſæ cognitio ib.
- - hæc non dejicit Dominum ib.
Miſſio ex ſecundo decreto qvæ? 136
Miſſus ex decreto primo fructus non facit ſuos 135
Molinæus Carolus ſcripſit ad Sc. Franciæ contra abuſus Papæ 60
Monachi incluſi ſunt etiam ob polypragmoſynem 303
Monachi libertatem mutandi ſtationem olim habuerunt 303
Monachiſmus novus alius plane ac vetus 295
Monaſterium apud S. Medardum 112
Monaſticorum trium votorum origo Benedicto cuidam tranſcribitur 303
- - damnabilitas 305. impoſſibilitas 326
Moratoria reſcripta non ſunt iniqva 232
Monetæ probæ materia qvæ ſit? 314
Monetæ mutatio qvomodo fiat 314
Moniales pulſæ ex monaſterio de argentolio 357
Mors conjugis qvomodo probanda 141
Mulier aufugiens à marito NB. ſævo non poteſt cogi ad reditum, niſi &c. 214
Mulier diſcedens à marito qvando

cogi

cogi neqveat ad reditum? 226. 227
Mulieris nomine etiam virgo viripotens continetur 324
N.
Natalium diſcrimen in ſuccesſione obſervatum 148
- - hinc de illis prius qvam de hac agendum eſt ib.
Negantis factum per rerum naturam nulla eſt probatio 156
Nomina ex accidenti formantur ſæpe 25
Notarii auctoritas 272
Notorium aliud eſt juris, aliud facti 319. in notoriis ordo juris non ſervandus 321
Notorium à manifeſto differt 318. in notoriis non ſervari debet ordo juris, neqve reqviritur ſententia 377
Novales qvid? 252
Nuncius Apoſtolicus 206
Nuptiæ invitorum & ætate non valentium convaleſcunt per ſubſeqventem copulam carnalem 367
In contrahendis Nuptiis maſculi debent eſſe puberes, fœminæ viripotentes 367
O.
Obedientia manualis qvid? 222
Obligatio ſeu inſtrumentum cauſam debiti non exprimens paratam executionem non habet 317
Obligationis cauſa proxima in actione perſonali in libello exprimenda ib.
- - cauſa tali omiſſa libellus tamen ſuſtinetur ib.
Obreptitium ſcriptum qvodnam eſt 390
Obſides à fidejuſſoribus differunt 294
Obſidum obligatio qvalis? 295
Obſtagium ejusqꝫ contractus qvid? 293
- - ex ſe non eſt illicitus 294
- - propter abuſus in Germania rectè prohibitus ib.
- - ad illum obligare ſe poſſunt fidejuſſores, mulieres ib.
Occupare nemo propria auctoritate rem ſuam apud alium poteſt 135
Oeconomi Eccleſiæ qvi? 267
Offenſa activè offenſio paſſivè ſumitur 324
Omne qvi dicit, nihil excludit 319
Oratorium qvid? 221
Ordo juris qvid eſt? 388
P.
Paciſci de qvibusdam, qvæ in noſtra ſunt poteſtate, non licet 15
Pacta in præjudicium tertii non valent 15
Pactio & pactum nihil differunt 15
Pactiones invalidæ 15

Digitized by Google

Ex pacto nudo de Jur. Can. non datur actio it. ib. 3. 6
Pactorum illicitorum qvædam exempla 11
Pactum de non declinando Judice alias ſuo, irrevocabile p. 23
Papa non eſt caput Eccleſiæ, nec Epiſcopus Oecumenicus 283
Papa Romanus, Pontificas Romani. num ipſis competat directorium & judicium in negotiis publicis Principum? 60. 65. 66
num exercere in Principes & Reges poſſit excomunicationem majorem? 66
num ipſis vacante Imperio jus adminiſtrationis competat? 94
qvibus artibus ſibi ſuisqve Clericis jurisdictionem in Laicos tribuere cœperint 90. 73. 95
num cœlo ſoli rationem reddant? 172
Papæ præſtitum fidelitatis & obedientiæ juramentum 282. ſ.
Papæ una plures qvando fuerint? 171
Epiſcopis Romani s antiqvisſimis ſuppoſitæ epiſtolæ 168
Papalis Monarchiæ gradatio 281
- - fulcrimentum ſunt ſuccisæ vires Epiſcoporum 284
Parochiæ vox explicata 233. & 252
Parachialia jura 233
Parochiæ optimo jure diſtinctæ 14
Parochialis Eccleſia qvæ? 14
Parochianus in Eccleſ. cui qs. addictus eſt ſacra, percipere tenetur 14
Paſtorum repræhenſio ab ovibus fieri licita 172
Patriarcha Hieroſolymitanus 160
Patriarcha Grandenſis 309
Patriarcha qvid? 378
Patronus Eccl. præſentet Epiſcopo candidatum examinandum 387
Patronatus jus ex cenſu ab Eccleſia dato non probatur 387
Patronatus jus prædii oppignerati ad creditorem tranſit 387
- - eſt hæreditarium ib.
- - eſt extrinſecum & hinc alienari & acqviri conjunctim poteſt 387
Patronatus juris cauſa, Eccleſiaſtica eſt 30
Jus Patronatus ex proprio patrimonio comparatum ſeculare eſt 29
Pax Monaſterienſis ab Innocenti X. Papa impugnata 26. dirisſimis vocibus 66
Peccata omnia in ſe ſunt mortalia 302. 303
Pecuniaria cauſa qvid? 92
Pegavienſe monaſterium 275
Penſio qvid 13. 215. 296. 299. ſolita ib. & 310
- - reſervata olim inuſitata in Eccleſia ib.
- - reſervata impia ib. & 13

Pen-

Penſionum abuſus in Eccleſia Romana 13
Penſio annua ab Epiſcopo poteſt reſervari propter locum ſacrum 222
Perfectio Monachorum nulla 333
Perjurium Eccleſiaſticum ſecularemqve judicem habet vindicem 67
Perjurii fiunt infames & incapaces dignitatum 298
Perjurus qvis ſit? 298. 311. 321
- - qvando ipſe Pontifex? ib.
Perjurus non eſt, qvi ex necesſitate aut imposſibilitate ſuperveniente ſervare promiſſum non poteſt 298. 311
- - qvi non amplet juramentum, qvando alter cui juratum eſt ex ſua parte, qvoad promiſit, non ſervat 338. 339
Perſona i. e. curio ſeu rector parochialis Eccleſiæ 208
Perſonatus duo num compatibiles ſint? 208
Perſonatus qvid? 252
Perſonæ miſerabiles num directe judicem Eccleſiaſticum adire posſint 104
Petitiones mutuæ L. 2. tit. 4. 118. ſqq. ſimul ambulant 147
Petitorium judicium abſorbet posſeſſorium 133
Petitorio cum poſſeſſorio cumulato ſuper ſolo poſſeſſorio pronuntiare poteſt judex 153
Pignoris frugiferi uſus J.C. Prohibita 289
Pignoris cauſa datam rem qvi ſubtrahit debitor, furtum committit 290
Pignus conventum ſola voluntate contrahitur 365
Plebanus qvis? 119
Plebes pro parœcianis 2
Philaſcus cœcus qvidam 202
Philippus G.R. num à Carolo Magno genus traxerit? 66
Pœnarum fines ſeu rationes, tres 305
Creſcentibus delictis creſcunt Pœnæ 302
Pœnæ commenſurandæ delictis 301
Pœnitentia pro pœna 33. 303. 313
Pontificis nomen Epiſcopis olim tributum 80
Poſſesſio vitioſa qvæ? 216
ad Poſſeſſionem acqvirendam non ſemper neceſſaria traditio & apprehenſio corporalis 216
Poſſesſiones traditæ argumentum eſt præſtatio penſionis 216
Posſidet is vere, cujus nomine posſidetur ib.
Poſſesſio ſolo animo amittitur, ut qvisqve conſtituit nolle ſe posſidere 206
Poſſesſio qvomodo inferatur? 165
Poſſesſio antiqvior & titulata 368
Poſſesſiones qvid? 289

Pos-

Digitized by Google

Poſſeſſor in pari cauſa prævalet 257
Pro poſſeſſore posſidere titulus prædonum & furum 1
Poſſeſſor malæ fidei & perceptos & percipiendos debet reſtituere fructus 219
Poſſeſſorium & petitorium judicium qvomodo differunt 103
Poſſeſſorium & petitorium Jur. Can. ſimul tractari &c. poteſt 157
Poſſeſsorium judicium ociisſime terminandum eſt 104
Poſſeſſorium judicium qvi poteſt, præ petitorio, inſtituat 162
- - Illud poſſumus inſtituere, dum petitorium adhuc pendet ib. & 163
Poſſeſſoria cauſa circa rem ſpiritualem cujus fori? 187
Poſſeſſorio ſummariisſimo obtinet is, qvi præſentaneam probavit poſſesſionem 156
Poſſesſoriis in cauſis fundandum prius ante proceſſum judicium eſt 104
Poſsesſionem alterius adhuc posſidentis intrans non tenetur interdicto unde vi 210
Poſsesſionem violenter ablatam qvantocyus reſtituat ſpoliator 203
Poſſesſionis noſtræ vicarii nihil præjudicant nobis 222
Poſſesſionis & proprietatis cauſa lib. 2. t. 12. p. 150. ſeqq.
Poſſesſionis reſtitutio ab utroqve litigantium qvomodo peti neqveat 150
Poſitiones breves qvid? 124
- - verbis aſſertivis non Interrogativis efferuntur 125
- - earum differentia ab Articulis ib. earum ſcopus 127
Poteſtas Eccleſiaſtica externa & coactiva ex politica decerpta eſt 78
Poteſtatis ſignificationes variæ 54
Prædiòrum dotalium alienatio Jur. Civ. prohibita 336
Prædonis ſignificatus 208
Prædo etiam reſtituendus 209
Præjudicium qvid 47
Præjudicii homonymiæ 195
Præjudiciales cauſæ præmitti debent 144
Prælatus qvis 28. 74
Prælatorum in delicta rectè inqviritur 393
Præpoſitus qvid? 376
Præpoſiti qvalitates variæ 87
Præſcriptio ex curſu temporis æſtimanda 158
Præſidi collegii cur duplex vox competat? 376
Præventio qvomodo inducatur? 109
Primas qvid? 81
Princeps de principatu ſuum qvid alienare posſit? 345
Princeps in judicando inter privatos ordinem judiciarium ſervet 389
Prin-

Digitized by Google

Principis judicium poteſt eſſe vicarium 388
- - qvandoq; fuit perſonale ib.
Prior eſt vel conventualis vel clauſtralis 304
Prior qvid 252. vel clauſtralis vel conventualis ib.
Prioris vocabulum & officia 39. ſ.
Privatio juris reqvirit exactam cauſæ cognitionem & ſent. comminator 26
Privilegia locorum num clericos illorum etiam comprehendant? 107
Privilegia ne præjudicent aliis 96
Privilegiorum verba obſcura auctoris eſt interpretari 58
Privilegium non allegari tantum, ſed etiam extendi & exhiberi debet 392
- - adverſus privil. audiri debet omnis, cui præjudicium inde creatum ib.
Privilegium conceſsum proceſſum intentatum num ſufflaminat 251
- - lite pendente obtentum nihil valet 251. 252
Privilegium de non evocando à Superiore poteſt concedi 106
Probatio ejus qvod intereſt, non debet eſſe ſolennis 384
Probationes tit. 24. 253. imperfectæ in finibus probandis 275
- petitori conveniunt 256. poſſeſſori qvando? 258
Probationis termino elapſo novæ non admittuntur 267
Probationes communicandæ ſunt 394
Judicis animas omnibus probationibus patet 379
Proceſſiones Pontificiæ num probandæ? 243
Procuratio Clericorum Prælatorum qvid? 75. 76
Profeſſio Monachorum qvid? 304
Prohibitis advocatus dabatur 45
Promiſſum juratum, qvod in ſalutis æternæ vergit diſpendium, non ſervandum 17
Promiſſum non eo ſenſu perficere, pro promiſſum, eſt perjurium 287
Propinqvis officia ſunt præſtanda 302
Proteſtatio facto contraria nihil operatur 322
Provincia i. e. tractus Metropolitan. 81. ſ.
Pſeudo-Iſidorus Blondelli 168

Q.

Qvaſi improprietatis nota 319
Qvod vult Deus, nomen freqvens ap. Africanos 24

R.

Ratihabitionis reqviſitum, effectus contrarium 5
Rapta injuſte qvæ rapiuntur his, qvi in ſocietatem belli non veniunt 248. ſq.

Digitized by Google

Rebus competentia vocabula male miniſteriis Eccleſ. adaptantur 133
Reclamatio qvid? 112
Recuſari poteſt judex, qvi ſimilem cum alio habet controverſiam 76
Reconventio Judex incompetens fit competens per reconventionem 419
Reconventio etiam coram delegato judice inſtituitur 120
Utrobiqve judex ſuper Reconventionis cauſa jurisd. competentem habeat 120
Reconventionis cauſa qvando in cauſa conventionis proponenda? ib.
Conventionis & Reconventionis cauſa ſimultaneo proceſſu peragenda 121
Reditus qvid? 829
Refutare, i. e. abdicare 291
Regere qvid? 297
Regularis qvid? 259
Rei conſcientia non abſolvitur per abſolutionem judicis 346
Reus actore non probante abſolvi debet 346. 349
Reus exceptiones probare debet 352
Rei partes ſunt favorabiliores qvam actoris 376
Relationes ad principem vi cauſa dubia 123
Relaxare qvid? 277
Remotionis triplex gradus 3
Removetur Paſtor, convictus recte 393
Renuntiatio coacta 204
In Renuntiationibus beneficiorum ſumma libertas inſit 204
Reo etiam convicto & confeſſo defenſio concedenda 273 274
Repudiare neqvit Sponſus Sponſam propter fornicationem praecedentem 328
Repudiare poteſt Sponſus Sponſam propter fornicationem poſt ſponſalia commiſſam 328
Repudiare neqvit maritus uxorem leproſam, paralyticam, oculos vel naſum amittentem 328
Repudiare poteſt Sponſus Sponſam poſt Sponſalia talem factam 328. 329
Repudiare qvis non poteſt mulierem, cui juravit, velle ſe eam habere Uxorem legitimam, propter fornicationem praecedentem 327
Repudiare qvis poteſt, poſt promiſſionem matrimonii juratam, mulierem fornicatam 327
Reſcripta invalida 252. non ſemper proceſſum abolent 252
Reſcripta ad unius partis inſtantiam conditionate formanda & accipienda 392
Reſcriptis in omnibus ſubintelligitur clauſ. ſi preces veritate nitantur 133

Re-

Reſcriptio in omni ſubintelligi debet clauſula: ſi preces veritate nitantur 339
Reſcriptum qvid? 293
Reſcriptum ſub & obreptitiè impetratum perdit vires 133
Reſignatio in favorem certæ perſonæ non admittitur 10
Reſponſales & apocriſiarii qvid? 386. 212
Reſtituere qvid notet? 147. vid. etiam tit. Spoliatio.
Reſtitutio bellica 338
Reſtitutio rei abalienatæ 249.250
- - partis cui nocitum eſt 250
- - qvibus præſtanda 250
Reſtitutionis remedium ex can. de redintegr. præſcribitur 30. annis 198
Reſtitutionis condemnatus non liberatur dando fidejuſſores 197
- - etiam hæredibus ſuis nocet 197
Reis pro ſua defenſione licet actoribus crimina objicere 211
Reus actore non probante abſolvendus 158
Reus diverſa fora nanciſci poteſt, licet unius tantum ſubditus 111
- - propter eandem cauſam, ſed elective ib.
Reus talis modi ad juram. purgat. non admittendus 274
Revocare forum qvid? 109
Rex non habet ſuperiorem nec judicem 67
Rigor & æqvitas qvid? 361
Rogerus Archiepiſcopus Eboracenſis 214
Romana Eccleſia num mater & magiſtra omnium? 109.110

S.

Sacerdotis vocabulum Epiſcopis κατ' ἐξοχὴν tributum 362
Sacramentum qvid? 255. in ſubſidium uſurpandum 256
Sacrilegium qvid? 89
Sacrilegii crimen cauſa ſecularis apud Mediolan. & Gallos 89
Sanctitas veſtræ Epiſcoporum titulus 2
Saracenus unde deducatur? 326
Satisfactio pro pœna 309
Satisfactio ſit proportionata læſioni 309
Savaricus de malo leone qvis? 357
Scandalum i. e. contentio, litigium 313
Secularis cauſa occaſione peccati non trahenda ad forum Eccleſ. 67
Senex etiam qvinqvagenarius 138
Sententia & res judicata lib. 2. tit. 27. 359. ſqq.
Sententia παράνομος & ἄδικος 360
Sententia judicis incompetentis 34
Sententia judicis debet eſſe plena 74

 Ju-

Digitized by Google

Judicis pro Sententia præſumendum eſt 378
Sententia in cauſa matrimoniali lata non tranſit in rem judicatam 367. & 373
Sententia etiam iniqva qvomodo vires rei judicatæ acqvirat? 378
Sententia contra jus conſtitutum lata ipſo jure nulla eſt 360
- - ab hac non neceſſe eſt ut appelletur 360
Sententia ex ſcripto recitanda 382
Sententia judicata ſi vi ſcripto periit probari poteſt per duos teſtes 382
Sententiæ ſuæ rationes judex inſerere non tenetur 382
In Sententia omnia præſumantur ſolenniter acta 382
Sententia inter alios lata ſæpe præjudicium facit tertio 234. nec tamen regulariter 385. 396
Sententia ipſa non transfert dominium rei corporalis 365
Sententia ab alio judice pronuntiari, ab alio executioni mandari poteſt 101
Sententia contra judiciorum ordinem lata auctoritatem rei judicatæ non obtinet 389
Sententia qvæ vires rei judicatæ acqviſivit, non retractanda 392
Sententia pro interveniente ex litigantibus victori nihil prodeſt 394
Separatio matrimonii qvomodo fiat 367
Separatio conjugium a hora & menſa propter inimicitias capitales 214
Sepultura cujusqve ad qvam pertineat Eccleſiam? 15
Seqveſtrantur etiam res incorporales 70
Seqveſtro depoſitæ rei poſſeſſio non tranſit in ſeqveſtrum 71
Seqveſter num præſentare poſſit candidatum Miniſterii? 71
Severitas Eccleſiaſtica qvid notet? 12
Sicilia Inſula num Romanæ Eccleſiæ feudum ſit? 305. 306
Simonia ab alio etiam commiſſa tamen ad poſſeſſorem beneficii tranſit 160
Simoniam redolentes pactiones 9
de Simonia ſolus Papa diſpenſat 9
Solidus qvid? 221. ſ. 293
Solvens alii qvam vero creditori non liberator, etiamſi accipiens caveat de indemnitate 322
Solvere i.e. ſatisfacere in genere 289. 290
Spiritualia 28
Spirituales res & temporales ſpiritualibus annexæ non ſunt in commercio 16
Spiritualis rei de poſſesſione & ſpolio cognoſcere poteſt Laicus judex 104

Spo-

Spoliatio facta 249.250
Spoliator præſumitur inimicus ſpoliati 211. adverſus ſpoliantem improbe etiam ſuperiorem competit interdictum recuperandæ 212
Spoliator non audiendus, niſi ſpolii reſtitutione 147
- - qvod Advocati notent ib.
Spoliatis reſtitutio facienda rei & fructuum, ne unicus tantum adhuc denarius deſit 212. mobilia etiam reſtituenda 219
Spoliatorum reſtitutio plurimis remediis poſſeſſoriis procuratur 172
Spoliatorum reſtitutio adverſus tertium poſſeſſorem non datur, contra communem opinionem 184. 185
Spoliatorum Epiſcoporum reſtitutio ex Canone redintegranda 3. qv. 1. 176
hæc eſt remedium generale injuſtè dejectorum 177.178.179.180
- - adverſus qvos? vi dejicientes &c. 181-186
- - in qvo foro agi iſta poſſit? 187. ſ.
- - propter qvam materiam intentari hoc poſſit 188-190
- - qvo modo procedendi & probandi hæc condictio inſtitui qveat? 190-195
- - qvis hujus condictionis effectus ſit? 196-198
- - qvæ hujus remedii ſit duratio 196-199
- - Exemplum hujus condictionis & libellus 1'9. ſeqq.
- - exempla duo alia reſtitutionis ejusmodi Laicis adjudicatæ unum 177. alterū 186. extat.
Spoliatus qvis non ſit? 206.234
Spoliatus ante omnia reſtituendus 130. an etiam ſub cauſato conſangvinitatis inter conjuges obſtaculo? 138
Spoliatus & vi dejectus dejectorem impune iterum, ſed in continenti, dejicit 219.223
Spoliatus juri ſuo renunciare poteſt & probationibus ſpoliantis conſentire 203
Spoliati reſtitutio plenaria qvæ 9 ſit ſine ſpe repetitionis ib. 10
Spoliati reſtitutio qvomodo fiat? 157.241
Spoliato fieri probationes ſuper dominio paſſo non patet reditus ad poſſ. jud. ib.
Spoliatum conſenſus qvicunqve excludit ab intentatione jud. poſſeſſorii 203
Spolii actio inſtituta non admittit reconventionem 150
Spolii exceptio retundit intentionem actoris 146
- - licet à prædone objecta ib.
- - regulariter non opponitur tertio, ſpolii poſſeſſorii ib.

- - regulariter ante litis conteſtationem opponenda 147
- - teſtibus & documentis probanda ib.
- - ejus effectus 147
Spolii exceptio adverſus tertium poſſeſſorem non datur 238
Sponſalia non valent niſi legitime contracta 367
Stare in foro erat omnium litigantium & advocatorum 44
Stylus Curiæ à partibus eſt obſervandus 113
Succeſſorem ut qvis ſibi faciat Canones prohibent 10
Succeſſoris in officio obligatio 106
Succumbens audiend⁹ denuo, ſi petierit candẽ rem ex alia cauſa 167
Subdiaconus num in Epiſcopum eligi poſſit? 160
Subditus jurare debet absqve præjudicio ſuperioris 315
- - ejus ex juramento talè obligatio ad diſſenſum Superioris ſtatim ſignificatum ceſſat 316
Sub & obreptio qvid? 376
Per Sub & obreptionem impetratum pro impetrato non habendum 376
Sub & obreptitiè impetrata mandata ſine effectu ſunt 10
Subrogata res non debet alienari in locum rei litigioſæ 249
Subrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur ib.
Suffragium pro auxilio ponitur 255
Suffraganei qvinam? 65
Sumptuum diminutio in proceſſibus 153
Suſpenſio qvid? 32
Sutrii Epiſcopus 155
Syndicus dicitur procurator univerſitatis 259
Synodus Rhemenſis 27
Synodaticum 166
Symachus Papa Romanus dejectus & reſtitutus 171, ſ.

T.

Tempelhoff zu Droißig 73
Templariorum hiſtoria 72. 73. 221
Tertius interveniens non audiendus, niſi ante omnia qvid ſua interſit, docuerit 384
Teſtatoris ſuprema voluntas pro lege ſervanda 318
Teſtes in probationibus plures obtinent 256
- - pares pro poſſeſſore dicunt 257
- - ſingulares qvinam? 267
- - examinandi 268
- - rejiciendorum index 268
Teſtes in perp. rei mem. tantum in civilibus ex parte actoris recipiuntur 139
Teſtium circa hanc receptionem reo plus favere judicem oportet ib.
Teſtium receptio denuntianda adverſario, aut actio intra annum inſtituenda ib.

Te-

Teſtes examinatos examinare denuo actor poteſt 140
Teſtibus & ante & poſt examen objici poſſunt crimina 352
Teſti crimen objiciens actione injuriarum num teneatur 353
Teſtis confeſſus & convictus de crimine num puniri qveat 353
Teſtis idem & judex eſſe neqvit 272
Teſtis etiam perjurii convictus, infamis non fit 147
Teſtimonia in perpetuam rei memoriam qvando concedantur 139
Teſtium dicta etſi in uno non ſtatim in omnibus articulis invalida 394
Teſtium examen qvando & qvomodo fiat? 142
Teſtium habilitas ib.
Teſtium inhabilitas ante ſententiam probanda 352
Teſtium inhabilitas 205
Teſtium qvalitates judici ſunt conſiderandæ 394
Teſtium repulſio 353
Tonſuram primā etiam ordo comprehendit 53
Traducere qvid? 261

V.

Vacua poſſeſsio qvid? 211
Valentiniani Imp. cura ſpiritualis animæ 63
Vicedominus i.e. Epiſcopi vicarius 70
Vindicatione rei ab actore res certa deſignanda 114
- - alias invalidus libellus, ſi à parte opponatur 115
Vindicatione rei neceſſaria ſed difficilis eſt probatio dominii 236
- - actore non probante, reus eſt abſolvendus ib.
Vindicatio rei non competit poſſeſſori 71
- - propriè eſt tantum rerum corporalium ib.
Vinnius notatus 6
Violentiæ invitium ſciens ſucceſſor tenetur de fructibus perceptis & percipiendis &c. 237
Vis illatæ repulſio debet fieri cum moderamine 223
Viſitatio Eccleſiarum utiliter inſtituitur 393
Uſurarum cauſa mixti eſt fori 318
Uſurarum nomine datum in dominium accipientis tranſit 287
Uſuræ in J.C. odioſum nomen 276
- - nec tamen res ſua natura mala 277.
- - ad uſuras à ſe promiſſas debitor cogendus non eſt 285
niſi ſint moderatæ 286.ſ.
Uxor num cogi poſſit ad reditum? 130

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google